UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatorvm Svmmvla Thomæ de Vio Caietani Cardinalis sancti Xisti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Visual Library

PECCATORVM SVMMVLA THOMAE de Vio Caietani Cardinalis sancti Xisti.

Aborsus diuersi mode committi dicitur, & quam pœnam inducat.

ABorsus voluntarius est peccatũ homicidii: perfecti quidẽ, si fœtus erat animatus: anima rationali. Et incurritur propterea irregularitas: quia occiditur tunc qui verè est homo. Imperfecti verò, si fœtus adhuc non erat animatus anima rationali: quia tunc occiditur homo: non qui est, sed qui generabatur, qui nõ est adhuc actualiter homo. Et est peccatum mortale: quia quantum in se est, ad hoc tendit vt tollat vitam hominis iam inchoatam. Non tamen incurritur irregularitas homicidii, quia non est adhuc actualiter homo qui occiditur.

Absolutio peccatorum sacramentum pœnitentiæ concernentium debet esse formalis, & hoc ex parte tã absoluentis, quàm absoluendi.

ABsolutio à peccatis quæ in sacramento pœnitentiæ fit, est forma sacramenti pœnitentiæ. Et consistit (vt in Concilio Floren. sub Eugenio quarto legitur) in his verbis, Ego te absoluo. Ait enim forma

huius sacramenti, sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert quum dicit, Ego te absoluo.

Vbi circa necessitatem scito non esse de necessitate formæ illud pronomen, ego: sicut etiam non est de necessitate in forma baptismi: quoniam subintelligitur in ly absoluo.

Et licet ad formam absolutionis sufficiat dicere, Absoluo te: decet tamen quædam antecedentia & consequentia apponere dicendo, Dominus noster Iesus Christus te absoluat: & ego autoritate ipsius te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris & Filii, & Spiritussancti. Amen. Ea lio Domini nostri Iesu Christi, & merita beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorū tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Circa mutationem scito, quòd si mutatio fieret, ita quòd loco pronominis te, poneretur pronomen vos, causa honoris (putà si audiens confessionē Episcopi vel Regis, dicat, Ego absoluo vos & similiter si Episcopus assuetus loqui in numero plurali in prima persona, audiens confessionem alicuius diceret, Nos absoluimus te) in vtroque casu & similibus non fit sine peccato huiusmodi mutatio: quia receditur à verbis per Ecclesiam determinatis in forma huius sacramenti. Absolutio tamen facta tenet, quoniam ex accommodatione vsus idem significatur per huiusmodi verba, quod significatur per formam sacramenti, Absoluo te.

Circa appositionem conditionalem, aduerte tripliciter posse conditionaliter proferri formam absolutionis. Primò, respectu conditionis præteritæ: vt si confessor dubitat se protulisse verba absolutionis, & dicat, Si non es absolutus, ego absoluo te. Et huiusmodi

modi conditionalis absolutio in casu dubii ex suo genere non est illicita : sicut nec baptismus in dubio sic datus, illicitus est. Secũdo referendo ad conditionem futuram, putà si diceret confessor, Si restitueris, aut si feceris talem pœnitentiam, aut aliquid huiusmodi, absoluo te. Et huiusmodi cõditionalis absolutio cum intentione præcisa nil aliud faciendi, nisi quod dicit, nil valet: quia non est in potestate confessoris ministrantis sacramentum conferre nunc sacramentum, & suspendere illius effectum in aliud tempus implendæ conditionis. Sacrilegus ergo est abusus istæ formæ sacramentalis: fit enim iniuria sacramento, dum perficitur modo excludente fructum sacramenti ex indebita intentione ministrantis. Et eadem ratione non potest sacramentalis absolutio impendi sub ratihabitione: quoniam quod sub ratihabitionis spe fit, quamuis voce tunc fiat, re tamen vt pendens fit, ita vt possit & ratificari & irritari. Constat autem non esse in potestate absoluentis conferre nũc sacramentum, & suspendere effectum illius in tempus futuræ ratificationis, & exponere discrimini, vt nullum sit si irritetur.

Tertiò, si referatur ad conditionem præsentem, putà si verè promittis restituere, aut præsentare te superiori, absoluo te. Et huiusmodi conditionalis absolutio cum præcisa similiter intentione si fiat, facta tenet, stante tunc conditione. Errat tamen sacerdos sic faciẽs, quia præsumit sub forma dubia trãdere quod Christus mandauit sub forma certa ministrari. De nullo enim magis debet curare absoluens, quàm de contritione & satisfactione pœnitentis: & tamen Ecclesia absque conditione aliqua credit pœnitenti dicenti se contritum, & habere propositum satisfaciendi, & absolutionis beneficium impartitur absque conditionali nota. Vnde determinãda est huiusmodi

superstitio ab Ecclesia Dei, in tantum quòd si alicui commissa sit à superiori potestas absoluẽdi à casibus reseruatis sub aliqua conditione (putà, concedo tibi facultatem absoluendi ab homicidio, si absoluendus fecerit talem pœnitentiam, putà peregrinationis, aut tantæ eleëmosynæ &c.) debet confessor non conditionaliter, sed simpliciter & absolutè, absoluere pœnitentem præceptantem talem pœnitentiam, quia nulla commissio potest alterare formam sacramenti.

Circa reiterationẽ absolutionis nota quòd potest iterari super omnino eadem peccata, sed non potest iterari super omnino eandem confessionẽ quia super eandem materiam proximam nullius sacramẽti forma iterabilis est sine injuria sacramenti: quia ipsa iteratio attestatur insufficientiæ prioris formæ: si enim prima vt sufficiens haberetur, non iteraretur. Ac per hoc quum cõfessio teneat locum proximum materiæ in sacramento pœnitentiæ (vt in eodẽ Concilio Florentino habetur) nisi multiplicetur confessio, non potest multiplicari absolutio. Et quia potest homo pluries confiteri eadem peccata, potest quoque pluries ab eis absolui.

Absolutio pœnitentialis plura ex parte absoluentis presupponit, quibus deficientibus inanis efficitur.

ABsolutio à peccatis ex parte absoluentis, exigit vt absoluens minister sit sacramenti pœnitentiæ, ac per hoc sit sacerdos habens autoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris: vt in eodem Florẽt. Concil. sub Eugenio quarto habetur.

Vbi circa necessitatem aduerte non sufficere administrandum sacramentum pœnitentiæ esse sacerdotem, sed vltra sacerdotalem potestatem requiri autoritatem aliam. Et hoc est quod communiter dici soleꝫ

solet, quòd scilicet requiritur duplex potestas, videlicet & ordinis & iurisdictionis. Potestas enim ordinis habetur ex sacerdotio: potestas autem iurisdictionis habetur vel ex officio pastorali, vel ex commissione eius qui est pastor pœnitētis. Intantum autem vtraque ista potestas requiritur, vt si altera desit, absolutio sacramentalis sit nulla propter defectum ministri, ita quòd si non sacerdos absoluit à peccatis, nihil fit: & similiter si sacerdos absoluit eum qui sibi subditus nullo modo est, nihil fit.

Circa modos, quibus sacerdos habet potestatem iurisdictionis in foro pœnitentiali, aduerte quòd vltra duos manifestos modos ex parte autoritatis præ-locatæ in ipso absoluente (scilicet vel ex officio ordinario, vt est Episcopatus & parochia vel ex commissione, vt alii à Papa vel Episcopis, vel Curatis, vel eorum officialibus aut vicariis solitis committere audientiam confessionum, habentes autoritatem audiendi confessiones) inueniuntur quinque alii modi seu casus quibus sacerdos sortitur subditum: ita quòd potest pœnitentem sacramentaliter absoluere à peccatis: & sunt, necessitas, libertas, facultas, licentia, & consuetudo. Declaro singula.

Necessitas duplex est: scilicet, vel ratione mortis, vel ratione communionis. Quando in articulo mortis deficit confessor, potest quilibet sacerdos illum absoluere ab omnibus suis peccatis sibi confessis, vt habetur in cap. Pastoralis de offic. ordi. Quando verò imminet alicui necessitas communicandi, & deficit ei confessor, non potest propterea absolui à quolibet sacerdote: quia necessitas celebrandi missam: quę maius quid importat quàm necessitas communicandi, non habet hoc priuilegium, sed dimittit constitutum in tali necessitate intra terminos non habentium copiam confessoris.

Libertas in proposito significat non subiectionem alicui particulari, vt proprio sacerdoti. Et tripliciter inuenitur. Vel quia persona nulli subditur, vt persona Papæ: & propterea cui se subiicit, ille potest ipsum absoluere à peccatis. Vel ratione status, quia scilicet nunquam in eodem loco permanent: ac per hoc nulli particulari ministro sacramenti pœnitentiæ subduntur, quum non sit maior ratio quòd subiiciantur vni magis quàm alteri, vt sunt vagabundi, qui scilicet vel nullibi habitant, sed vagantur: vel licet alicubi domicilium cum vxore & filiis habeant, communiter tamen sunt in continuo motu, ita quòd etiam in Paschate extra inueniri consueuerunt: hi enim perinde ac vagabundi quo ad sacramenta pœnitentiæ & eucharistiæ censentur, & absolui à quolibet confessore possunt. Vel ratione materiæ, quia scilicet in tali materia nulli est subiectus confessori: vt cõtingit in peccatis venialibus, quia nullus tenetur illa confiteri, ac per hoc nulli propter illa confessori subditur à iure: & ideò quilibet potest à quolibet sacerdote de peccatis venialibus sacramentaliter absolui.

Facultas eligendi confessorem à iure concessa est Episcopis, & tam inferioribus quàm superioribus, prælatis exemptis. vt in cap. Ne pro dilarione de pœniten. & remis. & conceditur multis ex speciali gratia à summo Pontifice. in confessionalibus propterea non est dubium hos posse absolui à quo maluerint sacerdote.

Licentia dupliciter datur. Vel explicitè: quum curatus in communi dicit populo, Quilibet vadat ad confitendum cui vult: aut specialiter alicui dicit, Confitearis cui vis, & hoc nihil aliud est, quàm dare licentiam eligendi sibi confessorem. Vel implicitè. Et hoc contingit primò licentiando subditos ad peregrinandum. In hac enim peregrinationis licentia, implicitè

claudi

claudi creditur licentia confitendi: quia confessio co-
mes esse debet viatorum. Et hoc intelligo cum duabus limitationibus. Altera est quò ad confessiones, & communiones necessarias, vt Paschales, aut solitas, quò ad eos qui sæpe consueuerunt confiteri & communicare aut celebrare. Et hæc limitatio intelligitur amplectendo tutiorem partem. Quia enim ista licentia à doctoribus potius quàm à iure proficisci videtur, timeo illam extendere vltra solita tanquam præcogitata. Altera, quò ad confessores, qui scilicet in locis illis confessores sunt aliorum: huiusmodi enim implicita licentia non videtur amplianda, vt faciat viatores melioris conditionis quàm incolas, vt scilicet possint sibi eligere in confessorem quem velint: sed sufficit quòd prouideat viatoribus quum extrà sunt, vt possint tanquam incolæ confiteri & communicare. Vnde & in iure prouidetur de ministro eucharistiæ pro peregrinis proculdubio licentiatis à suis curatis: vt patet in cap. Presbyter. de celebr. mi.i. Secundò, sciendo & tacendo: vt quum Episcopus scit consuetum esse, vt canonici seu curati sui inuicem se absoluãt, & tacet. Quanuis enim nulla consuetudine introduci possit, vt quis possit sibi eligere confessorem (vt dicitur in cap. Si episcopus. de pœniten. & remiſ. in vi.) ex hoc tamen quòd Episcopus scit & tacet, tenetur prouidere illis de confessore: & tacita Episcopalis licentia, robur dat absolutionibus, & consuetudo non concurrit, nisi vt testis licentiæ implicitæ. Et ob huiusmodi implicitam licentiam viatores sine licentia curati possunt in Paschate confiteri & communicare vbi se inuenerint, sicut licentiati: si & vbi curatus consueuit scrutari quis parochianus defuerit pœnitentiæ & communioni, & viatorum dicentium se vbi se inuenerunt, confessos fuisse & communicasse, factum probare: atteſtatur

siquidem huiusmodi consuetudo implicitæ licentiæ, & piæ menti curati, qua voluit implicitè suos confiteri & communicari extrà in casu quo festa Paschalia contingeret extrà peragere. Memini aliàs me legisse, Eugenium quartum concessisse seu declarasse viuę vocis oraculo, viatores vbi se inuenerint in Paschate, censendos tanquàm adeptos incolatũ quò ad sacramenta pœnitentiæ & eucharistiæ: & secundum hoc non est opus in Paschate huiusmodi interpretatiua licentia, sed possunt tunc ab illis confessoribus à quibus iucolę absoluuntur, absolui etiam à casibus Episcopalibus, prout Episcopus loci disponit. In reliquis autem omnibus supradictis licentiis explicitè vel implicitè ab Episcopis seu curatis, non approbo posse licentiatos absolui à casibus reseruatis Episcopo: quia hoc est contra iuris dispositionem. in vi. de pœni & remiss. c. Si Episcopus. vbi dicitur, quòd Episcopo dante licentiam alicui quòd confiteatur, non propterea concedit casus reseruatos. Si ergo licentia explicata, non comprehendit casus reseruatos, multò minus licentia implicita ad illos se extendit. Consuetudo non eligendi confessorem, sed habendi curam animarum præscripta, operatur, vt tam Cardinales curam habeant familiæ suæ, & de eorum licentia sui familiares cõfiteri possint cui velint, quàm quicunque alii huiusmodi curam habentes possint similiter absolutionis beneficium per se vel alium suis impartiri: potest enim huiusmodi iurisdictio non minus quàm aliæ haberi ex præscripta consuetudine.

Absolutio nonnullis circumstantijs indebitis impeditur, tam ex parte absoluentis, quàm absoluendi.

ABsolutionis impedimenta multa sunt. Et ideo aduertendum est posse illam impediri vel ex parte absol-

te absoluentis, vel ex parte absoluēdi. Impedit autem ex parte absoluentis Ecclesiastica censura, non quæcunque, sed irritans iudicis sententiam: ita vt quandiu reliqua gesta per confessorem tenēt, absolutio valeat. Et propterea licet excommunicatio aut suspensio, si confessor sit excommunicatus aut suspensus, annullet absolutionem absolutè loquendo: quia tamen aliqui sunt casus, in quibus gesta per confessorem sic innodatum tenent: ideò scito quòd ex iure communi secundum communem sententiam (ex l. Barbarius. ff. de offic. præt.) tenent gesta per huiusmodi iudicem, vbi duo simul concurrunt, scilicet communis error facti, & titulus. verbi gratia si sacerdos excōmunicatus datus est ab Episcopo in curatū, & communiter non habetur ille pro excommunicato propter hoc quia nescitur illum esse excommunicatū, gesta omnia per ipsum tenent. Concurrunt enim ibi ambo simul, scilicet titulus publici officii, quia institutus est ab Episcopo: & communis error facti, quia nescitur ipsum esse excommunicatum. Et hinc habes, quòd absolutus à legitimo aliàs confessore habente impedimentum occultum, quòd si sciretur impediret absolutionem, est verè absolutus & coram Ecclesia.

Ex Extrauaganti verò Concilii Constantien. consensu vtentium comprobata, in foro pœnitentiali tenent gesta per confessores irretitos quibuscunq; Ecclesiasticis censuris etiam non occultis, nisi in duobus casibus, scilicet propter notoriam percussionem clerici, vel propter publicam nominatim denūtiationem. Nam ibi conceditur receptio sacramentorum ab excommunicatis ministris, nisi altero dictorum modorum fuerint excommunicati, & hoc in fauorem animarum & innocentum, non in releuamen ipsorum excommunicatorum. Licet enim ipsi ministri excommunicati absoluentes damnationem incurrant: pœ-

nitentes tamen absolutionis beneficium consequuntur. Et hoc quantum ad fructum absolutionis spectat, intellige si & quando pœnitens excusatur à peccato inducendi cõfessorem excommunicatum ad sacramenti ministrationem, nam non licet sibi inducere illum ad peccandũ. Impeditur autem ex parte absoluendi absolutio ex duplici capite, scilicet ab intrinseco ex sacrilegio simulatæ vel dimidiatæ vel impœnitentis confessionis, hoc est si quis simulat se confiteri, quia tunc deest confessio: simulata enim confessio, non est confessio. Et similiter si quis ex verecũdia, aut aliàs irrationabili causa aduertẽter dimidiat confessionem, quia tunc nõ proponitur peccatum vt remissibile, nam impium est à Deo & eius sacramento dimidiam sperare veniam. Et eadem ratione si quis impœnitentem ex intentione proponit seipsum, quia vt nõ absolubilem ministro Christi se præsentat: absolui enim nequit quem non pœnitet. Et propterea irrita est in his casibus absolutio ex parte pœnitentis. Ab extrinseco verò impeditur absolutio ex parte absoluendi, si pœnitens sit excommunicatus maiori, vel minori excommunicatione. nam commune est vtrique excommunicationi, excludere à passiua participatione sacramentorum. Nec hoc est vertendum in dubium. Vnde grauiter errant confessores absouẽtes prius à peccatis, & remittentes absoluendos postea ab excommunicatione. est enim hoc contra dispositionem iuris communis, expressè dicente textu, de sen. excõ. cap. à nobis est sæpe. quòd licet reputetur aliquis per signa pœnitentiæ absolutus à Deo, quia tamen apud Ecclesiam adhuc absolutus non est, communicandũ ei non est in diuinis: & multò minus impendenda sunt ei sacramenta à quibus principaliter est exclusus. Nec excusari potest hoc factum propter dictam extrauagantẽ Concilii constantien. quoniam

ibi

ibi expresè dicitur, excõicatos in nullo subleuari obdictam gratiam: multum autẽ subleuarentur, si participes esse possent sacramẽtorum aute absolutionem. Non ergo potest absolui aliquis à peccatis, antequam absoluatur ab excõicatione tã maiori quàm minori.

Vtrum autem si de facto fiat contrarium, absolutio facta teneat, alia quæstio est. multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.

Et dicenda sunt ad hanc quæstionẽ tria. Primum, quòd absolutio à peccatis, de facto ab excommunicato susceptа, non tenet quantum ab præsentem fructum: quia ipso actu suscipiendi absolutionẽ obicem absolutioni ponit excommunicatus. nam per actum istum ingerit se passiuè sacramento à quo excluſus perseuerat, quamdiu est excommunicatus: & sacrilegium cõmittit, cõtaminando quantũ in se est sacramentum pœnitentiæ. Licet enim excommunicatus possit initiare sacramentum pœnitentiæ, exercendo actus qui sunt sacramenti materia, cõterendo, confitendo, & satisfaciendo, non potest tamen perfectioni sacramẽti (quæ in forma absolutionis cõsistit) se immiscere: quoniã à sacramento est excluſus, non aũt à sacramẽti materia. Quia igitur excommunicatus ipso actu suscipiendi absolutionẽ contra absolutionẽ pugnat, consequens est, vt nõ absoluatur à peccatis suis. Secundum est, quòd per accidens in aliquo casu huiusmodi absolutio facta tenet quãtum ad præsentem fructum, quando scilicet excommunicatus verè pœnitens, ob ignorantiam iuris vel facti, nõ qualemcunque, sed excusantẽ eum, absolutionẽ à peccatis suscipit: quia sacramentũ gratiã confert omni adulto offerenti se non ponẽdo obicẽ: constat autẽ huiusmodi pœnitentem non ponere obicem, ex hoc quòd ponitur ipsum laborare ignorantia excusante à sacrilegio, quod excõmunicatus sacramentũ suscipiens incurrit.

Et

Et propterea quanuis teneatur iste quærere & obtinere absolutionem ab excommunicatione, nec possit interim immiscere se diuinis, non tenetur tamen ad hoc vt iterũ absoluatur à peccatis: & hoc propter efficaciam suscepti sacramenti, vt dictum est, iteratio enim sacramenti non nisi propter effectum sacramẽti fieri debet. Et hinc habes, vnde multorum timoratas conscientias consolari possis in multis singularibus casibus, qui prudentiæ confessoris relinquuntur examinandi, & iudicandi secundum prædicta duo, scilicet quòd fuerit verè pœnitens, & laborans ignorãtia aut oblitione excusante ipsum. Tertium est, quòd absolutè loquendo, absolutio sacramentalis impensa excommunicato valet: quia licet huiusmodi absolutio sit iure prohibita & illicita, nullo tamẽ iure sancitum inuenitur, quòd sit nulla. excommunicatus enim est excluſus à sacramentis, quantũ ad hoc quòd non potest licitè suscipere sacramentum: non autẽ quantum ad hoc, quòd si suscipit, susceptum sit nullum. Si enim excommunicatus susciperet sacramentũ ordinis, confirmationis, matrimonii, aut extremæ vnctionis, non propterea irritum esset sacramentum susceptum. Pari ergo ratione non est irritum sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato susceptum. Et similiter quia excommunicati participatio in diuinis, dicendo horas canonicas in choro cum aliis, non est irrita (satisfecit enim præcepto de persoluẽdo horas) consequẽs est, vt sacramenti participatio non sit irrita. Et licet huiusmodi absolutio in aliquo nõ habeat effectum, tunc propter indispositionem recipientis perseuerantis in peccato mortali, habebit tamen effectum recedente peccato: & hoc propter vim sacramenti, iuxta doctrinam Augustini.

Excommunicationis absolutio tria præsupponit,

ponit, quibus non existentibus nec sequitur absolutio.

ABsolutio ab excommunicatione, quantũ ad confessores spectat, ex parte formæ, tria habet consideranda. Primò, substantiam. Secundò, annexa. Tertiò, modum connexionis. Et quò ad primum scito, quòd nulla habet determinata verba, potest enim dicere absoluens, & Absoluo te, & Benedico tè, & similia: debet tamen secundum Ecclesiæ consuetudinem dicere, Absoluo te, &c.

Quò ad secundum scito, quòd solennis absolutionis forma multa requirit, quorũ aliqua requiruntur semper: vt aliquis psalmus pœnitẽtialis cum precibus, & versiculis, & oratione. Aliqua verò requiruntur quandoq;, & quandoq; non: vt verberatio, dum hæc dicunt, omittitur enim in mulieribus & in locis publicis. Nõ enim decet mulieres verberari quum confitentur: similiter nec quoscunque alios in publico secretè confitentes. Similiter iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ vel absoluentis, in quibusdam tantum casibus requiritur. Et simile est de emenda iudicum: iuramentum enim illud in magnis tantum criminibus locum habet: emendam autem (hoc est sufficientem satisfactionem) quãdo pro notoria offensa in aliquem excommunicatus quis est, præstare ante absolutionem tenetur: & similiter vbi expensarũ aut damni ratio habetur. Et si satisfacere nequit, tenetur dare idoneam cautionem, hoc est pignoratitiam vel fideiussoriam. At si nec horũ aliquod potest, det occasionem iuratoriam satisfaciendi, quum poterit.

Et hæc oportet confessorem scire, non solùm propter cõmunes qui possunt accidere casus, sed propter euitandas censuras Xisti quarti, quum contingit in mortis articulo absoluere à casibus reseruatis, in cœna Do-

na Domini &c. vt intelligat terminos, & sciat secundum hæc se regulare. Igitur solemniter absoluturus excommunicatum, præmisso aliquo horũ si opus est, aut præmissis omnibus, si omnia requiri contingit, dicat confessor vnum psalmum pœnitentialem cum Gloria patri, Kyrie ter, & Pater noster, & quatuor versiculis scilicet Saluum fac, Nihil proficiat, Esto ei, & Domine exaudi: & orationem, Deus cui proprium, mutando ly delictorum, in ly excommunicationis, & postea absoluat, dicens. Ego absoluo te à vinculo excommunicationis, & restituo communioni fidelium, & postea mandet ei, quod mandaturus est.

Quò ad tertium, distinguendum est de annexis. Nam annexorũ quædam sunt ceremonialia, vt orationes: quædam iudicialia, vt cautiones. Et de ceremonialibus quidem constat, quòd sunt annexa vt debita seruari, non tamen vt substantialia. Et propterea si is cui commissum est vt absoluat in forma Ecclesiæ, aliquem excommunicatum sine ceremonialibus absoluat, peccat quidem absoluens sine rationabili causa ceremonialia omittens, absolutio tamẽ valet: quia ceremonialia intelliguntur, tam institui quam committi vt ceromonialia: hoc est vt debita seruari: non autem vt necessaria ad substantiam absolutionis.

De iudicialibus verò tria dicimus. Primum, quòd regulariter sunt annexa vt necessaria necessitate iustitiæ, ita quòd non possunt omitti sine iniuria: quia in præiudicium Ecclesiæ seu partis huiusmodi omissio vergit. Secundum quod iudicialia dupliciter inueniuntur annexa absolutioni. Primò, ex solo debito iuris communis, vt quia agitur de interesse tertii cui est satisfaciendum, vel aliquid simile. Et sic per abusum suę potestatis ordinarius potẽs absoluere absoluat, tenet absolutio facta, quamuis malè & iniustè facta, quia absolutio tunc fit contra ius tertii, & non contra jus

consti-

constitutionis: vt habes in cap. Venerabilibus: de senten. excom. in vi. Secundò, ex debito illius canonis, vt canon ille dat certum modum seu excipit: ita quòd nisi concurrente tali cõditione seu obseruatione impendatur absolutio. Et hoc multipliciter contingit. Vel per verba negatiua potentię actiuæ, vt si dicatur, quòd non possit absoluere ante satisfactionem. Vel per verba negatiua potentiæ impersonaliter: vt si dicatur, quòd non potest hîc impendi absolutio ante satisfactionem. Et in his, duobus modis etiam verba ipsa canonis testãtur limitatam esse potentiam ordinarii, ac per hoc irritam esse absolutionem si aliter fiat. Vel per verba negatiua potentiæ passiuæ tantùm: vt si dicatur quòd qui inciderit in tali quid, non possit absolui, nisi satisfaciat. Vel per verba negatiua non potentiæ, sed actionis, vt dicatur: nullatenus absoluatur ante satisfactionem, seu nisi satisfecerit. Et in his duobus similibus modis ambigua videtur quæstio. Ex verbis quidem, quia non limitatur per illa potestas ordinaria: ac per hoc videtur relinqui locus abusui potestatis ad illicitam absolutionẽ. Ex ratione verò, quia potestas ordinaria videtur potius regulari, statuendo sibi regulam secũdum quam absoluere debeat, quàm limitari, ne facilè ordinariæ potestati derogetur. Oppositum autem suadet textus allegatus ex vi. dicens, Absolutio tenet, licet forsitan sit iniusta: quoniã etsi contrarius litigatoris, nõ tamen contrarius constitutionis absoluit. Vnde videtur vniuersalis regula haberi duplex. Prima est, quòd absolutio contra ius tertii & non cõstitutionis, tenet. Secunda est, quòd absolutio contra ius constitutionis non tenet. Et quia hæc est tutior, & textui conformior viam, ideo hanc sequendam puto. Et propterea in singulis canonibus excommunicationum consideret absolutor conditionem ibi statutam, vt seruetur circa iudicialia, & ser-

uet illam ne erret, aut discrimini se committat. Tertium, quòd in duobus casibus obseruatio iudicialium est adeò manifeste annexa absolutioni, vt absolutio sine illis irrita sit & inanis. Primus est, quando ius seu decretum explicitè irritat absolutionē sine his, vt fecit Sixtus IIII. in Extrauag. & si Dominici gregis. dicens, Et aliter impensa absolutio non valeat. Secundus est, quando ab homine alicui committitur potestas absoluendi, cum verbis conditionalibus vel æquipollentibus de huiusmodi cautionibus habendis: talis enim commissarius si excedendo fines mandati absoluat, nihil facit.

Excommunicatio in materia absolutionis qualiter sit considerandа.

ABsolutio ab excommunicatione quantū ad confessores spectat ex parte potestatis absolutoriæ, distinctione eget. Discernendum est enim in primis, an illa excommunicatio sit lata à iure, vel ab homine. Vocatur autem à iure, quæcunque à perpetuo statuto lata est, à quocunque statutum illud sit, & siue cōtineatur in iure communi, siue in extrauaganti, siue in legibus synodalibus vel specialibus. Quæ verò ab homine est, non est perpetua, sed spirat cum autore. Et si est à iure, discernendum est, an sit reseruata eius absolutio, & cui: & tunc non potest confessor ab illa absoluere, nisi de gratia speciali fuerit concessum. Si verò non est reseruata, certum est posse cōfessorem autoritate Episcopi ab illa absoluere, si Episcopus concesserit omnes casus sibi reseruatos. Si autem est ab homine (siue sit generalis, vt quum excommunicatur quicunque sciuerit vel fecerit tale quid, siue singularis, vt quum excommunicatur Sortes) reseruata regulariter est illius absolutio latoris, durante illius iurisdictione: vnde sine eius vel ipsius superioris gratia

non

non potest absolui. Et scito hic religiosum præsumẽtem de facto absoluere ab excommunicatione lata à iure, incurrere excommunicationem: vt habetur infra in censuris.

Ab excommunicatione verò minore quilibet cõfessor, non autem quilibet sacerdos, potest absoluere. Primum horũ patet ex capi. nuper. de senten. excom. Secundum verò manifestatur quia excommunicatio minor est vinculum Ecclesiasticum, & propterea exigit in absoluente facultatẽ Ecclesiasticæ iurisdictionis: purus autem sacerdos habet solam potestatẽ ordinis: & ideo non potest absoluere à vinculo Ecclesiasticæ excommunicationis minoris. Vnde licet quilibet possit se subdere cuicunque sacerdoti pro absolutione venialium, non tamen potest subdere se cuiq; sacerdoti pro absolutione ab excommunicatione minore: quia ad venialia remittenda sufficit ex parte absoluentis potestas ordinis, quæ est in quolibet sacerdote: quia ipsa subiectio operatur iurisdictionem talium quantùm ad potestatem ordinis. Ad absoluendum autem excommunicationis vinculum requiritur potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ nõ conuenit sacerdoti, ex hoc quod vnus subdit se illi sed ab ecclesiastica pendet autoritate.

Absoluere demũ à vinculo suspensionis vel interdicti, si quando cõfessori committitur, potest vti huiusmodi verbis, Ego absoluo te à vinculo suspensionis, &c. Nulla enim sunt determinata verba pro huiusmodi forma.

Personarum acceptio quãdo sit vitiosa. Et quod in tribus potest esse pernitiosa.

ACceptio personarum est peccatum, quia tollit æqualitatem iustitiæ. Est autem peccatum mortale, quando est pernitiosa. Frequenter verò est pernitiosa

ciosa in tribus, hoc est in distributione communium bonorum, & beneficiorum ecclesiasticorum, & in iudiciis. Quum enim communia regni vel ciuitatis officia, dignitates, seu honores distribuuntur ita quòd amicitiæ, vel consanguinitatis, vel factionis, aut alterius impertinentis ratio præfert minus dignos, ruit commune bonum. Nec minus ruina ecclesiæ manifesta est, quum in beneficiis, ac dignitatibus ecclesiasticis minus digni præferuntur: quia amici seu familiares vel coniuncti aut seruitores, &c. sunt, vniuersum quoque humanum genus grauissimè offendit, ex eo quòd actor aut reus in iudicijs in iure præfertur, quia potens, aut diues, aut amicus, &c. Peccatum hoc non solùm animæ mors est, sed ad restitutionem obligat iuxta restitutionum regulas: pro quanto iniustè impendit dignum seu digniorem, & præter hoc tenetur acceptator personæ de damnis consequentibus huiusmodi promotiones seu iniurias.

Peccatum acediæ dupliciter consideratur. Et quod bona spiritualia sint bifariam distinguenda.

ACedia dupliciter sumitur: vel communiter, vt est nomen commune ad multas peccatorum species: vel propriè, vt est speciale peccatum. Et communiter quidem sumpta, significat tristitiam de spirituali bono: propriè autem sumpta, significat tristitiam de spirituali bono diuino, hoc est ad charitatem pertinente.

Ad quorum clarificationem distingue bona spiritualia. Et vide primò spirituale bonum diuinum consistere in amicitia inter Deum & hominem: ac per hoc in idem velle, & idem nolle cum Deo in conuersari cum Deo, in conuiuere & colloqui cum Deo, & huiusmo-

huiusmodi. Et propterea quum quis est intantum elongatus ab amore cœlestis patris & patriæ, vt quum audit aut cogitat statutum sibi esse, vt sit ciuis sanctorum & domesticus Dei, &c. de hoc tristatur, tunc peccat proprie peccato acediæ. Et si cum consensu rationis est huiusmodi tristitia, peccatum est mortale grauissimum, propinquum odio Dei. Si verò de hoc non tristatur secundum affectum sed secundum effectum, quia parum de huiusmodi amicitiæ bono curat, negligens adipisci illam, quia vacat delectabilibus humanis, peccatum acediæ non incurrit: sicut nec plus amans carnalia quàm Deum, incurrit peccatum odii Dei.

Vide deinde bonum spirituale cuiusque virtutis consistere in actibus & exercitatione illius. verbi gratia bonum spirituale iustitiæ in voluntate reddente ius vnicuique: temperantiæ in voluntate moderate vtente delectabilibus secundum sensum, & sic de aliis. Et propterea quum quis cogitat reddendum esse ius, aut abstinendum ab immoderatis delectabilibus, aut aliquo huiusmodi, & de hoc tristatur, peccat quidem, quia tristatur de bono virtutis. Et est peccatum hoc acediæ communiter dictæ: quia huiusmodi tristitia spectat ad vitium contrarium illi virtute de cuius bono tristitia est: putà ad iniustitiam, vel ad intemperantiam, & sic de aliis. Et est huiusmodi tristitia peccatum mortale si est de bono virtutis necessario ad salutem, & cum consensu rationis. Si autem sine consensu rationis est, de quocunque bono sit, peccatum veniale constat esse: & similiter si est de bono non necessario ad salutem, puta de liberalitate ad quam non tenetur, de veritate iocosa vel officiosa tantùm: quia sicut deliberate refutare hæc, non est peccatum mortale: ita nec deliberate tristari de his. Nam delectationes & tristitiæ sunt bonæ

vel malæ moraliter, ſicut electiones: & propterea ſi deliberatæ refutationes non ſunt peccata mortalia, nec triſtitiæ ſunt mortalia peccata.

Ex his habes, quòd quum quis triſtatur de ieiunio, oratione, feſtorum obſeruatione, & huiuſmodi, & propter huiuſmodi triſtitiã negligit ieiunare, orare, aut feſta ſeruare, peccat peccato acediæ: non vt eſt ſpeciale peccatum, ſed acediæ communiter dictæ, quę non trahit peccatum in aliam ſpeciem.

Adulationis peccatum tripliciter committitur: eſtq; humanæ fragilitati valde nociuum.

ADulatio eſt peccatum, quia eſt exceſſiua laus ſeu complacentia verbis vel factis in communi conuerſatione. Et tripliciter potest eſſe peccatum mortale. Primò ratione materiæ laudatæ: vt ſi quis laudet aliquem de actu qui eſt peccatũ mortale. Vel ratione finis, vt ſi quis laudet aliquẽ ad hoc vt noceat illi corporaliter, vel ſpiritualiter. Vel ratione occaſionis, vt quum quis laudando fit alteri præter intentionem ſuam occaſio peccandi mortaliter.

Et primi duo modi, quia ſunt manifeſte contra charitatem, ſunt inexcuſabiles. Tertius autem cum grano ſalis intelligendus eſt, menſurãdo occaſionem peccandi an ſit data vel accepta, & an ſit cognitum & cogitatum à laudante, quòd is qui laudatur, ex huiuſmodi laude ruere ſolitus ſit in mortale peccatum. & rurſus an ex debito, an ſponte laudans laudet. In iis enim quæ ſunt ex ſuo genere recta & præter intentionem operantis alius ruit, nõ modicam hæc faciũt differentiam, vt in materia de ſcandalo declarabitur. Quum enim aliquis debet ex officio aliquem de bono aliquo opere laudare, etiam ſi ſciat laudatum in ſuperbiam mortalem ſe elaturum, non tenetur propterea

pterea desistere à debito officio: potest tamen & debet deponere huiusmodi scientiam de futura ruina illius: quia xii horæ sunt diei, & potest in instanti homo illuminari & mutari à diuina misericordia.

Est autem adulatio peccatum valde graue, & propter nocumenta maxima quæ affert humano generi (hinc enim facilè, vt Hiero. ait, mentes hominum corrumpuntur: & ad ea quæ laudantur quamuis criminosa accenduntur & assuescunt, in tantum vt mala non solùm desinant haberi vt turpia, sed habentur vt bona, & laude, honore, ac præmio digna: quo quid peius?) & propter excessum diuinæ offensæ: iuxta illud, Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur, exacerbauit Dominum peccator. Est autem peccatum veniale, quando vel laudatur aliquis de malis venialibus, vel de bonis, sola complacendi intentione, absque ruina, vel etiam ob aliquam vtilitatem cõsequendam vel non impediendam: vt de se patet.

Adulterium semper est peccatum: & multa inducere potest incommoda.

ADulterium quantùm ad crimen, est manifestè peccatum mortale: quantum verò ad damnificationẽ considerationẽ eget. Duplex enim habet, quamuis non semper annexum damnum alienum, vel successoris, vel hospitalis. Nam si proles ex adulterio suscepta marito matris succedit, vel ab eo dotatur, damnificantur hæredes legitimi. Et propterea vterque adulter, quia damni huius causa existit, tenetur secundum vires ad satisfactionem: aut manifestè, si negotium id patitur aut sub aliquo velamine, donando læsis per interpositam personam, aut per se quod potest. Verùm circa huiusmodi manifestationis negotium diu pensanda sunt: scilicet periculum & spes.

Si enim periculum ex manifestando adulterio infamet, occultè satisfiat vt melius potest: & reliquum diuinæ misericordiæ reseruetur: iuxta cap. Officiis de pœniten. & remiss. quia sicut cessante iudiciaria coactione non tenetur homo perdere vitam aut libertatem, vt satisfaciat debito pecuniario: ita nec tenetur perdere famam aut vitã in proposito, vbi de sola pecuniaria re agitur. Cessante autem periculo & vitæ, & famæ, & huiusmodi, si non potest aliter satisfieri, spes fructus futuri ex manifestatione adulterii pensanda est: puta si speratur, quòd maritus postquàm sciet prolem non esse suam dotabit illam, aut hæredẽ instituet: aut si speraretur, quòd proles audiens, propterea ingredietur monasterium, aut aliquod aliud remedium proueniet. Nam si fructus nullus speratur, quia de iure nec maritus nec proles tenetur matri adulteræ credere in huiusmodi, vana esset manifestatio adulterii.

Quò ad hospitaliũ verò damnificationẽ, duo consideranda sunt. Primum, quòd nullum peccatum est prolem exponere vt in hospitali alatur, ad occultandum huiusmodi adulteria, hæc enim est vna ex rationibus, quare loca hæc pia instituuntur. Secundum, quòd si pater aut mater prolis non est indigens, debet & satisfacere hospitali (quia bona huiusmodi hospitalium non in diuitum, sed pauperũ adminiculũ sunt & quantũ consumitur à non pauperibus, tantum indigentibus adimitur) & prouidere proli, vt bene instituatur, tenentur enim parentes non solùm alere & vestire, sed instruere per se, vel alios prolẽ propriam.

Aduocatus potest octo modis in officio peccare.

ADuocati & procuratoris iniquitates sunt octo. Prima est, assumere causam iniustam descendendam,

dam,ita quòd nouit esse iniustã Nec excusatur si non ad vincendũ,sed aut ad differendum, aut ad concordandũ, seu pacta aliqua ineunda hoc facit quoniam hæc omnia constat esse iniqua. Et similiter non excusatur,si iniquam causam in principali habens,vexat aduersariũ assumẽdo aliquod caput iustum:vt sub ac iustitia gradiendo, principale iustũ impediat,aut differat,aut etiã peruertat: oportet enim non solũ medium,sed finẽ esse non iniquum. Sed heu apud mundanos bonus aduocatus est, qui de mala causa facit bonã. Secunda est,nolle,aut negligere scrutari merita causæ assumendæ, sed qualiscunq; sit,assumere illam ruendam: quia hoc est nõ curare an id quod facit,sit iustũ vel iniustũ: quod est manifeste cõtra charitatẽ.

Tertia est prosequi causam iniustam,quam à principio putauit iustam: quia huiusmodi prosequutio iniqua est, vtpote iniuriam inferens aduersario,debet enim deserere causam, & mouere partem vt cedat seu prouideat sibi.

Quarta est,negligere studere, siue scrutari merita causæ,& adhibere debita remedia: ignorantia enim tunc tantum ipsum excusat, quando & quod debuit, non omisit. Quinta est,tacere iniquitatem propositę causæ suo clientulo, qui putat se rationem fouere. Semper autem credendum est putare clientulum se fouere iustam causam,nisi constet oppositum: quia quilibet præsumitur bonus &c. Huiusmodi enim taciturnitas, dolosa est & iniuriosa clientulo & aduersario. Sexta est docere clientem proponere aut dicere falsum,aut dolosè,& huiusmodi. Septima est,exigere à clientulo plus quàm debet. Et in his omnibus casibus interuenit peccatum mortale manifestè, quia contra iustitiam charitatemque fit, nisi imperfectio actus seu nocumẽti excuset à mortali, sicut in mortalibus cæteris imperfectio excusare à mortali non dubitatur.

bitatur. Octaua est, nolle, aut negligere aduocare in causa iusta pauperis: quum ipse aduocatus possit, nec appareat alius qui aduocet, & sine eius adiutorio, pauper opprimi creditur. In huiusmodi enim casu tenetur ipse aduocare seu procurare, sicut medicus medicare, si in simili periculo esset pauperis sanitas.

Alchimia quando sit vitiosa, & quando non.

ALchimistarum ars, non est illicita sine fraude, quia nihil repugnans rectæ rationi habet secundum se, Licet multi abutantur ea, aut imprudenter nouis compositionibus se occupent, aut fatuè facultates in fumum conuertant, Nec peccatum est, vendere rem per Alchimiam factam pro re quæ est: sicut cæteras res quocunque artificio factas, licitum est vendere pro his quę in veritate sunt. Iniquum autem esset vendere illam pro re quæ apparet, & non est, quoniam hoc est decipere proximum.

Ambitio quandoque in mortale, quandoq; in veniale peccatum imputatur.

AMbitio, hoc est inordinatus appetitus honoris, est manifestè peccatum. Non est autem mortale peccatum, nisi vel ex parte rei in qua appetitur honor: puta si quis vult honorari ob crimen aliquod. Vel ex parte finis: vt si cõstituatur in honore vltimus finis, puta si ob consequendum honorem non curat quis offendere Deum mortaliter, puta quia vult haberi vt Deus, vel preferri aliis quibus non est præferendus in distributione communium dignitatum: vel vult ob honorem quod quodcunque aliud mortale: vel econtra honor desideratur ad scelus aliquod perpetrandum, puta ad tyrannidem.

Apostasia tripliciter consideratur: & an semper

semper excommunicationem inducat.

APostasia est triplex: à fide, à religione, ab ordine. Et prima quidem manifestè peior est hæresi, vtpote excedens ipsam, totaliter tollendo fidem. Et ideò subduntur proculdubio apostatæ à fide, excommunicationi & reliquis pœnis hæreticorum. Apostatæ autem à religione, & excommunicati sunt ob habitus dimissionem, & in damnationis statu perseuerant, etiam si ab excommunicatione absoluantur, donec ad religionem regrediantur: quoniam talis status directè contrariatur religionis statui, ad quem constat de necessitate salutis teneri religiosum ex suo solenni voto. Tertia verò Apostasia tunc propriè incurritur, quum ab ordine sacro quis retrocedit, ad secularem rediens statum: quod constat sine mortali peccato non fieri, ob contemptum iuris canonici & voti, & ipsius ordinis sacri, ex suo nomine manifestè mancipantis hominem ad sacri ministerii statum. Quum autem aliquis non ex contemptu, à minoribus ordinibus seu prima tonsura recedit, abiiciens vitam & habitum clericalem, non propriè apostata dicitur, quia non est apostata: quia non retrocedit à statu firmiter mancipante diuinis, sed quasi ambulatorio, ex indulgentia canonum. Et si ex rationabili causa id facit (puta quia cogitur ducere viduam in vxorem, vel aliquid repugnans clericatui perficere) nō peccat: quia nullus errat dum rectam rationem sequitur. Si verò ex humana fragilitate id facit, veniale peccatum incurrit propter suam inconstantiam. Nec huiusmodi peccatum efficitur mortale, ex eo quòd deseritur Ecclesiasticum beneficium simul cum minoribus ordinibus: quia nec ex canonici iuris, nec ex voti alicuius vinculo, nec ex natura operis habet huiusmodi retrocessio vnde sit perniciosa. Iura siquidem hoc

permittunt, secundum indulgentiam, votum nullum est. Et si ex natura operis actus esset contra charitatem, nunquam posset quis licitè à clericatu & beneficio recedere, sicut nunquam licet mentiri. Imò plus sequitur quòd non posset hoc absque offensa Dei mortali fieri, vt de se patet.

Arrogantia quandoque venialis, quandoque mortalis est.

ARrogantia, qua sibi quis quod supra se est, tribuit (siue illud pertineat ad scientiam, siue ad potentiam, siue ad bonam voluntatem, siue ad autoritem) peccatum est, quia contra rectam rationem est. Sed mortale non est, nisi vel id quod sibi vsurpat, sit contra diuinam reuerentiam: vt, rex Tyri, Deus ego sum. Aut contra proximum, vt tyrannis, vel finis vltimus in huiusmodi illatione ponatur: quod ex eo apparet, quòd paratus est ob illam non curare de diuinis aut Ecclesiæ præceptis. Vel in despectione consistat aliorum: sicut Pharisæus. Non sum sicut cæteri hominum: velut etiam hic Publicanus. Licèt hoc ad secundum modum possit reduci: quia ex affectu arrogantis, quamuis non ex parte rei, vsurpatur superioritas despectiua proximi. Est ergo arrogãtia mortalis, vel ex parte arrogatæ rei contra Deum, aut proximum vel ex parte finis in huiusmodi elatione constituti, vel ex parte affectus intorquentis arrogantiam contra alios. Est autem frequenter venialis arrogantia, dum absque præiudicio proximi æstimat quis se plus scientiæ, aut bonitatis, aut autoritatis habere, quàm habeat &c. Nec inter lenia peccata computandum est, quum quis se æstimat meliorem quàm sit quoniã & species est superbię (de qua scriptum est, Et mundabor à delicto maximo) & obicem ponit studio ad gradiendum iuxta mẽsuram suam in via Dei:

sicut

sicut quum quis æstimat se doctũ, non curat discere.

Assassinus nomen quid significet.

ASsassinus nomen est æquiuocum, est enim nomen proprium quorundam infidelium, qui facile inducebantur ad occidendos Christianos. Et contra non ipsos, vtpote infideles, sed contra mandantes per ipsos aliquem Christianum occidi, Innocen. iiii. in Concil. Lugd. excommunicationem promulgauit: vt habes in vi. de homicidio. Pro humani. Est etiã nomen vitii, pro quãto apud quosdam iuristas, seu vulgariter dicuntur assassini, qui pro pecunia occidũt hominem, ad alicuius instantiam. Et hi nõ comprehenduntur sub censura dicta, quamuis digni sint morte & temporali & æterna: quia conditor canonis de primis tantùm loquitur, vt facilè deduci potest, & ex eo quòd sine additione aliqua illos nominat (vtpote tũc temporis notos) & meminit eorum domini, & ex eo quod meminit opprobrii Christianæ dignitatis, & nullius pretii seu mercedis.

Obseruatio astrorũ an et quãdo sit vitiosa.

ASstrorum obseruatio ad natiuitates hominum & occurrentia humana, tripliciter peccato subiici potest. Primò, si ea quæ fidei Christianæ mysteria sunt, tanquam subsint cœlestibus causis habeantur. Secundò, si futura contingentia quærantur, seu habeantur vt certa ex cœlestibus causis. Tertiò, si electiones suas quis subiiciat cœlestibus causis, vt legi illarum, ita quòd vitam suam, actionesq; suas regulet secundũ cœlos. Et quodlibet horũ triũ est ex suo genere peccatũ mortale: quia primum est cõtra spiritalitatẽ Christianæ religioni, quæ super cœlos est, immutare potens etiã ipsos cœlorũ cursus, iuxta id quod scriptum est, Confessio eius super cœlum & terra, & experientia testata est. Secundum verò est contra

veritatem

veritatem doctrinæ Christianæ, & liberi arbitrii quo domini sumus nostrorum operum. Tertium est contra dignitatem gratiæ diuinæ legis, ac humanæ mentis, qua super omnia corporalia sumus constituti. Et sicut erraremus nos subiiciẽdo passionibus iræ. (odii. spei, timoris, ita quòd haberemus impetus passionum pro lege: ita vilificamus nos, si inclinationes cœlorum habemus pro lege: corpora enim sunt, & per modum passionum inclinant nos. Si quis autem cœlestium influxuum causas vt inclinatiuas ad ea quæ ex corporibus pendẽt humana, suscipiat: nec errat, nec peccat: ita quòd ex consideratione astrorum timere, cauere, audere, &c. aliquid quatenus ex corporibus pendet, nullum peccatum est, seruato moderamine coniecturæ, vt scilicet homo, non pro certo, sed cõiectura habeat quicquid ex cœlo dicitur circa humanas actiones: non ex ratione, quia catenus scientia astrorum: sed quia non subiiciuntur actiones humanæ cælo, nisi per indirectam inclinationem, hoc est nisi pro quanto pendet à corporibus. Secundum hæc igitur iudicare potes eos, qui astrologorum iudicia sequuntur circa humana. De astrorum autem iudicis circa corporales effectus (puta sanitatis, vel infirmitatis, fertilitatis, vel sterilitatis, pluuiæ, vel siccitatis) nulla est quæstio, quia hæc absq; peccato fiũt: quoniã effectus quęrũtur, & reducũtur in suas causas naturales.

Astutia quo casu vertatur in peccatum vel mortale vel veniale.

Astutia (hoc est progressus per simulatas, dolosas, ad fraudulentas vias ad effectum seu finem aliquem) est manifestè peccatum. Et iuxta subiectam materiam inuenitur vel mortale, vel veniale peccatum. si enim nociua est proximo, inter mortalia cõputatur, sicut & mendacium pernicioſum, si autem

contra

contra charitatem non militat, sed officiosa tantum est, inter venialia computatur.

Auaritia diuersi mode considerandа.

AVaritia dupliciter sumitur. Vel vt opponitur iustitiæ, & sic significat iniustam voluntatem accipiendi seu retinendi alienum: & est manifestè peccatum mortale. Et iuxta hunc sensum, vsurarios, fures, latrones, negotiatores, fraudulentos &c. auaros dicimus. Vel vt contrariatur liberalitati: & sic significat inordinatum appetitum pecuniæ: & sic communiter est peccatum veniale. Iuxta hunc siquidem sensum auari vocantur tenaces, & parci in dando. de quibus dicitur, quòd auaro deest tam quod habet, quàm quod non habet. Et similiter qui tota die ac nocte in angustiis aut laboribus sunt, vt acquirant quibus non egent. Dico autem communiter, quia tantus posset esset affectus ad acquirendum aut retinendum, quòd esset peccatum mortale: puta si actualiter præponeret acquisitionem aut retentionem saluti animæ suę, non curando propterea transgredi Dei aut Ecclesiæ præcepta. Simpliciter autem & absolutè non est peccatum mortale ex suo genere, quia non est contra, sed præter charitatem.

Audaces an & quare dicantur vitiosi.

AVdacia nomen est passionis animalis, sicut & ira & timor. Et iuxta hunc sensum dicitur quòd fortitudo est circa timores & audacias. Sed translatum est audaciæ nomen ad vitium oppositum fortitudinis virtuti per excessum. Iuxta quem sensum audaces reprehendimus, qui scilicet immoderatè audent. Et si pura est, communiter est peccatum veniale, sicut immoderata iracundia & immoderatus timor, quia non contrariantur charitati, sed à recta exorbitant rationis regula.

Diuinatio

Diuinatio superstitiosa est: & Christianæ religioni aduersa.

ARuspicium, Augurium, Auspicium, tria hæc, pro diuinationibus superstitionis sumpta Christianæ religioni aduersantur, vtpote ad sacrilegas artes diuinatorias, quibus idololatræ vtebatur, spectantia: & propterea constat esse non solùm cõtra charitatem, sed quodammodo contra fidem. Differentia tamen inter hæc est, quod Aruspicium iniquitatem suam sonat, pro quãto à sacrificio seu ara non recedit. Augurium autẽ & Auspicium si sine damnatis artibus fiant, capiendo cõiecturam futuri euentus ab audito garritu, aut inspecto motu auium &c. quandoq; tolerari possunt, vel vt nõ mala, si debitæ adsint circunstantiæ: puta quòd ex his non sumatur nisi suspicio seu coniectura, & de his tãtùm ad quæ cœlestia corpora possunt se extendere: & quòd sicut in cæteris suspicionibus prudenter se habet homo. ita & in istis, Vel vt venialia: si aliqua circunstantia desit: puta quia nimis credit aut timet propter huiusmodi signa. Qui autem his signis adeò deditus est, vt pro lege operum suorum habeat huiusmodi signa, sine causa Christianus est.

Bellum quando dicatur iustum vel iniustum licitum vel illicitum.

BEllum iniustum, ex propria ratione constat esse peccatum mortale. Circa quod primò videndæ sunt conditiones ex quibus bellum est iniustum. Et quia ad iustum bellum tria exiguntur (scilicet primò iusta causa bellandi: secundò autoritas indicendi bellum: tertiò recta intentio) ideo bellum tripliciter cõtingit inueniri iniustũ: vel ex defectu iustitiæ in causa, vel ex defectu autoritatis in capite, vel ex defectu rẽ-

stitutio-

stitutionis in intentione: quicunq; siquidem horum defectuum acciderit, bellū redditur iniquum. Et quidem de iusta causa Augustinus dicit xxiii. quæstio. ii. Dominus noster. Iusta bella solent definiri, quibus vlciscuntur iniurias: si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel vendicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est. De autoritate verò principum. xxiii. quæstio. i. quid culpatur idem dicit: Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc postulat, vt suscipiendi belli autoritas atque consilium penes principes sit. De rectitudine autem intentionis idem dicit ibidem: Noscendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacabilis animus, feritas bellandi, libido dominandi, & si qua sunt similia. Hęc sunt quæ in bellis iure culpantur.

Tu autem confessor, qui iustam causam belli certa ratione inuenire nequis, fide dignis credere potes. Principis autem nomine in proposito intellige rempublicam perfectam hoc est papam, Imperatorem, Regem, dominium liberū, hoc est quod superiorem non habet, sed est velut princeps. Intentionem quoque malam, vitiosam reddere bellum secundum alias conditiones iustum intellige sicut latronis quoq; iusta punitio vitiosa redditur, si ex odio iustitia exerceatur, peccatur enim ex prava intentione in opere iusto, Et ideo sola pœnitentia aboletur. nec est opus restitutione: quoniam læsus latro vel debellatus, est iustè læsus, in nulloque, iniustè damnificatus, quamuis ex parte animi iustitiam exercentis malitia affuerit, in suæ animæ damnationem nolens iustum iuste efficere.

Causa verò iusta aut autoritas si defuerit in bello, non bellū, sed inuasio de facto, cædes, rapinamque est. Secundò de militantibus in bello dubio considerandum est, dicendo quòd bello iusto opem ferre, nul-

nullum peccatum esse constat, si certum est esse iustum. Si verò certum non est, subditi principis indicentis bellum excusantur, obedientes domino suo dicente Augustino. xxiii. quæstio. i. quid culpatur. Vir iustus si fortè etiam sub Rege & homine sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est: ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. Excusatur ergo subditus in bello, de quo nescit an sit iustum, ratione obedientiæ: sicut etiam excusatur minister iudicis occidens damnatum per sententiam, si non continet errorem manifestum. Et vniuersalis ratio quare obedientia in dubiis excusat est: quia non est subditorum discurrere consilia definitionesque dominorum suorum, sed præsumenda sunt iusta, nisi manifestam contineant iniquitatem. Non subditi autem non excusantur. Nec excludo à subditis milites illos mercenarios, qui sub continuis stipendiis Regis alicuius degunt, tam pacis, quàm belli tempore. hi siquidem tanquam subditi habendi sunt. Sicut ministri conducti ad exequutionem iustitiæ, non oportet esse subditos, sic quod sint inde oriundi: sed sat est, quòd inueniantur conducti ad officium iustitiæ, ad hoc vt excusentur, si contingat ignoranter exequi iniustã sentẽtiam.

Fac ergo confessor differentiam inter extraneos, qui tempore dubii belli inueniuntur prius stipendiati ad bellica exercitia talis Regis absolutè, & illos qui tunc conducuntur. Nam primi reputantur tanquam conducti ad iusti belli ministerium: & ordo seruiendi quo subesse Regi noscuntur, facit vt non sit eorum discutere adamussim iustitiam belli. Secundi autem similes sunt illis, qui sub dubio iudice conduci vellent: quos constat non tutè exponere se

periculo

periculo iustitiæ exercendæ. Qui autem siue subditi siue non subditi, audito belli nomine, non curantes de belli iustitia, ad pecuniæ sonitum currunt: extra conscientiæ scrupulos sunt: manifestè enim sunt in statu damnationis æternæ donec resipiscant, sicut qui currunt ad clades & prædas, non soliciti de iusto vel iniusto. Tertiò de reuocatione belli est soluenda quæstio illa: an post inchoatum bellum hoste iniquo offerente satisfacere, teneatur habens iustum bellum desistere à bello. Dicimus siquidem distinguendo tres status belli (scilicet principium, medium, & quasi finem) quòd in principio belli, hoc est, postquam bellum est indictum, congregatum, &c. ante tamen conflictum, ex quo vindictæ negotium adhuc est integrum, tenetur princeps admittere satisfactionem, & reuocare bellum. Et ratio est, quia bellare non est voluntatis, sed necessitatis, vt Augu. dicit xxiii. q. i. noli. In proposito autem cessat necessitas belli, ex eo quòd offertur satisfactio, re adhuc existente integra. Sed esto sanus lector, & intellige hæc de satisfactione plena: hoc est non solùm, iniuriæ, seu rerum, sed sumptuum & damnorum, &c. Postquam autem semiprœliatum est, & mortes hominum hinc inde intercesserunt, non tenetur habens iustum bellum reuocare bellum, propterea quia hostis nunc offert satisfacere. Et ratio est, quia habens iustum bellum, gerit personam iudicis criminaliter procedentis. Et quòd gerat personam iudicis, patet ex eo qnòd prælium iustum est actus vindicatiuæ iustitiæ: quæ propriè est virtus principis seu iudicis: non enim est priuatæ personæ opus vindicare: scriptum est enim, Mihi vindictam. Quòd verò criminaliter procedentis patet ex eo quod procedit ad cædem, ad seruitutemque personarum, & damnũ rerum: hæc enim omnia iustum bellum infert, quamuis hodie à seruitute inter

Christianos abstineatur. Manifestatur quoq; idem, quod habens iustum bellum, non est pars, sed ex ipsa ratione necessitante ad bellū efficitur iudex hostium suorum, ex eo quòd eadem ratione potest princeps in perturbatores suæ reipublicæ intraneos & extraneos vti gladio propria autoritate: scilicet ex ratione perfectæ reipublicæ. Non enim est perfecta respublica, cui deest potestas vindicatiua à iustitia mediante, siue contra perturbatores reipublicæ intrinsecos, siue cōtra perturbatores extrinsecos. Et nisi sic sit, quū par in parem non habeat imperium, bella omnia iniusta essent nisi defensiua. Quia igitur habens iustum bellum, gerit personam iudicis procedentis secūdum vindicatiuam iustitiam aduersus extraneos perturbatores reipub. & in medio belli iam effectus est dominus causæ: non existente amplius integro negotio vindictæ potest (nisi misericordia vti velit) prosequi bellū, & vindicatiuam exercere iustitiam gladio bellico. Sibi autem hostis imputet, quòd reduxit se ad eum statum, in quo iustitia vindicatiua potest ab alienis cōtra se exerceri. fuit enim in potestate sua offerre prius satisfactionem. Et si contra hoc iactetur, quòd continuatio belli in hoc casu non esset necessitatis, sed voluntatis, quoniam interrupta est necessitas bellandi ex noua oblatione satisfactionis: respondetur quòd huiusmodi noua oblatio satisfactionis non habet vim interrumpendi necessitatem belli iam semiactii quia non amplius spectat ad habentes iniustum bellum satisfacere: sed spectat ad eos satisfacti secundum iudicium habentis iustum contra eos bellum. Ex eo namque quòd ipsimet habentes iniusti belli causam, noluerunt quum possent & deberont satisfacere, sed bellum committere, translati sunt à iure rationis rectæ de ordine satisfaciendi in ordinem satisfaciendi à iusto bello, & propterea ex rectæ rationis dictamine,

non ex parte reorum, sed ex parte iustitiam vindicantium exercentium pendet, an vindicta continuanda sit gladio bellico, subiiciendo sibi hostes, & terram eorum (quod est facere hostes satispati) an via restitutionis seu satisfactionis. Eadem ergo necessitate qua cœptum est bellum, continuari potest, si principi videtur expedire: quia necessitas illa non est interrupta respectu cepti belli contra nolentes satisfacere in statu satisfactorio. Licet enim mutata sit voluntas reorum: & velint postea satisfacere, quia tamen non sunt amplius in statu satisfactorio, sed volũtariè subiecerũt se statui satis passorio (vt sic loqui liceat) ideo perseuerat prima necessitas & autoritas de bellandi: sicut apud dominũ perseuerat post habitum seruum pro debita pecunia autoritas retinẽdi seruum, quantumcunque ille vellet soluere quod debebat. Et hinc patet, quòd multo magis ex arbitrio principis iustẽ bellantis pender continuatio belli, quum bellum est quasi in fine, licet offerant hostes satisfacere.

Quartò, de damnis ex bello illatis scito quatuor. Primò quòd damna omnia ex iusto bello illata, non solùm repugnantibus, sed cuilibet membro reipublicæ contra quam est iustum bellum, absque peccato sunt: nec ad restitutionem tenentur qui intulerunt, etiam si innocentes contingat per accidens damnificari. verbi gratia: si ciuitas aliqua ex iusto bello in prędam daretur, liceret cuiusque ciuis bona diripere, licet aliquis eorum fortè esset innocens: quia sententia iustitiæ bellicæ non tenetur discutere, an aliqua pars reipublicæ sibi iniustè hostis, sit innocens: quia præsumitur tota hostis, & totum habet pro hoste: & propterea totam damnat ac diripit. Et per se loquẽdo ille iustè accipit, quamuis aliquis innocens per accidens iniustè patiatur, quæ enim sunt per accidens, extra regulas sunt; secus autem esset, si ex intentione

ageretur contra innocentem. Notanter autem nominaui membra illius reipublicæ, quoniam personę Ecclesiasticæ, quæ non sunt partes populi, non iustè diriperentur. Vbi secundum prætereundum non est, quasdam personas esse à iure canonico exemptas à damnis bellicis. quas habes extrà de pace & treuga. cap. Innouamus. vbi dicitur: Innouamus vt presbyteri, monachi, conuersi, peregrini, mercatores, rustici euntes vel redeuntes, & animalia quibus arant & semina portant ad agrum, securitate congrua lętentur. Et xxiiii. q. iii. cap. Paternarum. explicātur etiam oratores. Quos canones rationabiles ac sanctos quātùm ad id quod positiui iuris continent, an abusus deleuerit, nescio. Verùm per mercatores intelligo non negotiatores qui ibi residēt, sed illos qui hospitantur aut transeunt: quoniam mercatores incolas non video melioris esse conditionis, quàm artifices. Tertium est, quòd bello existente iniusto tenentur omnes de damnis illatis: nisi ex ignorantia legitima excusentur: quæ tamen non excusat à restitutione ablatarum rerum apud se manentium, postquàm compertum est fuisse bellum iniustum. Quartum est, quòd siue iustum siue iniustum sit bellum, debent seruare bellatores regulam Ioannis Baptistæ illis datam: scilicet. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & estote contenti stipendiis vestris. Peccant siquidem mortaliter, opprimendo rusticos, & hospitantes ad discretionem, imò ad destructionem, & alia huiusmodi latrocinia committendo. Nec excusantur, quia non datur eis stipendium: quoniam ex hoc rusticorum & ciuium res non obligantur illis. Nec dissimulatio aut autoritas capitanei aut principis excusat: nisi in pœnam rusticis aut ciuibus iustè infligeretur hoc fieret: quoniam princeps debet ex prouentibus quos totus status proportionaliter tribuit, militibus stipendia

dia sufficienter tribuere: & non debent isti particulares vexari. Lex enim iniusta est ex forma, quæ non secundum proportionem grauat populum. Si tamen probata consuetudo obtinuit, vt ligna & paleas militibus hospites gratis tribuant, non damno: quasi enim sorte quadam contingit ob hoc quasdam terras seu villas præ aliis grauari.

Diebus festis bellum exercere an sit peccatum.

BEllum exercere in diebus festis absque necessitate peccatum est, propter inquietudinem diuertentem à sanctificatione festorum. Non tamen est mortale peccatum, si diuina non omittantur, putà missa: quia non est opus seruile. Et simile est iudicium de aliis diebus, quibus prohibitum est à sacris canonibus præliari: scilicet in aduentu & quadragesima &c. vt in capitu, Treugas extra de treuga & pace. si tamen iura hæc subsisterẽt: nam abrogata per non vsum dicũtur.

Ecclesiastica beneficia appetere & procurare quando licitum sit vel non.

BEneficium ecclesiasticum considerandum est primò quòad ingressum, tam de appetitu, quàm de procuratione. Apertè siquidem Ecclesiasticum beneficium, siue curatum, siue absque cura, nullum ex suo genere peccatum est: quoniam huiusmodi obiectum est intra ordinem appetibilium recta ratione: & propterea Apostolus absolutè dixit: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Peccatum autẽ contingit ex defectu alicuius circunstantiæ requisitæ: puta quis, cur, quomodo &c. Et quoniam frequentissimè secundum primam circunstantiam in huiusmodi appetitu peccatur; ideo Apostolus statim subdit de

circunstantia quis, apponendo conditiones requisitas ex parte personæ ad rectum appetitum episcopatus, dicens: Oportet autem Episcopum esse irreprehensibilem &c. Et quoniam peccata ex parte circunstantiarum facilè parere possunt applicanti ad subiectam materiam: nos ad specialia descendendo dicimus, quòd beneficium plenè curatum (quale est Episcopatus) tunc tantum ex parte personæ licitè appetitur, quando appetens nouit se habere conditiones requisitas ad Episcopum: & similiter non plenè curatum (quale parochia est) quum quis habet conditiones requisitas ad presbyterū parochialem: & sic de aliis. Et hoc concurrentibus etiam ex parte personæ aliis circunstantiis comparatiuis debitis. Vbi scito, quòd persona appetens debet seipsam mensurare per respectum ad tria, scilicet ad regimen animarum, ne præsumptuosè ad artem artium relatum se inueniat, & ad oues quibus pascendis vacaturus est, vt tantùm distet vita sua ab illis, quantum vita pastoris à grege: & ad alios quibus tribui potest aut debet tale beneficiū ne se dignioribus aut æquè dignis anteponat. Et hic tertius respectus habet locum etiam in appetitu beneficiorum sine cura. debet enim secundum rectam rationem appetitum sic moderari, vt absque vitio acceptionis personarum appetat sibi prouideri de beneficio in communi vel hoc. De circunstantia quoq; finis, aduertēdum est, ne beneficiū appetatur propter finem malum: putà delicatam & opulentā aut splendidā vitā ex Christi patrimonio &c. & sic de aliis circunstantiis. Discernere aūt inter peccatū mortale & veniale in deordinato appetitu beneficii: non est difficile, præsertim si beneficium est curatum, & maximè si est perfectè curatum: nam si appetens paruifacit commensurare seipsum ad artem artium (hoc est curam animarum) & alias commēsurationes postponit

ob appetitum beneficii, proculdubio mortale peccatum incurritur: quia contra charitatẽ omnium Christi appetitur si beneficiũ est curatum; & cõtra iustitiam distributiuam saltem appetitur, si beneficium non est curatũ. Intellige lector quæ dico: nam si quis appetit simplici intentione beneficium communiter aut sine cura, non cogitans de dignioribus se, non peccat: quia subintelligitur, quòd appetat habere licitè, in hoc aũt quod est habere licitè, includitur quòd detur sibi sine Dei offensa. Et similiter si quis cogitat de dignioribus se, & non intendit illos impedire, sed pro se ipso procurare vt habeat licitè, non peccat eadem ratione, potest enim contingere vt superior sanctè det illi quĩ minus dignus videtur, & est absolute propter aliquas circunstantias singulares tunc occurrentes, efficientes vt dignior pro nunc postponendus sit.

Beneficium autem quodcunque pro se petere aut procurare, eiusdem moris est, cuius est appetere illud. Et propterea quandò appetere est damnabile, petere quoq; damnabile est. Eget tamen aliqua circunstantia petere, qua non eget appetere: quia est actus exterior qui potest scandalizare, & propterea eget maiori rectitudine. Et scias, quòd à doctoribus petere regimen animarum ideo damnatur: quia vix possibile est vt homo integri sensus & rectæ mentis, reputet seipsum habere supradictos tres respectus personales: sine quibus petere simpliciter & absolute, est præsumptuosum, ac per hoc indignũ reddit petentem. Dico autem simpliciter & absolute: quia tam appetere quã petere secundum quid (hoc est si superiori videtur expedire, cognoscendo se indignum, cum tremore cõmittendo negotium Deo, pro honore Dei, & salute Ecclesiæ) non est perniciosum, quamuis sit veniale, nisi charitas moueat: quoniam hoc non est petere: sed offerre & sic opus est. Et si charitas vere mouet, meritorium

est: sicut Esaias, Ecce ego, mitte me: & Martinus, Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Memento quoque non versari in magno periculo, qui indigens & idoneus cum tremore &c. se offert: petendo secundum quid beneficium vacans cum cura animarum imperfecte, puta parochiam: quia cura animarum proprie & plene solius Episcopi est. In cuius signum & solus sponsus est ecclesiæ, & non potest Ecclesiam deserere eundo ad religionem. Reliqui enim sunt adiutores Episcopi ad curam animarum. Contingit autem (& vtinam non sæpe) appetentibus & petentibus beneficia, procuratio simoniaca per munus à lingua vel ab obsequio: de quibus inferius patebit, quum de simonia dicetur. Beneficium ecclesiasticum secundò cõsiderandum quò ad progressum est, & quantum ad seruitium personale, & quantum ad prouentus. In beneficio siquidem de iure requirente residentiam, peccatum est siue rationabili causa non residere. Et si beneficium est curatum, non residere absque rationabili causa, peccatum communiter mortale est: pro quãto damnum infert animarum: nisi propter imperfectionem actus excusetur à mortali: infert enim contrarium naturali iustitiæ qua tenetur ipsemet ex suscepto officio gerere ouium Christi curam, quæ regulariter sine residentia non potest haberi vt debet, quum etiam præsentes & solicite studentes circa animas, vix regnant vt tenentur. Iniustitia enim ex suo genere mortale peccatum est, quamuis propter imperfectionem actus sit quandoque venialis. Est etiam cõtra debitam charitatem Christo. Nam amor eius non est apud eum, qui parupendit quæ maxima sunt Christi: salutem scilicet animarum sibi commissarum. Etenim experiẽtia testatur, quàm male se habeant in spiritualibus & in temporalibus Ecclesiæ Christianæ propter absentiam

pastorum,

pastorum. Antiquum prouerbiũ est, tam quod oculus domini impinguat equum, quàm optimũ finum vestigia Domini. Excusare tamen potest absentiam fine rationabili causa à mortali imperfectio actus, vel propter paruitatem temporis, vel propter paruitatem damni: & si quid est huiusmodi, peccatum quoq; est, beneficii Ecclesiastici prouentus malè expendere, vt patet. Mortale autem est, si eo quod superfluit necessitati naturæ & personæ, mala dispensatoris fide abutitur: vt si inde ditat propinquos, aut in pompis & luxibus exponit: & alia huiusmodi exorbitantia & enormia facit: quia non Dominus, sed dispensator est ecclesiasticorum prouentuum, & debet primò sui, deinde Ecclesiæ, & propinquorum, & in aliorum indigentium curam gerere: non vt diuites alii fiant, sed ne indigeant. Beneficium Ecclesiasticum tertiò, quo ad multiplicationem considerandum est, quando est peccatum, & quantum. Ad quod discernendum nosse oportet, quòd multiplicare in vno beneficia, non est ex suo genere peccatum. quia si esset ex se peccatum, nulla vnquam ratione liceret habere plura beneficia. Neque est ex suo genere bonum aut indifferens mortaliter: quia sonat quandam dissonantiam, scilicet plura stipendia dari vni. Regulare quippe est, vt vnum vni detur. Sed est de genere nociuorũ, quæ ex adiuncta ratione possunt honestari, sicut percutere hominem, quod nec ex se peccatum, nec bonum, nec indifferens mortaliter est, sed sonat malum hominis quod potest ex adiuncta iustitia propter bonum publicum &c. honestari. Accipere siquidẽ plura beneficia, sonat quid nociuũ Ecclesiæ, & diminuendo ministros cultus diuini, & occupando quod multorum deberet esse, & animarum quandoque curam debitam impediendo: hæc enim nocumenta constat ex pluralitate beneficiorum inferri sanctæ Ecclesiæ.

Posset tamen talis necessitas aut ratio superuenire, quæ aut tolleret huiusmodi nocumenta, aut efficeret non esse inconuenientia: & sic redderet pluralitatem beneficiorum licitam. Et hæc ratio maximè ex parte Ecclesiarum pensanda est: non enim propter bonum personæ, sed propter bonum Ecclesiarum tolluntur huiusmodi inconuenientia.

Mortale autem peccatum in huiusmodi pluralitate interuenit, quando non propter rationabilem causam obtinet quis multa beneficia incompatibilia: & vnus quidem occupat loca multorum: alii autem esuriunt, &c. quia huiusmodi pluralitas est iniusta contra æqualitatem iustitiæ distributiuæ: Nec excusatur peccatum mortale propter dispensationem papæ sine rationabili causa: quoniam dispensatio papæ cadit super ius positiuum, & non super ius diuinum aut mortale: pluralitas autem beneficiorum sine rationabili causa, est contra ius diuinum, & mortale, quo communio Ecclesiæ bona distribui iustè debent partibus Ecclesiæ. Nec obstat, quòd beneficiola plura dicuntur licitè dari vni: quoniam in omni genere propter imperfectionem actus minima excusantur. Beneficium siquidem adeò tenue quod non sufficit ad sustentandum ministrum, nō est beneficium nisi imperfectè: quoniam non potest sana ratione institui, vt vnum sit in vnius stipendium. Et propterea de his minimis fit vt melius fieri potest, quousque minister habeat sufficienter vnde viuat: quoniam propter ministros sunt beneficia, & non econtra.

Siste tamen hic confessor pedem, circa iudicium illius qui iam cum dispensatione sine rationabili tamen causa habuit & possedit plura incompatibilia, ne præceps neges absolutionem: oportet enim discernere, an iste teneatur de necessitate salutis renuntiare reliqua reseruato sibi vno, quod non facile est quan-

do

do beneficiis bene prouidetur per vicarios.

Vbi scito, duo esse in hoc potissimum pensanda. Primum est damnum ecclesiarum. Secundum est inæqualitas distributorum beneficiorum. Et quidem damnum Ecclesiarum quātum ad temporalia, & reparationem opportunā, siue templi, siue paramentorū, &c. & numerum ministrorum diuini cultus, & ipsum diuinum cultum, & ministrationem sacramentorū, facile cognosci potest: quoniā hæc subiacēt sensibus. Sed quantū ad curā animarum, si beneficia sunt curata, oportet hominē non seipsum fallere: quia quū iste det operam rei illicitæ, scilicet cōseruationi pluriū incompatibiliū absq; rationabili causa, non excusatur ex illa causa illicita à residēdo, ad vacandū curæ animarū: ac per hoc sibi imputatur coram Deo etiā leuis culpa in damno animarum. Et propterea etsi possibile est, difficile tamen ac ratū videtur, quòd absq; notabili dāno ecclesiarū huiusmodi pluralitas continetur. Et quando sic accidit, negāda esset absolutio: quoniam notabilis damni Ecclesię conseruatio volūtaria, absq; rationabili causa, nō est absq; peccato mortali. Ex parte autem iniquæ distributionis aduertendum est, quòd nō est idē iudicium de distributione quando fit & post factum. nam quando fit, clarum est iniuriam fieri dignioribus qui postponūtur, & peccatū iniustitiæ distributiuæ committi. Postquàm autem distributio licet mala facta est, & Episcopatus datus est minus digno, nō periclitatur amplius distributio, sed res distributa, putà episcopatus. In cuius signum constat non teneri istum minus dignum ad renuntiandum Episcopatum: sed ad bene regendum, &c.

Ex hoc autem quòd non ad distributionem, sed ad beneficia distributa spectandum est post factum, pensanda veniūt tria. Primò, damnū Ecclesiarū quas habet: de quo dāno iam diximus. Secundò damnum

clerico-

clericorum bene meritorum in illis partibus vbi sunt hæc beneficia: qui deberent ex his beneficiis & honorari & pasci. Tertiò, scandalum bonorum virorum qui vident huiusmodi exorbitantes distributiones cõseruari ab his qui in formam gregis Christiani dati sunt. inde enim alii similia audent: & sic in præceps ruit ecclesia Christi. Et propterea qui hæc paruipendit, quia sic communiter à tot fit, & quia fortè papa dissipando dispensauit, non esset absoluendus: vt absque alia probatione clarè patet. Qui verò hæc æstimat, prouideat opere & veritate, vt hæc mala non sint: alioquin tepidus est & euomendus.

Beneficia Ecclesiastica semper sunt dignioribus & magis sufficientibus conferenda.

BEneficium demum Ecclesiasticum, nõ solùm idoneo & digno, sed etiam ita vt dignior non postponatur, conferri debet secundum Deum & cõscientiam, quamuis secundũ iura sufficiat eligere dignum. Et ratio est, quia vitium acceptionis est personarum postponere digniorem nunc hic, & secundum cæteras circunstantias. Et hoc intellige, quando collator liberè habet in sua potestate prouisionem, nam vbi sola confirmatio electi aut præsentati à patrono spectat ad eum, sufficit quòd detur digno: quoniam ex hoc ipso quòd electus aut præsentatus est, tanquam dignior habetur. Et similiter quum renuntiatur beneficium in fauorem alicuius, sufficit collatori quòd ille sit dignus: quoniã æquitas præfert aliis illum tunc pro sic vacante beneficio. In cuius signũ nullus conqueritur, quando per viam renũtiationis digno confertur beneficium, quantumcunque digniori conferendum fuisset, si alia via vacasset. Et hæc omnia intellige de beneficio formaliter; hoc est, quatenus est

beneficium

beneficium honoris & prouentus bonorum temporalium, nam sic ad regulas distributionis cõmunium bonorum reducitur. Dico autem hoc, quia si ad principale secũdum veritatem in beneficio inuẽtum (hoc est officium pascendi, ministrandi diuina, persoluendi, &c. spectetur) non esset distributio bonorum, sed malorum, hoc est onerum. Et sufficeret eligere dignum: quoniam cessat ibi ratio acceptionis personarum, qua in bonis dignior postponitur.

Conferre autem pueris Ecclesiastica beneficia, existentibus alijs adultis idoneis, non solum inexcusabile, sed intolerabile videtur: tum quia pueri sunt solum idonei in spe, adulti autem in re, tum quia officium diuinum deuotè & studiosè persoluere nequeunt: quum nec humana officia valeant exercere, nisi vt pueri: & tamen beneficiatorum nullus excusatur ab officio diuino. Nec est verum, quòd secundum iura canonica concedantur beneficia pueris, imò expresse hoc reprehenditur. extrà de præben. capi. super inordinata. Et si alicui sunt ordinatæ aliquæ præbendæ pro pueris, vide illorum statuta: & vt puto inuenies, quòd non sunt beneficia ecclesiastica, sed quædam prouisiones ad sustentandos & alendos pueros in seruitio Ecclesiastico. Vnde non tenentur tales ad officium diuinũ: sed ad id, ad quod sunt quasi conducti.

Bestialitas in moribus cognoscitur. bestialis enim homo non percipit quæ Dei sunt.

BEstialitas in mortalibus, est genus vitii plusquàm humani. Et multis materiis communis est, in quibus efficitur homo sicut bestia, vel in cõuersando, vel in comedendo, vel in coitu, vel in persequendo seu occidendo. Et constat propterea semper esse peccatum. Si tamen mentis compos sit. Et communiter est mor-

mortalissimum, nisi propter imperfectionem actus, vt si quis ambulet manibus & pedibus. Bestialitas enim hæc venialis est, turpissima tamen, nisi ioci gratia fiat.

Blasphemia Deum habens pro obiecto, semper est peccatum mortale.

BLasphemia peccatum mortale grauissimum est: quia est contra Deum. Et consistit in dicendo aliquid, quod Deo non conuenit: puta Deum esse iniustum. Vel negando aliquid quod Deo conuenit: puta Deum non curare de nostris, vel tribuēdo quod Deo soli conuenit creaturæ: puta quòd diabolus est omnipotens: aut quòd fatum regit omnia. Vel Deo aut sanctis iniuriam irrogando, puta maledictus sit, &c. Et ad hunc modum reducitur blasphemia irrogantium iniuriam Deo aut sanctis, dum indignati resonā membra eorum pudenda: siue quæ habent, siue quæ non habent. Et scias, quod licet blasphemia multos habeat gradus (dum grauior est contra Deum, quàm contra beatam Virginem: & hæc grauior quàm contra sanctos: & rursus grauior est quæ ex affectu detestatiuo Dei aut sanctorum, quàm quæ ex passione extranea aut mala consuetudine: quasi non sit virilis animi, qui loquitur sine blasphemia, vt videtur apud multos inoleuisse) omnes tamen sunt eiusdem speciei. Nec vnquàm excusatur quis à mortali, si sit mentis compos, nisi inaduertentia esset in causa: hoc est si ex lapsu linguæ protulit verbum blasphemum, non aduertendo sensum verborum: ita quòd si aduertisset, certus est quòd non dixisset, tunc enim fuit blasphemia non formaliter, sed materialiter tantum. Scito quoque, quòd dicere ad sanguinem Dei vel ad Dei: siue inuocando per modum iniuriantis: siue resonando in rixa aut turbatione contra aliquem, non est blasphemia; quoniam postquam verbum

bum caro factum est, Deus habet & corpus & sanguinem. & non dicitur per modū iniuriantis, quamuis irreuerenter, quum secūdo modo dicitur. Et propterea peccatum est graue, non tamen mortale: quia non contra, sed præter Deum est, & tanto grauius, quanto frequentius.

Criminis falsa impositio semper est peccatum mortale.

CAlumnia (hoc est falsa, & malitiosa impositio criminis) peccatum est in proximum: quod non sola pœnitentia absoluitur, sed oportet satisfacere offenso proximo. Si autem ex errore imponit quis falsò alicui crimen: calumniæ quidē vitium formaliter non incurrit, sed materialiter: & tenetur tam ad pœnitentiam peccati, quàm ad satisfaciendum offenso & læso: quoniam in culpa fuit errādo. Non enim debebat assertiuè proferre id, in quo errasse se postea cōperit: & iste cautus præcepsq; fuit asserēdo illud quod non constat esse verum, in præiudiciū præsertim proximi.

Cambium quadrupliciter considerandum.

CAmbiorum genera sunt quatuor. Quædam vera & realia, quibus moneta in vno loco ac tempore recipitur, & alio loco ac tempore redditur, prout in loco redditionis tempore restitutionis marca auri valet. Et in his nullum est peccatum cessante omni dolo & fraude. Veruntamen quum hæc ad prolixiū tempus fiunt aut protrahuntur, vt ex distantiori tempore plus lucri habeatur, ad vsuram declinant, quia cum temporis quo pecunia occupata tenetur, ratio habetur: ad eum vsuræ modum digreditur quo tēpus vendi dicitur. Quædam verò sunt non vera: sed palliata, & solo nomine cambia: quibus indigens Romæ pecuniā, accipit pecuniam restituendam nō Lugduni, sed Romæ iuxta valorem cambiorum Lugduni in

sequenti

sequenti feria : seu quouis alio modo fictio cambii fiat. Et hæc sunt manifestè iniqua : quum verè sit ibi contractus mutui cum tali interesse.

Quædam verò sunt quibus pecunia Romæ data per literas cambii soluitur abbi. Et hæc sunt licita si seruato solito, moderato tamen lucro nummulariorum fiunt. Quædam demum sunt cambia ad minutum putà quum pro ducato dantur decem argentei, aut econtra. Et in his moderatum quoque lucrum non damnatur; iuxta diuersarum patriarum consuetudinem.

Casuum reseruatio suos gradus obtinet.

CAsus reseruati sedi apostolicæ clari sunt. Nam sunt soli quos Ecclesiastica censura (hoc est excommunicatio) reseruat apostolicæ sedi, quos infra habes in verbo, Excommunicatio.

Casus verò reseruati Episcopo ambigui sunt. Et propterea sequendo regulam, dimitte incertum, & tene certum. Et nisi priuilegiatus in hoc sis, conforma te in qualibet diœcesi consuetudini seu statuto illius Ecclesiæ, quoniam consuetudo dat & tollit iurisdictionem in huiusmodi.

Et scito quòd si excommunicatus ob simoniam, verbi gratia obtinuit à Papa absolutionē ab excommunicatione, poterit confessor simplex ipsum absoluere à peccato simoniæ: quia ex quo ratio reseruationis cessat, consequens est vt ipsa reseruatio annexi peccati cesset. Et similiter si quis semel absolutus est à reseruatis, quamuis inefficaciter quòd ad salutem animæ suæ (putà quia incontritè) potest postea iterum confitendo à simplici confessore absolui etiam ab illis reseruatis: quia ex quo semel beneficiū absolutionis concessum & executioni mandatum est legitimè in foro Ecclesiæ, rationabile est vt non habeatur amplius

plius pro reseruato : vtpotè semel cognitum & iudicatum ante tribunal, cui erat reseruatum.

Chorea quibus casibus licita aut illicita sit.

CHorearum peccatum cautè considerandum est: quoniam choreas ducere ex suo genere non est peccatum. Nam si ex suo genere esset peccatum, semper formaliter loquendo esset peccatum, quod constat esse falsam: nam in nuptiis & publicis lætitiis licitæ sunt choreæ.

Quia igitur choreis peccatum non inest per se, sed per accidens, non sunt damnandæ choreæ. sed accidentia mala quæ à malis abutentibus bono immiscentur. Et quoniam infinita possunt vni accidere, extra rationem scientificæ doctrinæ est de accidentibus docere.

Propter instructionem tamen pusillorum scito, quòd ex tempore (putà die festo) chorea nō fit mortalis: quia non est opus seruile, imò imprudenter arcentur à choreis rustici festis diebus chorizare assueti: qui nisi occuparentur choreis, vacarent otio & malis machinationibus perturbatiuis rei publicæ. Et simile est de similibus iudicium.

Ex frequentia quoque chorea non fit mortalis, vt patet: sicut nec frequētia conuiuii facit illud mortale.

Ex periculo verò prouocationis ad libidinē, vnusquisque seipsum mensuret, & videat si exponit se periculo. Ego ex genere actus periculum nō cognosco; quoniam actus choreæ non est libidinis, sed lætitiæ. Et propterea si ex qualitate personę periculum alicui imminet, prouideat sibi sicut debet cauere sibi ab aspectu mulieris, si ex aspectu sibi cognoscit imminere periculum. Ex actibus deinde leuitatis, qui quandoq; ibi immiscentur (dum aliquis intorquet digitos mulieris cum qua choream duxit) non plus quàm venialē

peccatum incurritur. Et simile est iudicium de multis vanæ lætitiæ actibus & verbis, si contingit choreis immiscerì. Ex praua autem intentione (putà ad incestum aut adulterium prouocandi) & similiter ex impudicitiis, non solùm choreas: sed eleëmosynas & ecclesiastica officia constat esse peccata mortalia. Conclude ergo choreas non esse ex se malas: licet sæpe afferant peccata venialia vanitatis.

Clerici in multis differre debent à laicis, quibus deficientibus peccatur.

CLericorum peccata specialia ex transgressione iuris positiui, tot sunt, vt vix numerari queant. Tenentur siquidem quòd ad habitum deferre rasuram, hoc est clericam: & tonsuram, hoc est non nutrire comam, & non nutrire barbam: & deferre habitum clericalem clausum desuper, non nimia breuitate aut longitudine notabilem, absque pallio diffibulato: abstinere à viridis & rubri coloris vestibus & caligis. Caligæ quoque scaccatæ, & vestis virgata seu partita, manicæ satulariaque consutitia, epithogium, infula linea, fibulæ, corrigiæ aureæ vel argenteæ, annulli, nisi quibus ex dignitate conuenit, frena, sellæ, pectoralia calcariáue aurata eis inhibentur.

Quò ad artes, Artes macellariorum seu carnificum, tabernariorum, ioculatorum, seu histrionum, goliardorum & bufonum, & chirurgicorum, ab eis tolluntur.

Quò ad officia, Officia secularia, & specialiter iudicis in causa sanguinis, præpositi baliftariis, præpositi officialis seu ministri sub domino temporali, tabellionis seu notarii, & aduocati seu procuratoris in placitis secularibus, nisi in quibusdam casibus.

Quò ad actiones, Arma portare, ad tabernam ire nisi in itinere, aues, canesq; sequi ad venandum, accipitres,

pitres, canesq; pro venatione habere, conducere à secularibus agros, ad aleas vel taxillos ludere, ludis huiusmodi interesse, negotiationes, hoc est mercantias commerciaque secularia exercere, habitare demum cum mulieribus (nisi matre, sorore & amita) clericis est prohibitum. Mandatur quoque eisdem, vt benedictionem mensæ præponant, & gratiarũ Deo actionibus terminent, lectione semper interiecta cõuiuio, & vt vinum sibi temperent.

Verùm horum & huiusmodi transgressio: si temeritas, si contumacia, si contemptus desit, non est peccatum mortale iudicio meo, quantũ ex præcepto positiui iuris pendet. Quòd ideo adiunxi, quia non loquor de peccato, quo res Ecclesiasticæ malè consumuntur, nec de peccato scandali & mali exempli, nec de auaritia, inani gloria, aut luxuria, & similibus inmistis, nec de peccatis quibus se irregulares reddunt constituti in sacris ex actu prohibito, aut excommunicationem quicunque clerici incurrerent. Reddo rationem eorum quæ dixi, & primò de spectantibus ad habitum clericalem. nam clerici non plus arcentur à iure ad habitum clericalem, quàm religiosi ad habitum suæ religionis: sed religiosus non arcetur nisi temerè dimittat suum habitum, vt patet: ergo clericus nisi temerè ea quæ sui sunt habitus transgrediatur, non est pœnę mortis animę subiectus. Et scito, quòd in habitu clericali tanquàm substantiale est clericus: reliqua sunt concomitantia.

Nec obstat dictis quòd excommunicandus sit si quis ex clericis comam relaxauerit: quoniam non incurrit pœnam excommunicationis, non dico latæ sed ferendæ sententiæ, nisi monitus contumax fuerit: quoniam quicquid sit de rigore iuris, æquitatis tanta ratio habet, vt nõ sit excommunicandus nisi prius monitus à iudice suo. Tum ne quasi ex improuiso tanta

talisque pœna inferatur pro iis quæ non sunt ex suo genere criminosa: tum propter tãtam multitudinem impunè solitam hæc transgredi: ita vt non pro magno peccato transgressio reputetur, quæ ex suo genere mala non est, sed expositiuo iure. excommunicatio enim non nisi pro magno crimine inferenda est. Et propterea non incurrit, iudicio meo, mortale peccatum ante contemptum seu contumaciam. Et propter hanc rationem (quia scilicet pœnæ graues, gratiores ac grauissimæ in iure appositę, exceptis excommunicationibus latæ sententiæ, aut sunt tales vt sine peccato mortali incurri possint, aut si sine peccato mortali incurri non possunt, exigere videntur monitionem, vt non nisi in contumacem ferantur) extendi iudicium meum ad omnia clericis prohibita, & dixi quòd si desit temeritas, contemptus, & contumacia, non video ex vi præcepti peccatum mortale. Non dubito tamen multa interuenire grauia peccata venialia in huiusmodi transgressionibus ex leuibus causis aut passionibus humanis, non curantibus prælatis obuiare & opponere se murum pro iure seruando. Non putes tamen inter grauia computandum, si clericus beneficiatus, aut in sacris, comam paululum infra aures attingentem portat: quia aliter quasi derideretur, aut quia sic consuetum est ibi: aut quia habet collum longum, & minus quàm decet, appareret: aut propter aliquam aliam à ratione non alienam, quamuis in sufficientem causam. nullum enim, aut leue in huiusmodi peccatum est, vbi monstrat ille facto, etsi non ad vnguem, reuereri tamen ac seruare iura. Qui autem putat omnia præcepta obligare ad mortale, eget lumine, quo videat nec naturalis, nec diuini, nec humani iuris præcepta omnia ad mortale obligare: sed ea sola quorũ transgressio contra charitatem est. Et hæc sint pro timoratis cõscientiis dicta.

Peccata

Peccata mentalia quinque modis committuntur.

COgitationis peccata quinq; modis inueniuntur. Primò, dum mens vana aliqua cogitatione occupatur. Et est peccatum veniale, vt patet. Secundò, quum consentitur absolutè in peccatū aliquod perpetrandum, aut placet perpetratum. Et tunc constat esse mortale, si peccatum patratum aut patrandū est mortale, & similiter esse veniale, si peccatum faciendum aut factum est veniale. Tertiò, quando conditionaliter consentitur in peccatum: putà si absque infamia, periculo &c. possem, furarer, aut raperem mille aureos: aut si possem volare, occiderem talem &c. & sic de aliis conditionalibus. Et interuenit peccatum in istis consensibus conditionatis tam mortale quàm veniale, sicut in consensu absolutè: hoc est quòd si operatio in consequente significata, in quam conditionaliter consentitur, est peccatum mortale: consensus ille conditionalis est quoque peccatum mortale: & si est peccatum veniale, consensus quoque erit venialis. Et ratio est quia licet conditionalis nihil ponat in esse, ponit tamen in appetitu rationali (qualis est voluntas) affectum colendi peccatum illud. Nec impedimentum peccato affert voluntas non peccandi, sed conditio non existens. Nec refert, an conditio interposita sit possibilis vel impossibilis: non minus enim peccat mortaliter qui vellet destruere Paradisum si posset, quàm qui absolutè cupit Paradisi destructionem. Excusarentur autem à mortali huiusmodi conditionales consensus, si conditio interposita tolleret ab actione volita rationem peccati: puta si quis diceret, Ego, si non esset peccatum, occiderem, raperē &c. vel si Deus præciperet, occiderē &c. quia tunc voluntatis consensus freno rationis à peccato retrahitur.

Quartò, quando conſentitur conditionaliter in opus non malum, ſed ſibi illicitum propter ſuum ſtatum aut verum: puta ſi religioſus appetat duxere vxorem ſi eſſet liber: & ſimiliter quum quis poſt votum ieiunii vellet non ieiunare ſi eſſet liber & ſic de aliis. In huiuſmodi enim peccatũ veniale communiter interuenit propter remiſſam voluntatem ab inchoato bono. Et ad hunc peccandi modum ſpectat, quũ quis conſentit quòd ſi ingreſſus eſſet religionem, non ingrederetur: ex quo tamen profeſſus eſt, intendit ſeruare eam: manifeſtè ſiquidẽ apparet remiſſio voluntatis à feruore prius habito: quia tamen conſenſus infra limites liberi tẽporis conſiſtit, mortale peccatum non interuenit. Et ſcito omnes conditionales ſecundum hunc modum, & multo magis ſecundũ præcedentem modum, eſſe opera & tentationes fatuas & diabolicas. nam diabolicum eſt, quenquam in tentationẽ ſe, aut alium præcipitare, ſi eſſet, ſi fuiſſet, facerem, dicerem &c. ad nihil enim hæc ducunt, niſi ad peccatum.

Quintò, quando in cogitando interuenit delectatio moroſa. De qua vide infra in verbo, delectatio.

Peccatum colluſionis qualiter committatur.

Colluſio (hoc eſt inter actorem & reum latens & fraudulenta conuentio) eſt manifeſte peccatum in vtroque: quia vterque colludens fraudi conſentit. Ea eſt peccatum mortale pro quanto inique contra debitam tendit iuſtitiam.

Columbarium qui licitè teneant.

Columbarium habere, vel contra municipalia ſtatuta diſponentia certam terræ menſuram oportere ibi habere eum qui columbarium tenet, vel vbi ſtatutum nullum eſt contra eorum qui damnificantur querelas peccatũ eſt, niſi ex conſuetudine aut præſcri-

præscriptione legitima ius hoc habeat. Et à mortali peccato non excusatur si notabile infert damnum alteri quod prudentiæ quæ circa singularia versatur, relinquitur iudicandum, attento loco, passu, multitudine, &c.

Sacramentalis communio quatuor præsupponit, ex parte sumentis.

COmmunio qua sacramentum Eucharistię sumitur, ex parte sumentis exigit quatuor, sine quibus peccat communicans. Primum est, vt sit mundus à peccato mortali: hoc est vt secundum suam cõscientiam, præmissa diligenti contritione & confessione credat se mundum à peccato mortali. Et sine contritione quidem mortalis peccati cogniti communicans peccat mortaliter: quia indignè sumit, ac per hoc reus est corporis Domini inquit enim Apostolus, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. qui enim manducat indignè, reus erit corporis Domini.

Sine confessione autem, si rationabilis subest causa non confitendi, excusatur communicans: quia præceptum de confessione præmittenda communioni non est de iure diuino, nec de iure positiuo quum nullibi inueniatur, nisi semel in anno. Si autem commoditas adest confitendi, & habens conscientiã peccati mortalis differre vult confessionem, & nihilominus cõmunicare, quia oportet ipsum cum aliis communicare, aut oportet ipsum celebrare, peccare videtur valde grauiter: quia minus dignè voluntarius accedit, vtpote ad Ecclesiasticæ vnionis sacramentum siue Ecclesiastica reconciliatione absque rationabili excusatione accedens. Non damno tamen ipsum peccati mortalis, propter rationem dictam. Secundum est, vt sit ieiunus ieiunio naturæ: hoc est quòd à media nocte nihil sumpserit per modum

cibi vel potus: ita quòd non solùm debet esse ieiunus à cibo & potu communi, sed ab omnibus etiam medecinalibus quæ per os sumuntur.

Si autem sciens & aduertens aliquis non ieiunus communicauerit, mortis articulo duntaxat excepto mortaliter peccat, vt cõmuniter tenetur. Dixi autem sciens, non propter ignorãtiam iuris de ieiunio communicandi, quum hoc ab omnibus sciatur, se propter ignorantiam qua fallitur aliquis putans se esse ieiunum, quum verè non sit ieiunus. Contingit enim aliquos bonos viros credere, quòd sumpta aliqua re aromatica (putà cinnamomo, vel nucè muscata, vel aliquo eiusmodi) non sit fractum ieiunium, propterea fortè quia non frangitur ex his ieiunium Ecclesiæ. Imò à fide dignis accepi quendam bonum sacerdotem multo tempore pro reuerentia sacramenti præaccepisse nucem muscatam, vt bonum odorem stomachi Eucharistiæ præpararet. Sciebat ille quòd oportebat ieiunium communicare, sed nesciebat se non esse ieiunum post sumptam nucem muscatam pro reuerentia sacramenti, nesciens distinguere inter ieiunium Ecclesiæ, & ieiunium naturæ. Excusatur ille à peccato mortali contra ius positiuum, quia plus nesciebat, in sua simplicitate gradiens, & arbitrans se scire quod omnes sciunt, scilicet quòd ieiuni tantum debẽt communicare: & propterea non erat solicitus de fuganda ignorantia illa. Dixi aduertens: quia si contingat aliquem scientem omnia, post syrupũ sumptum communicare, non recolendo de sumpta potione, excusatur à mortali violatione iuris positiui, non enim voluntariè communicauit non ieiunus, qui ex oblitione huiusmodi communicauit. Nec sunt tam arctè positiui iuris vincula interpretanda, vt inuoluntarias, & quas nullo pacto sciens & prudens vir bonæ conscientiæ ageret operationes, imputemus ad mortem

æternam

æternam ex obliuione aut simplicitate transgrediendi materialiter tantum ius positiuum, vt in vtroque casu & similibus contingit. Dixi quoque per modum cibi aut potus, aut differentiam eorum quæ trahuntur seu descendunt ad stomachum per modum saliuæ, vt sunt reliquiæ cibi inter dentes remanentes, & alia huiusmodi. Hæc enim non violant ieiunium naturæ, sicut nec saliua.

Tertium est tempus. De quo tria dicenda occurrunt: scilicet quantum ad ætatem, quãtum ad pascha, quantum ad mortis articulum. Aetas peccantis si non communicet, est quum ad annos discretionis peruenerit, vt patet in capitu. omnis vtriusq; sexus. de pœnit. & re. Et habetur communiter pro peccato mortali huiusmodi omissio. Aduerte tamen hic, quòd cõsuetudo optima legum interpres, distinguit inter annum discretionis ad confitendum, & annum discretionis ad communicandum: quasi ad confitendum quælibet discretio sufficiat, ad communicandum autem exigatur discretio deuota & reuerentialis. Nam parentes curam puerorum & puellarum gerentes, ad confitendum paruulos decem annorum cogunt, ad communionem autem communiter non mittunt nisi post plures annos. Et licet præceptum Ecclesiæ ad ipsos pueros dirigatur: quia tamen ætas illa mediis parentibus iuris præcepta suscipit, ideo pueri qui ex parentum iudicio annum discretionis determinandum expectant quò ad communionem, non sunt rei præcepti violati, si non communicant etiam in quartodecimo aut quintodecimo anno, inferiora enim per media, diuina prouidentia gubernat, & gubernanda disposuit. Deberet tamen puer, si tantæ prudentiæ est, deberent & parentes eius quum dubitant, confessorem pueri consulere, si videtur ei quòd ad communionem sit discretus. Excusantur quoque parentes à

violatione Ecclesiastici præcepti, si ob reuerẽtiam sacramenti seruant consuetudinem patriæ, vbi consueuerunt tardius pueri ad communionem admitti, quia videntur non debitam reuerentiam deuotionemque habere. Et ratio excusans est: quia lex ista quò ad hoc, non est ibi consensu vtentiũ cõprobata, & Prælati sciunt, & non reprehendunt. Tenetur igitur omnis vtriusque sexus quum ad annos discretionis peruenerit, communicare semel in anno, hoc est in pascha. Et quantum ad hoc præceptum spectat, intelligitur pascha durare duobus hebdomadis, vt Eugenius quartus declarauit: ita quòd communicãs in hebdomada sancta, vel in hebdomada paschæ, aut in dominica immediatè sequente, satisfacit præcepto Ecclesiæ, Potest tamen de consilio proprii sacerdotis, ex rationabili causa differre ad tempus aliquod huiusmodi communionẽ, vt in Decretali patet. Omissio autem communionis paschalis, peccatum mortale est propter Ecclesiæ præceptum contemptum.

Vtrum autem in mortis articulo teneatur fidelis quisq; cõmunicare, in dubiũ non est vertendũ: quoniam consuetudo Ecclesiæ hoc mandat, & proculdubio peccat, quia sine rationabili causa absque viatico recedit. Si tamen cõtemptus desit, non video rationẽ peccati mortalis in huiusmodi omissione, ex quo paschalem communionem impleuit. Nec video etiã rationem dubitandi de peccato mortali: quoniam viaticum vt sic non est necessitatis sacramentum ex Ecclesiæ præcepto, quia nõ inuenitur, aut ex natura viatici, quũ sine illo pœnitentia sufficiat, sicut sine extrema vnctione. est enim necessariũ viaticũ sicut equus ad iter, & nõ sicut nauis ad transeundũ mare. Quarum est reuerentia & deuotio. Et reuerentia quidem considerãda ac seruãda est, vt nec post pollutionem nocturnam, nec post coitum coniugalem communi-

cet

set quis illo die. Nam nisi ex rationabili causa eodem die aliquis cõmunicaret, peccaret, venialiter tamen: quia non debitam exhiberet sacramento reuerẽtiam. Et multò magis peccant, qui post cõtinuata peccata mortalia hodie cõteruntur & confitentur, & cras cõmunicant. Parum siquidẽ curare se monstrant de disponenda mente ad tantum sacramentum, qui quasi repentè de assueta cibatione animi ex mundo & carne, in Vnionem Christi per modum cibi præsumunt accedere, quasi spiritalis gustus statim sit acquisitus ab eis non tamen peccant mortaliter. Si mihi quoq; peccato inuoluuntur, qui omittunt contritionem venialiũ, ex quibus actualis feruor seu deuotio impeditur: quia non se parant vt debent ad hoc sacramentũ. Reuerentia quoq; corporalis adesse debet: vt scilicet genu flexus communicet qui non celebrat, & postea non statim exuat, nec statim comedat. Deuotio verò actualis exigitur quò ad aliquid de necessitate scilicet quò ad appetitum huiusmodi sacramenti oportet enim vel tũc appetere, vel prius appetiuisse suscipientem hoc sacramentum. Dico autem prius appetiuisse, propter superuenientem ægritudinem: puta dementiam, aut phreneſim, aut insensibilitatẽ, cum periculo mortis. nam mentis compotes debent actualiter appetere. Et hæc dicimus quò ad Ecclesiam. Corã Deo autem tenentur mentis compotes ad deuotionem actualem, non per solam voluntatem communicandi, sed per meditationem & volũtatem pascendi animam suam de Christo: hoc est de morte Christi, de vita Christi, de imitatione Christi, de humilitate, patientia, constantia, charitate &c. Christi: quia si deuotio actualis non procuratur, nõ se parat homo quantum in se est, ad hoc sacramentum vt debet: quia non se parat ad actualiter masticandum spiritali masticatione cibum animæ, quæ corpus Christi est.

Ministri

Minister communionis sacramentalis multis potest inuolui peccatis.

COmmunio ex parte ministri multis potest peccatis inuolui. Et primò, si ipse qui dat sacramentum, non sit sacerdos curatus, aut ab eo vel superiore licentiam habens. Oportet enim nisi necessitatis articulo vrgente (in quo diaconus de licentia Episcopi vel presbyteri supplere potest: vt habetur distin. xciii. in capit. præsente, & sine licentia, illis absentibus: vt in cap. diacones. eadem xciii. distin.) ministrantem esse sacerdotem: vt in c. peruenit. de cõsec. distin. ii. & curam illius habentem, vel de illius licentia: vt in clem. religiosi, de priuileg. Communicans autem alienũ parochianum, peccat, ius violans. nisi sub ratihabitionis spe hoc faciat. Et si religiosus est, excommunicatus esset: de quo tamẽ vt infrà inter excommunicationes habes, sentias. An autem à seipso extra sacrificiũ Missę liceat sacerdoti sumere Eucharistiam; licet sancitum legisse non meminerim, puto in necessitatis articulo licere, vt si sacerdos sit peste laborans, vbi alii timent ei appropinquare, qui tamen ei deferrent corpus Christi ad locum propinquum. Secundò, si vbi non est consuetum, præsumit dare Eucharistiam sub vtraque specie: peccaret siquidem & mortaliter, ratione contemptiuæ præsumptionis. Tertiò, si pueris ante discretionis annos aut à natiuitate amentibus, aut indignis, vt sunt excommunicati, interdicti, in publico peccato existentes (quales sunt meretrices, lenones, in concubinatu morantes, publici vsurarii, pugnantes in duello, & alii huiusmodi) Eucharistiam tribuat sciens. Infantes enim, & nati amẽtes non sunt digni: quia nunquàm fuit in eis deuotio: & propterea peccatum interueniret. & nisi sic fieret quòd à cõtemptu tam explicitè quàm implicitè excusaretur, mortale esset.

esset. In reliquis verò dictis peccatum mortale manifestè interuenit, consentiendo & cooperando vt Eucharistia ab indignis sumatur, imò sanctum dando canibus. Quartò, si Eucharistiam det in loco interdicto: quia contra prohibitionem Ecclesiæ. Aduerte tamen, quòd quandocunque, & vbicunque, & quibuscunque potest dari sacramentum pœnitentiæ, potest etiam dari si in articulo mortis est, viaticum: quia pro eodem computari decernit ius. de pœnit. & remiss. capi. quod in te. Debet tamen prius prouideri scandalo, vt scilicet publicetur cum opere dimissum concubinatum, aut vsuram &c. alioquin scandali peccato offendit populum sacerdos dans Eucharistiam. Quintò, si det irreuerentiam exhibentibus sacramento, vt sint phrenetici, expuentes &c. esset enim sacrilegij peccatum, & sibi, non illi extrà se constituto imputandum. Sextò, si infirmus viaticum, & iis quibus debet sacramentum hoc ministrare omittit: raro enim hæc absque peccato eueniunt negligentiæ.

Vitium concubinatus detestandũ, & quare.

COncubinatus non solùm includit peccatũ mortale fornicationis, sed addit statum peccati mortalis. Et propterea ad sui veram pœnitentiam exigit non solùm omissionem actus carnalis, sed recessum à tali statu.

Crimen concussionis respectu officiarij semper est mortale.

COncussionis crimen (quo quis habens potestatem vel officium, pecuniam accipit ad iudicandum aut decernendum, quò magis vel minus faciat quod debet, vel per minas cogit aliquem ad faciendum vel non faciendum) est manifestè mortale peccatum contra iustitiam.

Sacra-

Sacramentalis confessio multas ex parte confitentis præsupponit conditiones.

CONfessio sacramentalis, ex parte confitentis, potest defectibus subiacere: quoniam multas exigit conditiones, quæ his versibus continentur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata.

Quas, quoniam libellus iste propter confessionem fit, declarare intendimus.

Prima ergo conditio est, vt confessio sit simplex, hoc est non composita. Esset autē composita, quādo artificiosè narrantur commissa: ita vt vera quidem dicantur, sed ea arte vt vel non ponderentur à confessore, vel delectent suauitate vanæ eloquentiæ: hoc enim manifestum peccatum contineret.

Secunda, humilis: quantùm ad intellectum, recognoscendo se miserum peccatorem, & indignum venia. quantum ad affectum, affectando per subiectionē qua confitendo se subiecit confessori, subiiceret seipsum intus diuino iudicio, non in furore, sed in iustitia Iesu Christi crucifixi propter nos: quantum ad linguam in modo etiam loquendi, vt exponat sua peccata, vt reus cum reuerentia & tremore quasi coram Christo, quantum ad actus exteriores, vt genuflexus omnis vtriusque sexus, & capite (si sanitas patitur) disco operto vir confiteatur ob reuerentiam Christi & sacramenti. Omissio siquidem cuiuscunque horum sine peccato non est; nisi causa rationabilis

nabilis ab exterioribus excusęt reuerentiis.

Tertia, pura: hoc est non mista in pertinentibus ad peccata propria: peccat enim saltem peccato vaniloquii, qui alia immiscet, vltra irreuerentiam quam ex huiusmodi admistione exhibet tanto misterio. Et magis debet esse pura ab admistione alienorum peccatorum, si propria possunt sine alienis sufficienter exprimi. Quòd si aliter fieri nequit, & cõfessor vir est bonus (ita quòd nulla sit suspicio futuræ infamiæ aut cuiuscunque periculi) explicari potest. Vbi autem periculum famæ alienæ vel alterius mali timeretur, confessor alter adeundus est, qui confitentem non noscat: aut ipse confitens obuolutus seu transformatus vadat ad confessorem qui ex voce eum non discernat: & tacito suo nomine dicat, Ego peccator potens confiteri, tibi dico meam culpam &c. Non enim tenetur pœnitens manifestare, seipsum quis est, nisi quantum ad ea quæ sunt necessaria ad sacramentum hoc: ad quod nõ oportet scire quo nomine vocatur, nec vbi habitat, nec si est coniugatus, si contra matrimonium non offendit, nec de qua patria aut parochia est, nisi vt sciatur si potest hic confessor illum audire & absoluere. Et ad hoc sufficit vt pœnitẽs dicat, vel quòd ipse potest sibi eligere confessorem, vel quòd habet licentiam à suo superiore, vel quòd scit quòd potest ipsum absoluere sicut illos de illa diœcesi seu parochia si curatus est confessor. Quòd si nihil horum fieri posset, vtendũ esset regula de nõ habente copiam confessoris quo ad illam circunstantiã: quia confessio cum aliena iactura non debet esse: & potest confitendo omnia peccata & illud absque illa circunstantia absolui. Et hoc dico, si differri non potest confessio: puta quia oportet communicare aut celebrare, iuxta dicenda inferius in decima conditione.

Quarta, fidelis; hoc est verax, Mentiri siquidem

in

in confessione per se (hoc est de pertinentibus ad cõfessionem) est peccatum mortale: quia est mendaciũ pernicioſum: quia est mendacium in iudicio, non qualicunque, sed sacramentali. Et licet peius sit mentiri de aliquo mortali, tamen mentiri quoque de veniali, pernicioſum est. Et hoc intellige cum grauo salis: scilicet ſuppoſito quòd pœnitens ſubiiciat ſe confeſſioni quò ad illa venialia: quoniam ex hoc ipſo quòd pœnitens aſſumit veniale illud vt materiã confeſſionis, facit illius confeſſionem materiam ſacramẽti & iudicii, ac per hoc tenetur facere illum confitendi actum veracem, alioquin iniuriam infert ſacramẽto & iudicio, tollens quantum in ſe eſt, vtriuſque veracitatem: quod conſtat eſſe mortale. Sicut ſuprædicator aſſumat vt materiam prædicationis: aliquod miraculum, vel aliquod geſtum alicuius viri ſancti mortaliter peccat ſi mentiatur: quamuis geſtum illud ſeu miraculum non ſpectet ſecundum ſe ad prædicationis neceſsitatem. Ex hoc enim ipſo quòd aſſumitur vt materia prædicationis, naſcitur, vt mendacium de illo in actu prædicandi ſit pernicioſum: quia quantùm in ſe eſt, eneruat veracitatẽ prædicationis. Vnde ſi pœnitens confitendo mentitur ſe commiſiſſe aliquod veniale, peccat mortaliter: quia mentitur in iudicio: & propterea iniuriam facit iudici, & in propoſito, Chriſti vices gerenti. Si autem pœnitens non intendat confiteri niſi de peccatis mortalibus, & interrogatus à confeſſore de aliquo veniali, negando mentitur ea ratione quia non vult de illo peccato confiteri: peccat quidem, ſed nõ mortaliter, quia non mentitur de pertinentibus ad iudicium, ac per hoc non mentitur in iudicio. Et ſimiliter ſi intenderet confiteri de illo, & præ verecundia negaret mutans voluntatem confitendi de illo, vtpotè quia non tenetur de illo confiteri, non mentiretur in iudicio. Memento tamen

men confessionis iudicio non subdi quæcunque impertinentia sunt ad peccata: & propterea de impertinentibus mentiri in cõfessione, non est pernicioſum. Ad veritatem quoque confessionis spectat vt peccata quorum quis plenam memoriam non habet, sed pro dubiis habet vt dubia confiteatur, non vt certa asserat, nec quasi nulla omittat: sed talem se narret ore, qualis est in corde: puta, videtur mihi quod in tale quid consenserim, non tamen sum certus. Aduerte hic quod quum mentiri requirat non solùm falsam vocis significationem, sed etiam intentionem fallendi: si persona confitens putat se benefacere falso accuset se commisse aliquod veniale, vel affirmet aliquam circunstantiam, vel aliquod peccatum dubium pro certo, non ea ratione vt mentiatur, aut vt fallat confessorem, sed tanquam putans se eligere tutiorem partem volendo se facere reum etiam si non esset reus, errat quidem & peccat: quia à recta discedit ratione: quia tamen non dicit mendacium, sed falsum, non peccat mortaliter, sed venialiter: vtpote indiscretè se accusans.

Quinta, frequens: hoc est, vt qui frequenter cadit, frequenter confiteatur. Et est medicina hæc valde conseruatiua hominis in timore Dei. Non inuenio tamen præceptum de maiori frequentia quàm semel in anno: si tamen potest dici frequentia. Et licet præceptum per se non inueniatur: interroget tamen seipsum quilibet Christianus, quantum detrimenti in anima patitur ex tam rara cõfessione, quod euitaret, si frequenter confiteretur: & inde percipiat si per accidens (hoc est propter tollendas occasiones obliuionum peccatorum, & infirmitatum, seu consuetudinum in peccando) debeat frequentius confiteri. Confiteri autem frequenter eadem peccata, & laudabile & vituperabile quandoque est. Nam ex

scrupulosa & inquieta phantasia cadere in conscientiam iterandæ & reiterandæ pluries confessionis, vituperabile est: quoniam procuranda est pax animæ & conscientiæ, quæ cum huiusmodi iterationibus non stat. Et quando hoc accidit in veritate, deberet talis postquàm semel ita confessus est & absolutus, vt tam ipse, quàm confessor doctus sufficientem iudicet confessionem, quiescere: & si postea scrupulus aliquis occurrit de aliquo tanquàm à non confesso, si sibi videtur quòd fuerit confessus, quiescat, & non amplius confiteatur. Nec propterea exponit se iste periculo, quia non est certus se esse confessum: quoniam hoc reputandum est huic bono viro infirmo vt certum, quod apud alium esset opinio. Est enim passio hæc infirmitas corporalis tollens seu impediēs pro tunc firmitatē iudicii: & timor & motus phantasiæ in tantum operantur, vt nisi quiescat, consurgent tot ambigua, vt nunquàm videatur confessus. Cuius signum est, & quòd idem centies confitentur, & quòd isti semper in dubium redeunt confessionis, quum fortè diligentius cæteris confessi fuerint. Nec est in potestate talis, retinere motum phantasiæ, nisi in principio comprimatur: vnde sequuntur pericula corporis & animæ ad tollendum vel impediendum vtriusque bona. Dixi autem in veritate, propter personas iterantes confessiones, non quòd in veritate scrupulosæ sint, sed quia nunquàm in veritate conficentur: ita quòd semper confitentur, & nunquàm sunt confessæ: tanquam dæmones semper pœnitentes, & nunquam se corrigentes. Confiteri autem ex deuotione pluries eadem peccata cum conscientia quieta, sine molestia confessorum, non conterendo in hoc tempus in aliis magis piis aut vtilibus expendendum, & breuiter seruatis prudentiæ conditionalibus, laudabile est. Sexta, nuda; hoc est non vestita

colo-

coloribus aut locis cooperientibus grauitatem peccati: & multò minus obscurantibus peccatum: vt vel non percipiatur (hoc enim esset non confiteri) vel minus consideretur grauitas aut turpitudo peccati.

Ad cuius oppositum recta tendit confessio, expectando iustum iudicium à Christi vices gerente, propterea manifestè peccatur. Septima discreta: hoc est prudens. Et quantùm ad verba: vt honestis vocabulis explicet sua peccata. Et quantùm ad circunstantias: vt non nisi necessarias in peccatis carnis explicet, si scit discernere necessarias à non necessariis. Et quantùm ad modum narrandi: vt quæ simul exprimi possunt, non diuisim dicantur, aut econtra, verbi gratia, potest dici, Commisi furtum decies: non dicatur. Semel furatus sum, & deinde iterum furatus sum, & post commisi vnum aliud furtum, &c. Hoc enim & indiscretè confiteri, & tædio afficere confessorem, & propterea vt discreta sit confessio, debet confessurus præmeditari & præordinare quomodo dicet, & quæ simul, & quæ diuisim, &c. Et quantum ad quærendum idoneum confessorem: non enim tute quisque potest se credere cuilibet confessori occurrenti. quoniam multa apparet multitudo confessorum ignorantium, &c. sed debet quærere idoneum scientia & auctoritate: & bonum: hoc est qui credatur esse in Dei gratia. De quibus cõfessoris conditionibus infrà erit sermo. Nisi enim discreta fuerit confessio constat peccatum saltem imprudentiæ incurri. Octaua, libens, hoc est non ex metu pœnæ, sed ex amore sanitatis animæ: sic enim propriè voluntaria est confessio. Et quia timor introducit charitatem sicut seta filum: ad minorem spectat deuotionẽ, præparationem seu dispositionem, quòd aliquis malè libenter confitetur: ex quo tamẽ vincit seipsum & confitetur: sufficit ad salutem imperfectorum. Nona ve-

recunda: hoc est erubescens apud se metipsum pœnitentem, dum non solum ad memoriam, sed verba reuocatur turpitudo fœditatéque propriæ animæ. Erubescens quoque apud confessorem, hoc est non quasi iactando, non quasi narrando historiam, sed æstimando turpitudinem peccatorum suorum confiteatur per modum erubescentis propriam turpitudinẽ. Verecundia autem propriè dicta (hoc est timor opprobrii, id est defectuosum inde haberi à confessore) passio concomitans est: quę ex Dei gratia imputatur ad partem satisfactionis, si pro Dei amore amplectendo superatur.

Decima, integra: quantùm ad peccata mortalia, aliàs non confessa tam certa, quàm dubia, & eorum circunstantias necessarias. Confessio enim non integra non est confessio, quæ est materia sacramenti pœnitentiæ, sed confessionis simulatio: quia ex propria ratione repugnat sacramenti formæ, hoc est absolutioni. Impium est enim à Deo dimidiam sperare veniam. Dupliciter autem contingit confessionem non esse integram, vel per se vel per accidens. Tunc est confessio per se non integra, quando ex intentione, seu voluntariè dimidiatur, & sic, truncata confessio non valet: imò est nouum peccatum mortale sacrilegii contra sacramentum pœnitentiæ. Tunc autem confessio est non integra per accidens, quando non volũtariè dimidiatur, puta quia per obliuionem relinquitur aliquod quod necessariò fuisset confitendum: & confessio sic non integra valet: quoniam est per se & formaliter integra, & per accidens ac materialiter dimidiata: actus autem iudicandi sunt formaliter & per se, & nõ per accidẽs & materialiter. Opus est autem hic non paruo sensu, ad discernendum in singularibus si per se aut per accidens confessio ab integritate recedat: quia multipliciter vtrunque euenire

nire potest. Dimidiatur siquidem confessio per se & formaliter vel directè, vt quum intendit confitens facere aliquod necessarium: siue hoc occasionē habeat ex verecundia, siue ex pusillanimitate, siue ex quacunque alia illicita causa. Vel indirectè: vt quum confitēs negligit discutere conscientiam suam, parui faciens in suo affectu, aut valde notabiliter in affectu, si aliquid necessarium confessioni omittatur. Tunc enim reddit actus in naturam suæ formæ, & perinde est ac si formaliter fuisset intentus: quia sicut actus virtuosus est non solùm qui centrum attingit, sed etiam qui prope centrum: ita non solùm vitiosus est qui directè intendit formam vitii: sed qui prope illam ex obliquo intendit. Clarè siquidem liquet, quòd qui tam parum curat de integritate confessionis, vt vel in affectu paruifaciat si non sit integra, vel in effectu, hoc est in actu discutiendi ita se habeat, ac si paruifaceret integritatem (hoc enim est valde notabiliter in effectu) tendit ad dimidiandam confessionē, tanquam per se & formaliter dimidians, & propterea vtroque modo dimidiatio est perniciosa, & facit confessionem non valere. Dimidiatur quoque per accidens & materialiter tantùm confessio vel ex obliuione, vel ex insufficiente discussione, quamuis diligenter (siue hoc contingat ex ignorantia iuris siue facti, & breuiter quomodocunque contingat præter intentionem confitentis, facta iuxta conditionem suam diligentia: ita vt verè credat se diligenter confiteri. Nam tunc constat confessionem non esse per se dimidiatam nec ex propinquo affectu, ad formam dimidiatè reduci) vel quia ordinarius confessor superior non audit nisi cōfessionem casuum reseruatorum. Confessio siquidem illa qua quis habens multa mortalia, confitetur Episcopo vel eius vicario vnum mortale reseruatum, est confessio non integra, ac per accidens & materiali-

ter quia non ex voluntate pœnitentis prouenit non integritas, sed ex parte talis confessoris reseruantis, &c. Et propterea huiusmodi confessio quamuis non integra, sancta est: sic namque sanctæ matris Ecclesiæ vsus habet, nec oportet sapere plus quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem. Caue autem ne erres, dicendo absolutionem illam quam intendit Episcopus huiusmodi peccatis non esse sacramentalem. Ex hoc namque quòd confessio illa partialis est sacramentalis (quod patet, & ex eo quòd sigillum confessionis illius est sacramentale: potest enim Episcopus sicut quilibet confessor, iurare se nihil scire, & ex eo quòd aliter pœnitentes essent de lusi: quia non intendunt nisi confiteri, nec tenentur nisi cõfessione sacramentali ire ad Episcopum) consequens necessario est, vt absolutio quoque sit sacramentalis: nec est hoc vertendum in dubium.

Nota diligenter hic ex hoc vsu Ecclesiæ haberi miranda, scilicet quòd aliqua confessio non integra aduertenter, est salutaris, & quòd aliquod peccatum est quandoque bis confitendum quia pœnitens debet proprio sacerdoti, non sacerdotibus, omnia sua peccata integre confiteri, de pœniten. & remis. omnis vtriusque sexus. & nihilominus tenetur confiteri reseruatum peccatum Episcopo, si non confert auctoritatem proprio sacerdoti, vtrunq; autem horũ desinit esse mirabile, considerantibus vtrunq; euenire per accidens. Confessio namque suapte natura debet esse integra, ac per hoc vni sacerdoti: alioquin non esset confessio, sed confessiones. sed quoniam per accidens est, quòd sacerdos iste cui hic confitetur, non habet potestatem absoluendi ipsum ab omnibus quæ commisit, ideo per accidens & peccatum reseruatum huic confessum, reconfitendum est Episcopo: & confessio partialis euenit salutifera. Vltra prædictos autem

tres

tres modos quibus confessio per accidens non integra inuenitur, quartus quoque est, quo etiam per accidens non integra admittitur confessio: quum quis non potest explicitè cõfiteri peccatum suum absque reuelatione confessionis, vel absque periculo famæ, vel vitæ alienæ. Tunc enim aut differat confessionem vsquequo confessor habeatur absque huiusmodi sequelis (quoniam perinde, se habet ac si non haberet copiam confessoris: quia non reputatur confessor, qui non potest omnia audire) aut si opus fuerit confiteatur cum reliquis explicitè, illud seu illius circunstantiam implicitè, cum animo confitendi explicitè de hoc, quum copia confessoris ad hoc idonei erit. Et tunc confessio ista esset non integra per accidẽs: quia non ex intentione pœnitentis, sed ex carentia confessoris integri. Hanc doctrinam ego non approbarem, nisi viderem in supradicto Ecclesiæ vsu cõfessionem non integram per accidens quandoque admitti & rationem suffragari: quia est per accidens non integra: meliusque videtur prouideri conscientiis communicantium, si sic confiteantur, quàm si communicent dilata tota confessione.

Mementote hic ponere in practicam ea quæ diximus in tertia conditione confessionis de occultato habitu, si fieri potest, antequam præcipites sententiam, quòd deficit confessor integre potens omnia audire.

Vndecima, secreta: exclusione internuntii, epistolæ & testis. Ex eo enim quòd confessio fit sacerdoti in persona Dei, excluduntur testes: ex eo verò quòd sacramentalis tam actio quã passio personalis est, excluduntur tam epistolæ quam internuntii. Monstrat autem hoc veritas formæ sacramentalis quũ dicitur, Absoluto te: nam ly te demonstrat præsentẽ personã: sicut in cõsecratione Eucharistiæ ly hoc demonstrat

contentum sub præsenti hostia, & propterea non potest quis sacramentum pœnitentiæ per procuratorem suscipere: nec per scripturam: sicut non potest baptizari quis per procuratorem, nec per scripturam. Verùm aduerte hic perspicaciter duo. Primò, quò ad confessionem per interpretem, quòd licet in casu quo non propria lingua intelligitur, possit fieri confessio per interpretem: non tamen tenetur aliquis ad hunc modum confitendi: quia non tenetur nisi sacerdoti confiteri per se ipsum: & tãtò minus, quãtò interpres quum non se teneat ex parte sacerdotis cui vt Deo peccata reuelantur, sed ex parte pœnitentis, ex cuius ore loquitur, non tenetur sigillo confessionis propriè dicto, sed sigillo fidelitatis tenere secreta confitentis peccata. Secundò, quò ad scripturam, quòd licet mutus non valens signis confiteri, possit per scripturam pœnitentialiter manifestare sua peccata, non tamen tenetur ad hunc modum confitenti: quia scriptura ex sui natura est publica: confessio autem ex sui natura est secreta. Et si fiat pœnitentialiter debet pœnitens tenere scripturam in manibus suis, & non tradere in libertatem confessoris, vt sic minus habeat de publico. Habere autem peccata scripta ad succurrendum memoriæ confitentis, & ex scripturæ lectione confiteri, laudabile est adminiculum humanæ memoriæ ad integrè confitendum. Absolutio autem nullo pacto potest fieri in scriptis tãtùm, & si fiat, siue in præsentia, siue in absentia, nulla est: sicut si verba formæ Eucharistiæ aut baptismi in scriptis proposita sint, nihil operantur ad sacramentum.

Expedit autem aduertere, quòd mutus à natiuitate confiteri tenetur per nutus & signa, vt melius potest. Is autem qui postea factus est mutus, si scit legere tenetur confiteri modo quo potest. Potest autem sine periculo vllo publici signi confiteri hoc modo, vt habeat

habeat vnum folium, in quo sint à quocunque scripta nomina omnium specierum peccatorum mortalium, & circunstantiarum necessariarum, & vnum aliud in quo sint numeri: & rursus habeat aliquas schedulas: in vna contineatur, commisi, in alia, æstimo seu credo: in alia dubito: in alia, non recordor. Et sic posset completè confiteri, monstrando digito in folio peccatum de quo remordet ipsum conscientia, & similiter eius circunstātiam, & similiter numerum, & si est numerus non certus, sed æstimatus, potest simul monstrando numerum monstrare schedulam, æstimo. Et iuxta hunc modum etiam si inter loquendum subitò moreretur, nulla potest sequi manifestatio cuiusque peccati, vt clarè patet. Et propterea non excusaretur à præcepto confitendi mutus negligens sic, vel alio modo confiteri, si per nutus impotens est confessionem perficere integram. Duodecima, lachrymabilis: hoc est contrita: hoc est cum displicentia omnium peccatorum mortalium commissorum supra omne odibile, & cum proposito vitandi omne peccatum mortale supra omne vitabile. Has enim duas conditiones exigit contritio humana: alioquin contritio non est. Verùm quia de contritione in ordine ad cõfessionem præsens est doctrina, scito multipliciter admitti confessionem pro lachrymabili. In primo gradu lachrymarum sunt confitentes cum vera contritione: hoc est humana, formata charitate: imitantes illum qui ait, Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei, & illam de qua dictum est: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. In secundo gradu sunt confitentes verè contriti contritione humana: qui sicut nihil sibi conscii sunt, ita nec olei in propriis vasis sunt conscii, exeuntes obuiam sponso & sponsæ. Et hos credimus fieri de attritis

contritos contritione formata virtute clauium : ita quòd si contingit hos confiteri informes, absoluti tamen formati regulariter sunt. In tertio gradu sunt confitentes cum attritione quidem laudabili, contritione autem ambigua. Et hi sunt tam illi qui dicunt displicere sibi offensas patratas in Deum, & intendere in futurum cauere à peccatis mortalibus secūdum posse suum, quàm illi qui ita se habent ad Deum cōfitendo, sicut se habent ad homines maiores offensas quum petunt veniam dicentes. Displicet mihi quod te offendi, amplius te non offendā, parce mihi. Vtrique enim dolent de præterito, & intendunt vitare in futurum. Sed quoniam potest animus eorum dupliciter esse affectus (vel ita vt virtualiter intendant peccata vitare supra omne vitabile, & similiter quod virtualiter displiceat eis mortale commissum supra omne odibile : vel ita vt virtualiter non se extendat ad hæc: quia nec dilectio Dei acquisita seu humana tantum dominatur in corde, vt præponat verè Dei amorem & obedientiam omnibus delectabilibus, honorabilibus, & vtilibus) ideo dubia est horū cōtritio. Nam si primo modo sunt affecti, essent contritione saltem humana : si verò secundo modo non essent etiam humana contritione contriti. Vtrorumque tamen confessio ab Ecclesia vt lachrymabilis admittitur: non audeo tamen dicere, quod vltimo modo dispositi regulariter fiant virtute clauium de attritis cōtriti. Non sunt autem pœnitentes in tentationē præcipitandi: à confessore nimis zelante, & imprudenter inuestigante, an displiceant sibi cōmissa supra omne odibile in particulari, puta mortē, paupertatē &c. aut si intendit vitare mortalia supra omne vitabile: puta direptionem occisionē, &c. multos enim huiusmodi interrogatio induceret in tentationem. Sed si dubitat rationabiliter de tenui displicentia vel proposito

vitandi,

vitandi, declaret sibi quid importat peccatum mortale, refutare Deum pro vltimo fine quod quantum ad factum, licet non quantum ad affectum, perinde est, vt refutate Deum pro Deo, ac proinde videat quod si dixisset Regi, Nolo te in Regem, quantum esset dolendum & cauendum si semel impetraret veniam, & quam fortiter & firmiter proponeret se omnem suam diligentiam adhibiturum, vt in futurum non incideret in tantum excessum, ita in proposito compareat coram Deo petendo veniam, dolendo quod toties Deum refutauit pro vltimo fine, ac pro Deo (quia ex sua deitate est vltimus finis omnium & ciuium cœlestium) & proponat non se facturum similem iniuriam Deo. Et hortetur eum ad amorem Dei super omnia, & quod ex amore huiusmodi debeat dolere de præterito, & proponere vitationem de futuro, scriptum est enim quod charitas operit multitudinem peccatorum. Et sic accendet cor pœnitentis, & non ponet in periculum tentationis. In quarto gradu sunt confitentes cum attritione sola: quia eorum contritio incerta est, quibus scilicet displicent peccata præterita, & vellent vitare futura peccata, sed in veritate hoc non volunt, habent siquidem velleitatem vitandi futura, sed non habent voluntatem deliberatam ad vitandum futura peccata. Tales sunt vsurarii, aut aliàs tenẽtes alienum, qui nolunt restituere, & similiter omnes in cõcubinatu existentes: & piratæ qui nolunt statum illum deserere, & vniuersaliter qui non sunt parati intẽtione & proposito verè deliberato deserere peccare mortaliter. Horum confessio admittitur ab Ecclesia, sed non ad absolutionem, tales enim non sunt absoluendi: vt patet extrà de Pœnit. & remiss. c. quòd quidam, sed sunt crebris & salubribus monitis ad pœnitentiam veram inducẽdi. Tertiadecima, accelerata: hoc est post commissum

missum mortale non dilata, si commoditas confitendi adest. Et sic intellecta, hæc conditio, quantùm ad executionem confessionis, consilii est, non præcepti, quantùm autẽ ad propositũ confitendi, periculi est, ne subitò præoccupatus morte non habeat spatium pœnitendi. Et quantum ad vitationem huius periculi, seu quantùm ad recessum à statu peccati mortalis: tenetur homo statim habere propositum confitendi: non autem quantum ad vitãdum nouum peccatũ mortale: hoc est, si homo vult assequi recessum à peccato mortali, & à periculo moriendi sine pœnitentia, tenetur necessariò ad statim habendum propositum confitendi, &c. si tamen post commissum mortale hoc non proponit, non propterea peccat de nouo mortaliter. Et ratio dictorum est quia præceptum tam de confessione quàm de illius proposito, est Præceptum affirmatiuum: præcepta autem affirmatiua obligant quidem semper, sed non ad semper, sed pro loco & tempore hoc est tẽpore necessitatis. Et propterea si articulus necessitatis non occurrit, sufficit ad salutem semel in anno confiteri, iuxta Ecclesiæ determinationem: ita quòd nunquam cõtemnat confiteri, proponat autem quando necessitas exiget, hoc est quando tenetur confiteri. De quo vide infrà de contritionis tempore.

Tempus autem necessitatis respectu actualis confessionis nescio aliud quàm tempus periculi mortis ex diuino iure, & semel in anno ex determinatione Ecclesiæ. Ad ministrandum autem sacramenta sine nouo peccato mortali, eademque suscipienda, & alia eiusmodi quæ mundam exigunt conscientiam, contritionem sufficere constat, dicente Apostolo de supremo sacramento. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. & nullo diuini aut humani iuris vinculo ad confessionem cogente sub præcepto peccati

cati mortalis apparente. Quartadecima, fortis: hoc est superans timorem retrahentem à confitendo & explicando peccata. Et licet timor debeat ita superari, vt pœnitens audeat per semetipsum peccata sua dicere: si tamẽ fortitudo tanta est, vt vel per semetipsum dicendo, vel interroganti confessori respondendo, omnia confiteri deliberet, & opere compleat, sufficiens fortitudo est: quia timor non dominatur in animo ad dimidiandam confessionem. Et licet persona aliqua nunquam auderet dicere aliqua peccata, nisi interrogata: ex quo tamen intendit, non complere confessionem nisi explicatis omnibus, & tantùm facere, vt interrogetur: ita & taliter quòd dicet omnia, sufficienter fortis est vt mulier. Si autem potius sacrilegium dimidiæ confessionis mauuit incurrere, quàm explicare peccata, quia confessor absque interrogatione de illis concludit confessionem & absolutionem impendit, æternæ damnationis mortem incurrit ex sua timiditate. Quintadecima, accusans: hoc est sibiipsi imputans peccata, non cœlo, non diabolo, non mũdo, non carni, non sociis, non cõplexioni, &c. Similiter accusans se, non excusans, nam circunstantias aggrauantes debet explicare: excusantes autem debet tacere, imperfectionis siquidem est has deferre: criminis autem non parui est, reiicere iniquitatem suam in alias causas. Sextadecima ac vltima est parere parata: hoc est quod pœnitens sit paratus ad satisfactionem pro peccatis suis debitam iuxta arbitrium confessoris, alioquin sacramentum pœnitentiæ imperfectum esset, carens tertia sui parte, quæ est satisfactio. Intellige autem hanc conditionem appositam secundum communem pœnitentium cursum, communiter enim confitentes de mortalibus, veniũt non vt qui satisfecerint, sed satisfacturi de suis peccatis. Si constaret enim aliquem satisfeciſſe, sufficeret ei

quòd

quòd secundum pręparationem animi esset sic dispositus, quod est parere paratus, si debet satisfacere, & hoc includitur in hoc quòd dicitur parere paratus ad satisfactionē debitam. Si quis autem tam parum dispositus est ad pœnitentiam, vt nullam vellit acceptare à se agendam in hac vita satisfactionem, sed absolui petit remittendus ad pœnam purgatorii, absolui potest, tanquam parere paratus per satisfactionem purgatorii, ne desperatus, in infernum se præcipitet, à quo non multùm distare videtur, qui in huiusmodi pertinacia perstitit. Et tunc confessor absolueret à peccatis, & nō ligaret ad pœnam, sed ligatum ad pœnam relinqueret foro acerrimo diuinæ iustitiæ puniendum temporaliter. Nec sacramentum pœnitentiæ esset omnino perfectum secundum suæ materiæ partes integrales: quia sacramenta omnia ad præsentem vitam spectant, in qua satisfactio valde manca esset. Hic tamen defectus non annullaret sacramentum: quia essentialia saluarentur.

Confessio sacramētalis multis de causis tam ex parte confessoris, quàm ex parte confessi venit iteranda.

COnfessio iteranda considerari debet vel ex parte pœnitentis, vel ex parte confessoris. Et quia in confitente quatuor inueniuntur (scilicet contritio, confessio, satisfactio, & habilitas ad sacramentum) ideo sigillatim pertransire hæc oportet, vt clarior sit doctrina.

Contritio igitur ex duobus integratur, scilicet ex displicentia præteritorum, & proposito vitandi futura. Si totaliter deficeret cōtritio, esset sine dubio iteranda confessio: quia nec confessio esset, sed confessionis simulatio, vbi totaliter contritio deficeret. Impossibile siquidem est, vt confiteatur quis sine aliqua displicen-

displicentia peccati, nam qui confitetur, proponit suum peccatum, vt malum proprium quo desiderat carere: & quantum appetit exonerari, tantum sibi displicet peccationus. Qui autem solum narrandi gratia confiteretur, non nisi æquiuocè confiteretur. Confessio enim sacramentalis, detestatiua est peccatorum confitentis. Quod si attritio pro parte inuenitur, puta quia displicet offendisse Deum, sed non habet propositum vitandi futura, quamuis habeat velleitatem, puta non habet animum restituendi aliena, non habet animũ relinquendi cõcubinam, quamuis vellet non offendere Deum, ex tali defectu cõtritionis pœnitentia redditur nõ vera: vt patet de pœn. & remis. capit. quod quidam. & absolutio neganda est. Et proculdubio sacrilegium committit tam confessor talem absoluens, quàm pœnitẽs absolutionem suscipiens: quia iniuriam inferunt sacramento pœnitentiæ. Et quoniam talis sic confitens, sicut in suæ attritionis defectu proponit se Deo vt impœnitentem (quia vt perseuerantem in peccati mortalis statu scienter & aduertenter) ita Ecclesiæ clauibus proponit se similiter vt impœnitentem, explicando suum animum non deserendi statum peccati mortalis: ideo confessio huiusmodi est iudicio meo iteranda de necessitate quantumcunque integrauerit: nõ quia fuit informis, sed quia per se fuit contra formam sacramenti. Nam sciens & prudens proposuit se vt inabsolubilem. Si demum contritio ambas partes habet, scilicet displicentiam præteritorum, & propositum vitandi futura, sed imperfectè. (puta sic se habet ac si hominem offensum placaret, puta, parce præteritis, de cæterò non te offendam) ex huiusmodi imperfectionibus contritionis non est iteranda confessio: quia perfecta contritio etsi exigitur in deletionem peccati apud Deum, non tamen exigitur ad

deletio-

deletionem peccati apud forum pœnitentiale Ecclesiæ, potest enim nostra vera confessio esse informis. Et nisi posset esse informis, nullus esset certus se esse verè confessum: & oporteret hominem semper de iteranda confessione solicitari, & nunquàm confessioni finem imponere: quod Ecclesiæ aures pias offendit. Rursus nisi cõfessio posset esse informis, oporteret probare hanc exceptionem sacramenti pœnitentiæ, quòd solùm inter sacramenta non potest esse informe: nam reliqua omnia sacramenta possunt esse vera & informia simul, vt patet discurrendo per singula. Potest igitur sacramentum pœnitentiæ verum esse & informe simul. Ex confessionis autem vnico tantùm defectu redditur confessio necessariò iteranda: scilicet si non est integra. Et hoc etiam intelligitur si per se & formaliter (hoc est si voluntariè) non est integra ex parte confitentis: vt superius declaratum est. Contingit autem hoc (vt etiam prædictum est) dupliciter: vel quum confitens ex verecundia, &c. tacet aliquid necessariò dicendum: vel quum tam crassè cogitat de confitendis, vt omittat ea quæ communiter omnes confitentur: puta si non habet animum abstinendi à mortalibus, quod etiam minimæ mulierculæ explicare solent, hæc enim & similia reducunt confessionem dimidiam materialiter, ad dimidiam formaliter propter propinquitatem animi ad incuriam de integritate confessionis. Ex satisfactionis autem defectu, nullum scio casum quo ritè confessus & absolutus teneatur necessariò confessionem iterare. Nam si satisfactionem à confessore impositam, in peccato mortali perficit, non propterea iterare tenetur confessionem: quoniam sine pœnitentia sunt dona Dei: vt dicitur ad Romanos xi. Et si satisfactio informis non valet, vt satisfaciat Deo, sufficit tamen Ecclesiæ, non minus quàm confessio

fessio informis. Si quoque satisfactionis iniunctæ penitus est oblitus, non propterea tenetur iterare confessionem: Tum quia sine pœnitentia sunt dona Dei. Tum quia potest commutari, æstimando quòd satisfactio oblita non excedebat tria psalteria aut annum ieiunii, aut ducentos nonaginta centum ducatorum, & huiusmodi. Tum quia pœnitens non tenetur ad peragendam iniunctam satisfactionem, nisi vt satisfaciat soluendo temporalem pœnam à se debitam, iam taxatam, & acceptatam: & propterea si omittat illam absque contemptu, nihil aliud, nisi peccatum omissionis incurrit, & in reatu temporalis pœnæ non solutæ perseuerat. Ex nullo autem horum constat sequi quòd debeat iterare cõfessionem: sed quòd debeat pœnitentiam delicti agere, & satisfacere, illam vel æquiualentem soluendo pœnam. Et inhabilitate demum confitentis ad susceptionem sacramenti, propter Ecclesiasticas censuras (quia scilicet est excommunicatus siue maiore siue minore excommunicatione: vtraque siquidem excludit à passiua participatione sacramentorum) impediri sacramentum potest dupliciter intelligi. Primò, vt sacramentum nullum sit. Et iuxta hunc sensum non verificatur: quoniam sicut cætera sacramenta ab excommunicatis sumpta, sunt vera sacramenta: ita & sacramentum pœnitentiæ. Secundò, vt sacramentum in iudicium sibi sumatur. Et hic est sensus verus: quia excommunicatus ab omnibus excluditur sacramentis, & nullum sacramentum ab excommunicato susciptur absque sacrilegii crimine. Et quoniam alia est quæstio, an excommunicatus illicitè & indignè immisceat se sacramentis: & alia quæstio an excommunicatus susciat verum sacramentum, quodcunq; sit illud: & veritas nostri propositi ex secunda pendet quæstione: ideo si verum sacramentum pœnitentiæ susciptur ab ex-

communicato, non habet excommunicatio, vnde cogat ad sacramenti pœnitentiæ iterationem: si autem sacramentum ab excommunicatione annullaretur, oporteret sacramentum iterari. Ex iure autem excommunicationem annullare suscepta sacramenta non habetur: quum tamen multa excommunicatis sint sic inhibita quòd facta, sunt irrita, vt acquirere beneficia, eligi, &c. Vnde cõsequens est vt excommunicati confessio integra, si subsequuta est de facto absolutio sacramentalis, non sit necessariò iteranda: sicut non est iteranda persolutio horarum canonicarum, quas excommunicatus exoluit cum aliis solenniter in Ecclesia, & tamen à participatione aliorum qui medietatem dixerunt, erat per excommunicationem excluſus: & sicut non est iterandum sacramentum matrimonii quod excommunicatus contraxit, & sicut non est iterandum sacramentum extremæ vnctionis quod excommunicatus sumpsit.

Confessio sacramentalis quare ex parte confessoris iteranda.

EX parte autem confessoris iteranda cõfessio propter defectum potestatis, vt scientiæ, vel voluntatis est: quoniam hæc omnia ad perfectionem sacramenti exiguntur. Et de potestate quidem constat secundum iura, quod si deficit confessori potestas ordinis: quia non est sacerdos: aut potestas iurisdictionis, quia nec ordinariam, nec delegatam iurisdictionem quouis modo habet: aut vsus potestatis, quia est excommunicatus maiori excommunicatione, aut suspensus ac huiusmodi vsu, confessio iteranda est: quia absolutio nulla fuit. Et ideò sacramẽtum nullũ fuit: quia defuit ipsius forma, quæ est absolutio. Memento tamen hic supradictorũ de absolutione, scilicet quando gesta tenent ratione publici officii propter communem

munem errorem facti cum titulo: quia tunc tenet etiam absolutio sacramentalis, nisi deficeret potestas ordinis: quia potestas ista non potest suppleri à iure positiuo: hodie quoque propter constitutionē Concilii Constantien. sub Martino v. non est iteranda confessio absolutorum ab excommunicato, &c. nisi fuisset denuntiatus, aut propter notoriam percussionem clerici excommunicatus: quia Canon ille cōcedit receptionem sacramentorum ab excommunicato, non reuelando excommunicatum. Cōstat autem quòd absolutio non est in fauorem absoluentis, sed absoluti. Si verò cōfessoris potestas defuit absoluendi à solis casibus aliquibus reseruatis, de quibus pœnitens ei est confessus, & de facto absolutus ab eodem, quando sibi constabit hic confessoris error, non tenetur iterare confessionem tantùm: sed confiteri de illis reseruatis tantùm, sicut si tunc fuisset missus ad Episcopum pro absolutione illorum.

Ex defectu verò scientiæ, quando cōfessio est iteranda vel non iteranda, relinquo prudentis arbitrio, vt singularibus conditionibus pœnitentis & confessoris pensatis, iudicet si confessio sit iteranda. Hoc autem dico, quia ad sacramentum hoc sufficit, vt sacerdos intelligat quæ confitetur pœnitens esse peccata & mortalia quò ad communia & iudicet istū esse absoluendum & sciat absoluere, &c. Sed respectu istius vel illius pœnitentis, potest tanta esse ignorantia, vt ipsemet pœnitens cognoscat non cōfessum. Et potest esse sine scientia, tanta practica, vt fuerat sufficientior multis doctis cōfessoribus. Ex parte demum voluntatis, si finxit absoluere, & non absoluit: aut si non erat tunc mentis compos (quia deficiente ei vsu liberi arbitrii) aut quia noluit absoluere, confessionem iterare oportet: quia sine vera absolutione sacramentum nullum est. Memento inter

omnia hæc, quòd quando oportet iterare confessionem, si eidem confessori persona confitetur, non oportet iterare perticulariter replicando, sed sufficit dicere, Dico meam culpam de illis omnibus quæ aliàs dixi Pa.v. & pœnitentiam taxatam ab eodem in memoriam reuocare saltem modo superius explicato: vt sic confessio olim facta perficiatur & continuetur cũ noua contritione, satisfactione, & forma sacramenti.

Confessor sacramenti quas debet habere conditiones.

CONfessor debet habere quinque conditiones, potestatem, scientiam, prudentiam, bonitatem, sigillum. Et de potestate quidem tam ordinis quàm iurisdictionis dictum est & paulò antè, & in verbo, Absolutio. De scientia autem, in cap. omnis vtriusque sexus. de pœni. & remis. dicitur. Sit discretus & cautus, vt more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris & peccati circunstantias, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad soluendum ægrotum.

Vnde euidenter apparet, confessorem oportere habere scientiam inquisitiuam de circunstantiis peccatoris & peccati, & scientiam medicatiuam animæ ægrotæ. Et prima quidem scientia necessaria est simpliciter confessori ad cognoscendum & iudicandum: quòd constat esse officium confessoris, quum verè & propriè sit iudex in foro pœnitentiali. Secunda autem scientia requiritur ad confessorem, quatenus se habet vt medicus animæ. Et quia hoc non conuenit confessori nisi metaphoricè, nec totaliter, nisi sit pastor: ideo ista secũda scientia minus requiritur quàm prima. Oportet ergo secundum sacros Canones confessorem

fessorem habere tantam scientiam, vt sciat circunstantias peccatoris & peccati: siue hæc sciat Latinè, siue vulgariter. Et quoniam inter circunstantias peccatoris & peccati constat computari, si excommunicatus est peccator, & si tenetur ad restitutionem, & si est in statu perseuerādi in peccato mortali, & si quid aliud est simile, & si peccatum est reseruatum superiori, & si confitens est sibi subditus quò ad hoc: ideo scire prima tria horum tenetur quilibet confessor: quartum verò (scilicet casus reseruatos) quilibet impotens absoluere à reseruatis: quintum autem quilibet qui non vniuersalis totius mundi confessor est. Et si confessor hæc nescit, & aliàs est idoneus: antequam audiat pœnitentem, prædicet ei, vt liquidet se cum doctis, si incidit in aliquam excommunicationē, & quòd det sibi notitiam casuum ibi reseruatorum, &c. Sine autem hac prima scientia nescio excusare à peccato mortali audientem confessiones: nisi per accidens: puta quis pœnitens supplet scientia, aut practica, aut conscientia, quia scitur esse personam sine huiusmodi laqueis. Hanc autem scientiam non ita intelligo exigi, vt omnia peccata, & excommunicationes, & circunstantias in promptu habeat, sed quòd sciat sic, vt audiendo confessionem, sciat dubitare de excommunicatione, de reseruatione, de statu, de restitutione, &c. Vt habito consilio vel recursu ad librum sciat iudicare. Ratio autem necessitatis huius scientiæ est: quia sine illa officium iudicis exercet, cæcus cæco ducatum præbens: & non nisi à casu rectè iudicabit. Secunda autem scientia debet se extendere ad minus, ad hoc, vt sciat oleo diuinæ misericordiæ, vel vino diuinæ iustitiæ impœnitentem emollire, desperatum exigere, pusillanimem confortare, aut remittere ad meliorem confessorem: & breuiter in remediis necessariis ad salutem, aut per seipsum sciat

prouidere, aut remittere ad alium meliorem seu doctiorem, vel saltem sciat seipsum exonerare, dicens, Fili, quære alium confessorem pro salute tua: quia ego non possum meæ conscientiæ satisfacere de casibus tuis. Tertium necessarium confessori, est prudentia: quia post admissum pœnitentem pro subdito, hortetur vt dicat, vt sciat peccata de quibus ipsum conscientia remordet, & præcipuè grauiora: permittatque dicere etiam crassissimo modo: vt vel sic ipse cõfessor sciat, quibus est inuolutus peccatis ille pœnitẽs, & de quib. interrogaturus est. Deinde interroget prudenter circa proposita, & si quæ alia verisimiliter putat, aut dubitat omissa, de reliquis non interroget. Interrogando autẽ non sit molestus, nimis exactè quærens numerũ æstimatum: non sit scandalosus sibi aut pœnitenti, nimis quærẽs circunstantias venereorum. Hoc nanq; vltra peccatum superfluitatis est, præcipitare se aut pœnitentẽ in tentationem. Nimis autem quæritur, quando habita peccati specie adhuc quæritur, verbi gratia, si mulier confitetur se cognitã extra vas naturale, sufficit, & non quæratur in qua parte corporis: imò instruatur, vt omnes vices quibus extra naturale vas est cognita, simul adunet: & non aliter explicando dicat. Peccaui extrà toties, nec ad plus tenetur. Et si peccatum est molitiei voluntariæ, non quæratur quomodo, & sic de aliis. Nec excusent se confessores super ignorantia aut desolatione pœnitentis: quoniam sic declaretur pœnitenti, quod sufficit dicere speciem, & quòd non expedit dicere, nec ad memoriam reuocare huiusmodi obscœnos modos, sed doleat de offensa Dei, fugatur ignorantia, & aduenit consolatio. Et quod de his dixi, intellige de reliquis superfluis. Debet quoque esse prudens in vocabulis, vt non nominet turpiter quæ turpe est audire: vt si de modo naturalis vsus coniugii instruendus est

pœni-

pœnitens, potest dicere quod est, vt mulier faciem habeat versus cœlum, & vir versus terram: & sic intelliget, si oppositio modo fuerit, aut si spatulas habuit mulier ad virum. Et sic honestis vocabulis, quando oportet instruat pœnitentem confiteri, & seipsum interrogare. Et hæc sint dicta causa exempli. Multa opus est confessori prudentia circa media, quibus pœnitentem inducere debet ad duo potissimè: scilicet ad displicentiam maximam offensarum Dei, & ad propositum firmum mutandi vitam: ita quòd amplius non offendat Deum mortaliter: Et ad primum quidem ex parte ipsius Dei summi optimi, creatoris, redemptoris, benefactoris, gubernatoris &c. expedit procedere. Ad secundum verò excidendo causas quare cecidit: puta malam societatem, frequentationem talis loci, &c. proponendo quoque periculum mortis repentinæ, grauitatem ingratitudinis in recidiuo. exempla de terra sæpe compluta & instructuosa, ad Heb. vi. & similia. His enim duobus debet præcipuè confessor studere: quoniam omnis fructus est, vt auferatur peccatum: & melius est audire duos bene, quam viginti perfunctoriè. Sit demum prudens circa satisfactionem imponendam: vt commensurata sit pœnitenti magis, quàm peccatis. Declaret quidem quanta peccatis suis debetur, imponatur fructuosa, exhortetur ad reliquam per seipsum exoluendam. Nec laudo imponentes breuissimam satisfactionem, nunc explendam, quasi solam sacramentalem. testis siquidem est huiusmodi actio animi minimè pœnitentis, minime reuersionis ad Deum, cuius oppositum supponere debet confessor: imò talibus est differenda communio, vt interim in operibus misericordiæ exerceantur. Non cognosco hanc prudentiam esse, sed cautelam non secundum virtutem. Non est forum pœnitentiæ foro mercium adsimilandum.

Non sunt confessores vt mercatores, vt dispendium patiantur, si ad forum non concurritur. Non eget Christus nostris imprudentiis. Quartum ad confessorem requisitum est bonitas: vt scilicet sit sine peccato mortali: hoc est, vt nullum habeat mortale peccatum, de quo non sit contritus formaliter vel virtualiter. Nam si quis in peccato mortali existens, ministraret sacramentum pœnitentiæ, incurreret crimẽ sacrilegii: quoniam indignè tractat sacramentum: & quantum in se est, polluit sacramentum sua iniquitate. Et ideò qui accedit ad audiendas confessiones, debet prius probare seipsum, saltem in generali: dicendo vere suam culpam de omnibus commissis, cum vero proposito amplius non peccandi mortaliter, & satisfaciendi Deo, &c. sic contritus ministret sacramentum. Quintum confessori necessarium, est sigillum confessionis: hoc est debitum efficax sacramentandi confessionem auditam. Reuelans enim confessionem, mortaliter peccat: quia sacrilegii iniuriam infert sacramento: ex cuius natura est, vt confessor nihil sciat, vt homo. Vbi scito sigillum confessionis obligare ita ad secretum, vt nullo præcepto, nullo metu, nulla vi excusari possit: imò potest iurare se nihil scire, si de alicuius peccato quod in confessione tantùm scit, interrogetur. Et si interrogatus fuerit, an in confessione sciat talem furtum fecisse, potest liberè iurare, Ego nihil scio: sed non addat in confessione, nec tenetur respondendo addere, nec respondere secundum mentem interrogantis. Et nota quòd si ego sciam cum toto populo Magdalenam concubinam, & Magdalena mihi confessa sit de peccatis suis, specialiter de concubinatu suo, si ego postea dixero, Magdalena confessa est mihi peccata sua, non reuelo confessionem, quia confessio non fit, nisi de peccatis. Sed si dixero, Magdalena confessa est mihi de concubinatu

binatu suo, iam reuelo confessionem: quia concubinatus, vt cognitus per confessionem, manifestatur. & simile est de vsurariis, & de aliis peccatis. Et propterea confessor, cùm audire eum contingit confessiones publicorum peccatorum licẽtiam petat à pœnitente loquendi de istis publicis, ad dicendum quod iste confessus est de tali peccato, & reliquit illud, & petit veniam de scandalo, & mandat restitui, &c. Potest tamen sine omni licentia dicere. Ego audiui confessionem istius: ritè confessus est, absolutionis beneficium impendi: hæc enim bona generalia potest dicere. Sed si non absoluat, & oporteat respondere interrogantibus, debet dicere. Ego feci officium meum, vel aliquid huiusmodi. Si tamen diceret. Ego illum non absolui, non esset de iuris rigore reuelator confessionis: quia ista negatio nullum manifestat peccatum confitentis: quia potest ex pluribus causis prouenire. Ex parte quidem confessionis: puta quia confessio non completa: vt contingit in producentibus vnã confessionem per multos dies, & ex aliis causis. Ex parte verò confessoris: quia noluit absoluere: vt contingit iis qui proprii capitis sunt. Ex parte quoq; pœnitentis: quia pœnitenti non satisfacit confessor, & ex pluribus aliis causis. Quia tamen suspicio non irrationabilis, impœnitentiæ confitentis ex his verbis quandoque generatur: non est dicendum. Ego illum non absolui: sed, Ego feci officium meum. Nullo autem modo excusari posset, si diceret causam: puta, nõ absolui quia non vult restituere: quia est impœnitẽs seu obstinatus: quia non vult relinquere cõcubinam. Hoc enim manifestè confessionem reuelat. Curatus autem quum ad comicandum concubinarios, vsurarios, & huiusmodi vocatur, non petat à confessore si est absolutus: sed etiam si ipsemet illius confessionem audisset, & non absoluisset, habeat se tanquàm si nihil ex

hil ex confessione sciret: & dicat, Quia iste hactenus fuit & est: quantum apparet in tali peccato publico: & peccatum publicum debet publica pœnitentia apud homines purgari propter scandalum: ideò nisi publicè constet te vel illum reliquisse peccatum, nolo communionem dare, nec ad Ecclesiasticam sepulturam admittere. Et sic absque hoc quod ipse reuelet confessionem, negabit comunionem, &c. iustè & sanctè. Si quoq; diceret, ego non possum, aut potui ipsum absoluere: quia non video pœnitentiam publicam de peccato publici concubinatus, apostasiæ, vsuræ, &c. non reuelat confessionē, quia nihil dicit, quod sciat per confessionem, sed quòd tam ipse quàm alii vident, scilicet nō pœnitere publicè de peccato: quum debeat publica pœnitentia præcedere absolutionem, si peccatum est publicum: ita quòd saltem debet pœnitens publicè satisfacere publico Ecclesiæ scandalo, docendo publicè quòd reliquit cōcubinam, quod restituit, quòd &c. Aliud quippe est dicere, Iste non facit aut facit pœnitentiam publicè, & aliud est dicere, Iste non vult pœnitere, iste est obduratus in peccato suo. Hoc enim confessor per confessionem scit: quia ille dixit confitendo. Ego nolo relinquere statum meum malum. Illud verò cōfessor videt sicut cæteri: & ideo hoc tacendum, & illud dicendum est. Extenditur autem confessionis sigillū non solùm ad occultandum peccata in confessione audita, quatenus sunt peccata illius qui confessus est: sed etiam ad occultandum omnia in confessione audita, quatenus per illorum aliquid posset percipi, vel in suspicionem duci peccatum aliquod illius qui confessus est.

Et obligatur confessor sigillo confessionis, siue absoluerit, siue non: quoniam peccata sunt ei dicta, non vt homini, sed vt Deo: siue subsequuta fuerit absolutio, siue non.

Sed

Sed si non in sacramentali confessione, sed secretum committendo dicatur alicui, Hoc tibi dico in pœnitentia seu sub sigillo confessionis: non propterea obligat ibi sigillum confessionis: quoniam sigillum confessionis non potest inueniri sine sacramentali confessione: quoniam non est humanæ auctoritatis, sed solius, diuinæ institutionis vinculum sacramentale. Et scito quòd huiusmodi secreta extra sacramentalem confessionē dicta sub sigillo, &c. si audiens non acceptat se recipere sub sigillo, non tenetur: si verò acceptat, tenetur ex promissione sua, iuxta aliorum iura secretorum, minus quàm si iurasset tenere secretū: quia iuramentum est maius vinculum quàm promissio assimilandi sigillum confessionis.

Sacramentum confirmationis contemnens peccat.

COnfirmationis sacramētum (quod Chrisma vocatur) negligens accipere, peccat: quia debet esse sibi solicitus de sacramēto communi omnibus Christianis ad robur fidei à Christo instituto. Non peccat tamen mortaliter, si desit cōtemptus: quia sacramentum hoc nec est necessitatis absolutè, nec ex exactione Ecclesiæ.

Coniuratio seu conspiratio vitiosa.

COniuratio, quæ & conspiratio dicitur (qua plures fidei sibi inuicem præstita cōueniunt ad malum aliquod patrandum, vel ad se tuendum contra publicam potestatem, vel ad non parendum in aliquo) communiter est peccatum mortale & scandalosum: quia communiter est contra bonum publicum vel alicuius priuati: licet rarius hoc videatur accidere.

Con-

Conſcientia licet erronea, obligat.

CONſcientia etiam erronea obligat, intantũ quòd ſi conſcientia alicuius haberet, quòd ſpuere in Eccleſia eſſet peccatum mortale, & tamẽ contra perſeuerantem talem conſcientiam ſpueret in Eccleſia, peccaret mortaliter, quia quantum in ſe eſt, conſentiret in peccatum mortale formaliter. Et ſimiliter ſi conſcientia dictat, quòd eſt veniale, & tamen facit, peccat venialiter: quia quantum eſt ex parte ſui, conſentit in peccatum veniale formaliter. Deponat autem huiuſmodi erroneam cõſcientiam, ex ſe vel aliorum conſilio: & ſic libere operetur vt alii operantur.

Contemptus in moralibus dupliciter conſiderandus.

CONtemptus dupliciter in moralibus ſumitur. Primò vt eſt peccatum, qua ſcilicet aliquis ſpernit proximum. Et vt eſt cauſa peccati, prout dicitur vnus peccare ex contemptu, alius ex infirmitate, alius ex ignorantia. Et primo quidem modo ſi propriè & formaliter intelligatur, eſt peccatum mortale ex ſuo genere: quia eſt actus iniurioſus proximo, lædens, quantum in ſe eſt, notabiliter proximum. Contemnere enim proximum, importat affectum deprimentem proximum à ſua æſtimabilitate: opponitur ſiquidem contemptus proximi, æſtimationi illius. Et quantum bonum eſt homini æſtimari, tantum malum ei infert, contemni. Conſtat autem hominem à multorum conſequutione bonorum impediri ex hoc quòd deſpicitur, & multùm ſe ſentire offenſum quicunque ſentit ſe deſpici: reſtantur hoc iræ, rixæ, pugnæ, ſciſmata, bella, & innumera mala quæ homo committit ex hoc, quòd deſpici non ſuffert. Quia igitur notabilis proximo irrogatur iniuria, ex hoc quòd deſpicitur, patet quòd contẽptus proximi eſt peccatũ mortale,

for-

formaliter loquēdo hoc est ex intentione cōtemnendi, nullus enim formaliter contemnit proximum, nisi qui spernit proximum vt spernat proximū: sicut nullus detrahit formaliter, nisi qui detrahit vt detrahat: & nullus contumeliam formaliter dicit, nisi qui dicit vt contumelietur, & sic de aliis. Qui verò despicit proximum non vt spernat, materialiter tantùm contemnit. Nec peccat mortaliter, nisi notabiliter offendatur proximus, tunc enim redit actus in naturā suæ formæ: sicut in detractione & similibus accidit. Est quoque proximi contemptus peccatum veniale propter imperfectionem actus, vel ex parte imperfecti actus spernendi, vt contingit in primis motibus, vel ex parte rei in qua spernitur, quia minima est: quia parum pro nihilo reputatur. Et si paululum subsistes, videbis peccatum hoc mortaliter sumptum valde commune esse humano generi: vtpotè à superbia procedens, à qua nisi speciali priuilegio nullus expers videtur.

Contemptus autem secundo modo (hoc est vt connumeratur specialis causa peccatis, distincta contra infirmitatem, &c.) est nolle subiici cui oportet subiici. Et hoc quoque formaliter intellectum, ex suo genere peccatum mortale est: peccatū quidem, quia contra rectam rationem est: mortale verò, quia contra dilectionem Dei vel proximi est, nolle subiici cui oportet subiici. Nam contra dilectionē Dei est nolle subiici Deo, seu præceptis, & mandatis, & consiliis eius quibus oportet subiici: & contra dilectionē proximi est, si oportet illi subiici, nolle ei hoc debitum exhibere, quod est subiici illi. Et propterea ex cōtemptu peccare formaliter loquendo, est peccare mortaliter. Vnde dicere verbum otiosum ex contemptu, est mortale peccatum. Imò nolle sequi consilia Christi (puta nolle ingredi religionem ex cōtemptu consilii Christi)

Christi) est peccatum mortale, hoc enim nihil aliud est, quàm nolle subiici Christi cõsiliis vt cõsiliis: quod tamen est ne necessitate salutis: quãuis adimplere cõsilia Christi, sit non necessitatis, sed perfectionis. Et dicere verbum otiosum ex contemptu est dicere verbum otiosum, vt faciat contra legem Dei, quæ inhibet verbum otiosum. Hæc autem maxima peccata rarò accidunt, nisi pessimè dispositis seu habituatis, intantum vt ex odio legum & legislatorum operentur etiam formaliter quæ contra superioritatem legis vel legislatoris directè tendant.

Aduerte hic duas distinctiones. Prima est inter consolationem & subiectionem, propter quam puella indignata parata est se vestire puerum quæ dicente matre. Indue puerum, non vult vestire illum ne mater habeat consolationem de bene induto puero, non peccat ex contemptu sed ex indignatione nec indignatio ducit illam ad contemptum quia illa non eligit non subiici, sed non cõsolari. Nec præterit mandatum vt non obediat, sed vt non consoletur. Et simile est de similibus iudicium. Secunda est inter contemptum simpliciter, vel secundũ quid. Propter quam subditus qui dicente Prælato, claude hostium, vt non faciat verbum prælati, in hoc tamẽ minimo, paratus absolutè obedire, omittit claudere ostium, nõ peccat mortaliter: quia non cõtemnit simpliciter, sed secundum quid mandatũ Prælati: hoc est. quia non præterit illius mandatum, vt faciat contra illius mandatum absolutè, sed cum hac additione in minimo: ita quod ly minimum, minuit rationem mandati, ac per hoc minuit rationem contemptus: vt tanquam imperfectus actus non sit contemptus simpliciter, ac per hoc nec peccatum mortale. Et ex hoc capite verificatur, quòd peccare venialiter ex contemptu infra limites venialis, non est peccatum mortale, hoc enim

est ex

est ex contemptu secundum quid peccare venialiter. Quum etiam simpliciter & absolutè quis contemnit mandatum, non modificat illud ex minimo opere. Et econtra, quum quis ex hoc quòd de minimo agitur, in contemptum tendit non ruit in contemptum, sed sustentatur affectus à minimo tanquam nō contemnat: sicut in minimo furto sustentatur accipiens occultè minimum tanquam non furetur.

Contentio verbalis quando vitiosa.

COntentio vt est nomē peccati, significat pugnam loquutionis non secundum rationem, vel quantùm ad modum, vel quātùm ad rem de qua est contentio. Vnde quandoque est peccatum mortale, & quandoque veniale. Nam si contentio pugnat cōtra veritatem cognitam, erit iuxta veritatis naturam iudicanda hoc est, si veritas impugnata, est veritas fidei, aut necessaria ad salutem alicuius siue quantùm ad animam, siue quantùm ad corpus: siue quantùm ad res seu famam: & breuiter, si veritas est talis, quòd eius mendacium esset pernicioſum, contentio pugnās contra talem veritatem est pernicioſa, ac per hoc mortale peccatum. Si verò huiusmodi veritas nō est talis vt oppositum mendacium sit pernicioſum, contentio contra illam, peccatum veniale est. Et hæc intellige formaliter, scilicet in pugnante contra veritatem ex intentione contra veritatem. Nam si ex alia intentione fit (puta propter exercitium aut disputationem) contentio non nisi materialiter est, quæ potest esse, & est sæpe laudabilis. Si verò contentio à ratione discedat, quia immoderata est (puta clamando, &c.) sic communiter videtur peccatum veniale: nisi fortè scandalum haberet annexum trahens ad mortale. De quo dic vt infrà de scandalo.

Contritio peccatorum quæ præsupponat.

COntritionis quinque sunt considerandæ: scilicet differentia ab attritione, materia, modus, necessitas, & tempus. Contritio tria exigit, displicentiam de commissis peccatis supra omne odibile, propositum vitandi peccata supra omne vitabile, & propositum confitendi seu satisfaciendi. Hoc tertium requiritur, si homo non est confessus: duo autem prima simpliciter & absolutè exiguntur. Ita qúòd hinc habes differentiam ab attritione. Nam si alicui displicet peccatum quod fecit, sed non supra omne displicibile, non est contritio, sed attritio. Et similiter si intendit vitare peccatum, sed non supra omne vitabile, non est contritio, sed attritio. Et scito quòd huiusmodi vera contritio dupliciter inueniri potest, scilicet formata, vel informis, hoc est cum gratia & charitate Iesu Christi, & sine illa homo quidem potest esse certus se habere contritionem veram, dubitando an sit formata vel informis: quoniam potest esse certus de affectu suæ voluntatis, quòd plus displicet sibi offendisse Deũ mortaliter quàm quodcunque aliud malum: & similiter quòd plus intendit vitare mortalem offensam Dei, quam quodcunque aliud: non tamen est certus propter hoc se esse in charitate & gratia Dei. Vnde debet quilibet esse certus de cõtritione humana, hoc est quantum ex nobis pendet, non autem de contritione formata diuina gratia. Hæc de primo.

Materia verò contritionis (hoc est de quo debet homo conteri) constat principaliter esse peccatum mortale, & secundariò veniale. Et quia impium est dimidiam à Deo sperare veniam, oportet cõteri non de vno peccato sic, & de alio non: sed de omni peccato mortali proprio.

Modus autem contritionis sufficiens ad salutem est,

est; vt homo qui multa habet mortalia, in generali detestetur omnem suam mortalem in Deum offensam cum animo vitādi de cætero, vt dictum est, hoc, vt dissidentia hæc odio habet commissa supra omne odibile, & propositum vitandi intendat supra omne vitabile. Sic namque contritio generalis, est contritio virtualiter attingens omnia & singula cōmissa etiam oblita. Nec exigitur ad salutem habere singulas contritiones iuxta singula peccata, nec secundum numerum, nec secundum species peccatorum, testante hoc domino dicente de Magdalena, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm, & non dixit, quoniam dilexit multoties.

Necessaria autem est contritio peccatori ad salutem, quoniam sine pœnitentia peccatum non remittitur: pœnitentia autem principaliter consistit in contritione, quæ necessaria fuit ante legem, sub lege, & tempore gratiæ.

Tempus autē quo tenetur post commissum mortale quis conteri, quantum ad surgendum à morte peccati, & vitandum periculum repentinæ mortis ac damnationis determinatum est ad statim, quia nec per momentum tutum est, licitumque stare in statu offensæ & iræ Dei. Quantum autem ad vitandum nouum peccatum transgressionis præcepti de contritione, tempus est determinatum ad articulum necessitatis: sicut in aliis affirmatiuis præceptis contingit. Duplex autem necessitas ex se cogit ad cōtritionem. Prima est periculum mortis: quia tenetur homo in hac vita conteri. Secunda est susceptio vel administratio sacramenti, & vniuersaliter, exercitatio cuiuscunque actus exigentis necessariò hominem sine peccato mortali: quia nisi conteratur tunc homo, mortale peccatum incurreret. Tertia verò necessitas, scilicet ex præcepto Ecclesiæ semel in anno, scilicet tem-

pore confessionis, non tutè affirmatur: quia si attritus (vt prædictum est) suscipit sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ, satisfacit præcepto Ecclesiæ. Ex hoc autem quòd peccata memoriæ occurrunt, sicut non tenetur ad tunc confitendum, ita nec ad tunc conterendum. Vtrumque enim est præceptum affirmatiuum, obligans tempore necessitatis, quod non constituit memoria. Sed tenetur semper ad non approbandum, ad nō complacendum: quia ista sunt præcepta negatiua, quæ obligant semper & ad semper. Dies quoque festos sanctificare noua contritione peccatorum, sanctum consilium ac omni obseruatione dignum est, non tamen præceptū: quia nec ex parte contritionis præceptum de contritione determinatur ad diem festum, nec ex parte diei festi præceptum de sanctificatione festorum, determinat sibi contritionem peccatorum.

Contumax potest excommunicari.

COntumacia, pro quanto contra obedientiam iudici debitam tendit, peccatum est mortale. In cuius signum potest contumax excommunicari.

Contumelia quando sit peccatum mortale.

COntumelia (qua quis malum culpæ iniuriosè in proximum coram profert: puta, Tu es fur) peccatum mortale est formaliter sumpta: quia quantum in se est, lædit proximum in bono honoris. Dixi formaliter, hoc est ex intentione dehonorandi, quia materialiter (hoc est non ex intentione dehonorandi) possunt verba contumelioſa absque vllo peccato dici: reprehensionis gratia, vel cum peccato veniali ex leuitate. Memento quoque hic & vbique, quod huiusmodi peccata mortalia ex suo genere sunt venialia propter imperfectionem actus, vel quia primi motus: vel quia contumelia minima, vel quia materialiter

ter tantum contumelia est, nisi forte notabilis læsio proximi inde sit.

Conuicium duplicem importat iniuriam.

COnuicium duplicis iniurię nomen est. Quandoque enim generalem sonat iniuriam in proximum, coram illatam verbis, siue significetur malum culpæ, vt esse sacrilegum, sicarium, &c. siue malum pœnæ vt esse cæcum vel claudum: ita quod contumelia est species conuitii. Quandoque autem sonat iniuriam pluriũ simul vociferantium iniuriosè contra proximum, vt dicatur conuicium quasi conuocium à multitudine vocũ: vt contingit sæpe transeunti pauperi à leuibus personis, iocosè tamen fieri. Et vtroque modo ex suo genere formaliter (hoc est ex intentione dehonorandi factũ) constat esse peccatũ mortale: quia quantum est ex intentione actus & loquentis, læditur proximus in honore. Veruntamen propter imperfectionem actus (puta quia materialiter tantùm conuitiũ dicitur sine notabili detrimento honoris, aut quia non verè consensit vt dehonorandi gratia conuitiaretur, sed quasi primus motus fuit quò ad hoc, aut quia in minimo non curauit dehonorare) veniale tantum peccatum incurritur. De exemplo autem dicto conuitiantium iocosè, diximus: vt intelligatur conuitii significato, non quod iocosè factum, sit mortale, communiter enim veniale est conuitium iocosum, sed quod seriò & formaliter fit, mortale est ratione dicta.

Debitũ omittẽs correctionis grauiter peccat.

COrrectionis, qua subditi à superioribus corrigi, debent (siue puniendo factis, siue increpando verbis, siue superiores sint Prælati Ecclesiastici, siue domini seculares) omissio quãdo, sicut, vbi &c. oportet, proculdubio peccatum est mortale: nisi propter

imperfectionem actus sit veniale: quia præceptum de huiusmodi correctione, præceptum de actu iustitiæ necessariæ, ad publicum præcipuè bonum. Sed perspicere in singularibus casibus occurrentibus, si nunc huius hæc correctio est de necessitate iustitiæ, non est facile: ita quod in generali constat correctionem de qua loquimur, non posse sine peccato mortali omitti, quando est necessaria ad rempublicam, si correctio incumbit propter bonum publicum: vel ad personam priuatam si correctio exigitur propter bonum alicuius priuati. tenetur enim superior ad exercendum iusticiam propter vtrumque bonũ. Sed quoniam contingit quandoq; punitionem, quæ propter bonum publicum esset absolutè necessaria, propter incidentia non expedire tunc, sed esse differenda (vt Dauid distulit punitionem Ioab, qui occiderat duos principes) aut remittenda (vt Dauid pepercit Absalom qui interfecerat fratrem, & pepercit Nabal) aut aliter commutandam &c. ideo prudentia quæ circa singularia versatur, maximum locum habet circa huiusmodi correctionis præceptum exequendum. Nec facilè damnandi sunt, qui non omnia corrigunt rationabiliter aliquas correctiones omittentes (Isboseth: quia minus cautè increpauit Abner, quod ad cõcubinã patris introisset, regnum perdidit, Dauid quia nunquam increpauit Amon suum primogenitum de stupro sororis reprehenditur à scriptura) nec facilè excusandi sunt omittentes corrigere. Ex parte siquidem correctoris, si conatur secundum prudentiam implere correctionis præceptum, in tuto à mortali peccato conscientia est, etiã si quãdoque erraret, esset enim tunc materialiter tantùm transgressor, scilicet non ex intentione omittendi correctionẽ: & venialiter peccaret, sicut & leuium correctionẽ omittẽdo, propter imperfectionem actus ex parte materiæ.

Correctio

Correctio fraterna est de necessitate.

COrrectionis fraternæ (qua quisque tenetur proximum suum corrigere verbo, quando oportet &c.) omissio, potest esse peccatum mortale, & veniale. Est enim præceptum huius correctionis de præceptis charitatis & eleëmosynæ spiritualis. & ideo non quilibet venit corrigendus, sed indigens correctione. eleëmosyna enim non nisi indigenti danda est. Et quia est præceptum affirmatiuum, obligat pro loco & tempore necessitatis: quando scilicet aliquis morte peccati detentus probabiliter creditur mea correctione liberandus: ita quod si credo, quod sine mea correctione resurget (puta quia est homo suæ conscientiæ scrutator) aut nullam habeo probabilitatem quod ex mea correctione resurget (puta quia nullam habeo illius notitiam) aut dubito, quòd ægrè feret correctionem, & blasphemabit, vel nihil prodero, nō teneor ad correctionem fraternam: quoniam tunc non sumus in casu necessitatis, quādo scilicet aliquis morte peccati detentus, probabiliter creditur mea correctione liberandus: quia deest vel probabilis credulitas liberationis, vel deest necessitas meæ correctionis. Imò stante isto casu necesitatis, si non ex intentione, sed ex quadam tepiditate omitteretur correctio, non esset peccatum mortale, sed veniale: quia in affectu non præponitur bono fratris omissio correctionis, ex quo non intendit omittere illam, sed materialiter tantùm omitteret, nisi tanta esset necessitas peccatoris ob ignorantiam forte, quod ratione notabilis damni imputanda esset omissio ista, & rediret in naturam suæ formæ ac si fuisset ex intentione, vt in aliis peccatis contingit. Est ergo omissio fraternæ correctionis circa peccata mortalia tunc tantùm mortale peccatum, quando ex intentione fit in

casu quo creditur opus esse illius correctione ad liberandum à peccato mortali,& probabiliter creditur liberatio inde futura: quia tunc quantum fit formaliter contra præceptum correctionis fraternæ, veniale autem quum vel materialiter omittitur, nisi emergens damnum in mortali naturam reduceret, vt dictum est (materialiter autem omittit quicunque in animo fraternæ charitatis bonum proponens quibuscunq; bonis & malis mundi, omitti: quoniã talis non intendit subtrahere bonũ necessariũ ad salutem proximi:) vel in aliis non mortalibus omittitur.

Nec mireris, quod in hoc præcepto diximus requiri probabilem opinionem de fructu correctionis: quoniam corrector tenet locum agentis, & corrigendus patientis: actus autem actiuorũ fiunt in patiente bene dispositio. Et propterea, sicut oportet correctiorem non ex voluntate, sed ratione accipere tempus, & locum, & alias occupationes & dispositiones corrigendi: ita non ex voluntate, sed ratione debet habere, si est fructuose susceptiuus suæ correctionis: quod est habere probabilem opinionem de futuro fructu.

Crudelitas excessiua peccatum est.

CRudelitas (hoc est atrocitas animi in pœnis exigendis) hoc est mortale pro quanto excessum in puniendo ponit, crudelis enim causam puniendi habet: sed modum non habet, peccatque manifestè contra proximum, plus puniendo quàm mereatur: vltra malam dispositionem proprii animi, qua seipsum fœdat crudelitate.

Curiositas secundum diuersa obiecta dici potest vitiosa.

CVriositas, cùm immoderatum ponat appetitum cognoscendi siue per intellectum siue per sensum,

sum, peccatum est: quia plus quam recta ratio dictat, appetitum cognoscendi protrahit. Non est autem mortale peccatum si nuda sit, hoc est nisi ex adiuncto fiat mortalis, vt si curiositas intantum exorbitet, vt dæmonibus vti velit magistris, vel ad periurium seu perfidiam inducere velit habẽtem aliquid in secreto, & sic de aliis, quæ possunt adiungi criminibus trahentibus curiositatem ad peccatum mortale.

Decimarum non solutio pernicioſa ſacrilegium reputatur.

DEcimas soluere omittens vbi consuetum est solui, peccat mortaliter peccato sacrilegii: quia non reddit debitas res Ecclesiæ, cui tenetur reddere de necessitate salutis, constat enim hoc ex suo genere esse peccatum mortale, & sacrilegium, nisi propter imperfectionem actus, vt in aliis contingit. Vbi autem non est consuetum solui decimas, non peccat omittens soluere, salua tamen cura pastoris sui, vt habeat vnde viuat honestè, si non habeat reditus vnde viuere, secundùm quod sibi congruit, possit: quia ad hoc pro sua rata quilibet ei subditus tenetur, nulla ipsi consuetudine suffragante.

Defenſio manualis immoderata, vitioſa eſt, moderata verò permittitur.

DEfensio manualis illicita dupliciter redditur. Primò, ex intentione, si scilicet, animo lædendi offensorem fit. Nam defensio debet esse suo fine contenta, scilicet vt defendat: præter intentionem defendentis, si aliter non potest defensio fieri, nisi lædatur inuasor, debet illũ lædere: ita quòd læsio sequatur ex necessaria defensione. Et hinc peccãt mortaliter,

qui non curant seruare illæsos inuasores, quum possunt aliter defensionem exercere. Secundo ex immoderamine tutelæ, vim enim vi repellere licet, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et intelligitur de immoderamine ex proposito, qui enim putat moderatè defendere, & præter propositum non aduertēdo aliqualiter excedit, aut non peccat, aut leuiter: quum humana actio in exercitatione exteriori accensa, non omnimodæ subdatur mensuræ.

Delectatio debet esse discreta: quòd si modum excedat, vitiosa est & damnabilis.

DElectatio morosa (hoc est voluntaria delectatio de actu malo cogitatio sine voluntate exequendi cogitatum actum illum malum) exigit ex duplici capite discretionem, scilicet ex parte consensus, ex parte actus, de quo est delectatio, qui actus dicitur, & est obiectum delectationis. Ex parte siquidem actus obiecti iuxta naturam actus de quo est, delectatio iudicanda est: ita quod si actus de quo quis cogitando delectatur, est peccatum mortale (puta adulterium, furtum, homicidium &c. ipsa quoque morosa delectatio est peccatum mortale, & si actus de quo quis cogitando delectatur, est peccatum veniale (puta iocari verbis lætis, comedere lautè &c.) ipsa quoq; morosa delectatio est peccatum veniale. Ex parte verò personæ iuxta veritatem deliberati consensus iudicanda est. Nam si persona cogitando de actu quantumcunque malo delectetur non aduertendo ad id de quo delectatur (ita quod si aduerteret, non approbaret) non est ibi peccatum mortale, etiamsi per vnū diem sic inaduertenter cogitaret & delectaretur: quia non potest esse mortale peccatum sine rationabili consensu, qui in proposito deesset. Si verò aduertere incœpit,

incœpit, & prætualente impetu concitatæ passionis non plenè aduertit: sed antequam plenè aduertat delectatio facit cursum suum: peccatum non mortale, sed veniale interuenit: quia sicut inaduertentia excusat à mortali, quia excusat à deliberatione, ita non plena aduertentia excusat à mortali propter eandem rationem, scilicet quia excusat à deliberatione, sine plena enim aduertentia non habet humana mens vt deliberet. In cuius testimonium excusantur à somno pollutionis surgentes si quid mali ei complaceat, donec plenè aduertant quid eis incumbit. quod enim illi patiuntur propter somnum, isti patiuntur propter passionem inuoluntariam. Si autem plenè aduertit, & positiuè consentit in illam, peccatum iam patet, & similiter si positiuè dissentit, virtus iam patet. Sed si positiuè non consentit, nec dissentit, & tamen in illa cogitatione delectabili perseuerat, conuincitur consentire ex ipsa continuatione delectationis non prohibitæ à voluntatis imperio quãdo potuit, & debuit, quia tunc mens hominis operam dabat actui peccati mortalis quantum est ex parte actus, sed excusabatur à mortali, ex eo quòd nõ erat voluntarius. Accedente autem tempore quo voluntas potest prohibere mentem à continuatione huius mali actus, tenetur voluntas prohibere: sicut teneretur manum cohibere à prosequutione alicuius actus mali inchoati in somno, alioquin sibi imputaretur tanquam voluntarius. Et verè esset voluntarius negatiuè, & ex negligentia: quia potuit & debuit prohibere, & non prohibuit.

Magna tamen hic opus est discretione quum de timoratis conscientiis agitur. Discernere siquidem oportet causam, quare continuatur illa cogitatio delectabilis. Nam si ex complacentia delectationis illius prouenit, quod negligit prohibere continuationem illam, voluntaria fit delectatio, & verè morosa, vt di-

ctum est. Si autem non ex complacentia, sed ex non æstimatione commotæ cogitationis & delectationis negligētia prouenit (puta quia scit voluntatem suam constantem & confidit quod propter huiusmodi commotiones phantasiæ & cōcupiscentiæ non ruet in consensum malum) peccat quidem: quia potest & debet conari ad repellendum huiusmodi intima bella & pericula maxima, & quantum in se est, implere illud, Persequar inimicos meos, & non conuertar, donec deficiant. Non peccat tamen mortaliter: quia in veritate, iste dissentit, virtualiter saltem: imò putat se non actiuè continuare cogitationem illam delectabilem sed se pati illam: & tanquam tentationem, non tanquam propriam operationem apprehendit illam: ac per hoc confidens de non consensu suo, parui facit illam cogitationem delectabilem tanquam debilem hostem ad sui impugnationem. Vnde negligentia ista non cadit super actu intrinseco voluntatis, scilicet consensu vel dissensu ad velle continuationem talis delectationis: sed cadit super conatu ad repellendū illam tanquā hostē. Et propterea iste non perseuerat in cogitando delectabiliter de illo actu: sed phantasia delectabilis molestando ipsum perseuerat in illo, formaliter loquendo. Et hæc ex parte consensus sufficiant.

Rursus ex parte rei de qua est delectatio, discernere oportet quatuor. primum, an delectatio sit de opere cogitato, vel de ipsa cogitatione, verbi gratia, si cogitatur bellum aliquod cum delectatione, vtroq; modo contingit delectari. aliqui enim delectantur de operibus cogitatis puta de homicidiis, vulneribus, præliis, incendiis &c. Et hi sunt qui sunt affecti ad huiusmodi facinora. Aliqui autem delectantur de ipsa cogitatione, delectatur enim naturaliter anima nostra in conferendo, & præcipuè noua aut mira, vt

testantur

testantur comediæ. Testantur & multorum etia, dum ingrediuntur hortos stultorum. Et sicut diximus de bello cogitato: ita contingit in materia veneta: & aliis, quidam enim cogitantes de turpibus, non delectantur de actu cogitato, sed de cogitatione: dū occurrit aliquis subtilis modus malè operandi: ita quod cogitatio illa tanquā subtilis aut mira se aoua inhærens animæ, parit delectationem. Et hoc videtur accidere præcipuè curiosis & affectis ad subtiles inuentiones. Aliqui autem delectantur de vtroque. s. de cogitatione & actu cogitato. Et licet difficile alicui videbitur discernere vnde delectatio insurgat, nō debet tamen difficile videri, vt discernat quod mouet ipsum ad complacentiam illius delectationis. Nam si sentit se moueri ab opere cogitato, iam habet morosæ delectationis naturam, si verò à cogitatione noua aut mira aut subtili, &c. iam habet quod non est delectatio morosa: quoniam morosa delectatio est de opere malo cogitato.

Secundum, an delectatio sit de ipso opere malo cogitato, an de malo operandi cogitato. Verbi gratia: occurrit cogitatio de furto vel rapina, & concurrunt cogitādi multi miri modi rapiendi vel furandi. Nam si delectatio sit de furto vel rapina, est morosa. Si vero de miris & similibus modis, non est delectatio morosa, quum modi isti sint admirabiles: & naturaliter delectabiles cogitandi animæ. Tertium est inter cogitatum malum opus simpliciter & absolutè, vel relatum ad cogitantem. Stat enim quod opus esset peccatum alicui, & alteri non. Et hinc discerne tria. Primò, quod vidua quę delectatur de præteritis actibus cōiugii, nō peccat mortaliter: quia delectatur de operibus sibi licitis pro tēpore quo fuerunt licita. Plus est enim explicitè approbare, quàm delectari, sed constat quod vidua licitè approbat

præteritas

præteritas delectationes: ergo. Peccat tamen venialiter in huiusmodi memoria: quia caret tam necessitate quàm pietate huiusmodi delectatio. Secundò quòd quamuis licitè cupiat quòd delectari cum aliqua muliere conditionaliter, scilicet si esset vxor sua (quia tale opus tali conditione relatum ad sic capientem, est licitum) delectatio tamen voluntaria, quam iste in præsenti acciperet de tali opere cogitato cum illa, esset delectatio morosa: quia præsens delectatio non fertur cum conditione, sed de facto habetur sine conditione: desiderium autem est, quod tum conditionali fertur super opus. Vnde religiosus, & si non peccat mortaliter cupiendo delectari cum muliere, si esset sua vxor, peccat tamen mortaliter voluntariè se delectando in actu carnali cogitato cum illa, si esset vxor sua propter dictam rationem: quia conditio excusat desiderium futuri, sed non delectationem præsentem. Tertiò, quòd vir cogitans de vxore absente, & actu coniugii, & voluntariè delectatur de illo, non incidit in morosæ delectationis crimen: quia de actu sibi licito tunc delectatur absolutè: quamuis peccet venialiter: quia nec necessitas, nec pietas suadet sibi talem mentis occupationem. Quartum est (quod à principio diximus) inter obiectum, & obiectum. Nam si opus cogitatum delectans est veniale, delectatio erit venialis: & si mortale, & mortalis. Et hinc fit vt voluntaria delectatio de muliere pulchra visa vel videnda, non, nisi veniale peccatum sit: quia videre mulierem pulchram, non plus quàm veniale peccatum est, quando peccatum est. Voluntaria autem delectatio de muliere pulchra libidinosè amplexata seu osculata, vel amplexanda, seu osculanda, peccatum mortale est: quia huiusmodi amplexus & oscula, peccata mortalia constat esse.

Aduerte demum diligenter pie lector, vt hæc quæ diximus,

diximus, formaliter intelligas, non decet enim loqui docendo nisi formaliter. Excusamus siquidem multa stando infra terminos, de quibus est sermo, quæ tamen aliunde possunt damnari. Verbi gratia: dicimus quòd memoria delectabilis in vidua excusatur, verum est, si nihil aliud adiungatur: sed si adiunxeris, quod hinc in vidua insurgunt in concupiscibili appetitus, aut in carne commotiones, oportet ad regulas de annexis malis aut periculis recurrere. Et simile est de aliis iudicium.

Circa morosas delectationes notato adhuc tria: scilicet occasionem, libertatem, & intentionem. Potest siquidem occasio delectationis esse voluntaria & licita: vt quum quis gratia componendi, prædicandi, disputandi, consulendi, vel ex audientia confessionum cogitat aliqua vnde delectatio surgit. Vel voluntaria & non licita: vt quum quis ex vanis & sensualibus verbis dictis aut audiris, vel ex vano visu aut tactu incidit in huiusmodi delectationes. Vel inuoluntaria: vt quum sese offerunt præter intentionem huiusmodi phantasiæ delectabiles. Hinc enim fit, vt quũ homo aduertit se huiusmodi delectabilibus inuolui, & negligens est, magis imputetur negligentia illi qui ex occasione voluntaria & illicita, quàm illi qui ex inuoluntaria, & minimè imputetur illi qui ex occasione necessaria aut pia in delectationes huiusmodi incidit.

Inter subiectionem quoque corporis vel patris sensualis ad rationem, differentia est: quod corporis partes (puta manus & pedes) obediunt seruiliter, hoc est absque libertate. Moueo enim manũ quando volo, & versus partẽ quam volo, nulla existente in manu libera existẽtia. Appetitus autem sensualis obedit quidem rationi, sed politicè, hoc est cum libertate resistendi. Habet enim proprium motum ac impetũ, quo

concupiscit aduersus spiritum. Et hinc fit, vt non ita imputetur motus delectationis homini, sicut imputatur motus manus: & non sit signum sufficiens ad probandum consensum tacitum sola perseuerantia delectationis post aduertentiam sicut perseuerantia motus manus sufficit ad conuincendum consensum aduertentis, nam pars sensualis potest perseuerare, ex proprio impetu: quod non habet locum in manu. vnde similitudo quæ data est superius inter continuationem motus manus, & continuationem motus delectabilis postquam homo plenè aduertit, intelligitur quatenus iste motus pendet ex ratione, ita quòd postquam homo plenè aduertit, & adhuc perseuerat in cogitatione delectabili & opere malo, vt sic, conuincitur consentire in delectationem, pro quanto delectationis motus pendet ex ratione, & non absolutè. Intentio denique hominis contuenda est quò tendit. Nam postquā plenè aduertit, si negligit, vt delectetur de illo malo opere, committit formaliter peccatum delectationis morosæ. Si autē negligit quidē, sed non vt delectetur de illo malo opere cogitato, sed ex quadam tepiditate, seu aliquo huiusmodi, nō incurrit formaliter delectationē morosam: ac per hoc non peccat mortaliter, nisi exorbitatio fuerit tanta, vt quasi ideo neglexerit, vt delectetur. Nam sicut detrahens non intentione detrahendi, non peccat mortaliter, nisi læsio famæ fuerit tanta, vt quasi intenderit ille detrahere, dū non curauit tantam læsionem famæ inferre: ita qui negligenter ac per hoc materialiter delectatur de malo opere cogitato, non delectetur de illo, non peccat mortaliter, nisi inuolutio fuerit tanta, vt redeat in naturam suæ formæ: vt quasi ideo neglexerit vt delectetur, dum non æstimauit tam notabiliter se tali delectabili inuolui. Et hinc habes vnde post plenam aduertentiam multas

negli-

negligentias excuses à peccato mortali, quia paruæ sunt, in his præcipuè qui habitualiter in animo gerũt se potius velle mori, quã peccare mortaliter: Si enim contingit hos esse negligentes in huiusmodi cogitationibus delectabilibus, non est eorũ negligentia ex affectu ad delectationẽ de illo malo opere quod cogitatur. Nec detinentur à tali delectabili vt sit, sed magis ab aliqua passione concupiscentiæ, quæ sine tali delectabili detineret. Et, vt puto; nunquã aut rarissimè sic habituati, in antedictam negligentiam mortalem incidunt. Et hæc ita accipiantur ad excusandũ, vt non soueant ad negligendum.

Derisio in proximum versa, quemadmodum diuersimodè fieri potest, ita diuersimodè damnanda est.

DErisio seu irrisio qnæ verbis aut cachinnis, subsannatio, quæ naso rugatu, illusio quæ factis fit, pro quanto quandam deiectionem proximi importat, peccatum est: quia rationi rectæ aduersatur, vt ad hoc paruipendatur proximus, vt erubescat. Est autẽ quandoque veniale peccatum: vt quum iocosè quis paruũ aut de paruo deridetur. parua enim erubescentia quasi pro nulla reputatur. Et quandoque mortale: vt quum in iocum deducitur quis, quasi non sit tanti, vt debeat æstimari. Interuenit siquidem tũc maximus illius contemptus, & maior quã in contumeliã & detractionẽ: quia licet contumelios⁹ deprimat honorẽ, & detractor famam, neuter tamen ad tantum personæ contemptum peruenit ad quantum venit irrisor, pro fatuo aut nihilo habens & haberi volens eum quem irridet, vt erubescat comparere inter homines. Et hoc etiam peccatum graue valde, intellige etiam formaliter, hoc est quando fit ex intentione irridendi, quod est tantò grauius, quantò

de virtute maiore, aut persona maior deridetur: vt quum deridetur iusti simplicitas, aut persona in exemplum Ecclesiæ posita, &c. Quod si in Deum & sanctos fiat, & non est simplex irrisio, sed blasphemia, vt paret ex supradictis.

Desperatio est obiectum fidei: & per consequens damnabilis.

DEsperatio, qua quis desperat, seu non sperat consequi futuram beatitudinem, peccatum mortale est: quia est omissio actus necessarii ad salutem æternam, impossibile est enim sine spe operari ad tam excelsum præmium consequendum, sicut sine fide.

Famam proximi qualitercunque denigrans mortaliter peccat.

DEtractio qua quis famam absentis denigrat, peccatum mortale est: quia contra magnum, proximi bonum, famam scilicet, tendit formaliter sumpta, hoc est ex intentione lædendi famam: siue fiat dicendo verum, siue falsum, siue asserendo, siue referendo, siue addendo, siue minuendo, siue interpretando, siue tacendo, & quouis alio modo. Si verò non formaliter quis detrahat (hoc est non ex intentione lædendi famam proximi, sed ex loquacitate, aut, &c.) non est peccatum mortale: quia non nisi materialiter detrahit: nisi adeò mortaliter inde lædatur fama proximi, vt actus redeat in naturam suæ formæ, dum non curauit cauere à tanta proximi læsione. Similiter peccatũ veniale est, si detractio sit formalis, sed in minimo: quia minimum quasi pro nihilo accipitur à ratione. Simile autem est iudicium de auditione detractoris, scilicet quòd si ex complacẽtia infamiæ proximi audit, peccatũ est mortale. Et si non malo animo audit, vel peccatum non est: vt si necessitate, aut

pietate

pietate audit, vel est peccatum veniale: vt si ex leuitate audit: nisi ipsius auditio famam proximi notabiliter læderet: quod tunc posset contingere, quando auditio eius causa esset auditionis aliorum, vnde notabiliter læderetur fama proximi. In hoc autem & similibus casibus valde per accidens (quoniam & ipse materialiter tantùm audit, & materialiter tantum causat auditionem aliorum) fiste pedem, & noli præcipitare sententiam, etiã si proximi fama notabiliter fuerit læsa: quoniam si ipsius audientis animus purus fuit, non apparet huiusmodi negligentia mortalis, cuius malum si aduertisset, effugasset. Ponitur quoque triplex casus, in quo materialiter (hoc est non malo animo) audire detractionem, potest per accidens esse peccatum mortale. Primus est, si audiens potest & debet ex officio vel corrigere detractorem vel obuiare detractioni. Secundus est, si audiẽs potest & debet obuiare, sed ex timore humano omittit. Tertius est, si articulus necessitatis alicuius magni mali ex huiusmodi detractione subsequendi obligat ad obuiãdum, quicquid sit illud magnum malum siue infamiæ, siue damni in rebus temporalibus, siue vulnerum, &c. Tunc enim audiẽs tenetur obuiare si potest, ex communi ratione qua quis tenetur pascere fame morientem, & eos qui actualiter opprimuntur subleuare: præcipuè quum solo verbo resistatur detractionis gladio. Et in his casibus rectæ rationis iudicio relinquitur determinãdum quando, vbi, cui, & quomodo resistendum est: quoniã de præcepti affirmatiui exequutione agitur. Et prælati prudentia opus est in primo casu. In secundo verò timor humanus oportet quod sit mortalis, si mortale peccatum erit facere. In tertio quoque & necessitas pensanda est qualis sit, & resistendi facultas, & fructus: & si constat detractionem esse falsam: ne si vera sit, dum arguitur, in peius

emergat, dum vel non falsa, vel vera comprobabitur. Detrahere sibiipsi (hoc est infamare seipsum) peccatum est mortale ex suo genere grauius, quàm detrahere proximo, quantò magis tenetur diligere famam suam propter Deũ & cõmune bonũ, quam proximi. Nec excusatur à peccato mortali propter metũ, aut tormẽta: quoniã sicut nullus metus nullũq; tormentum excusat à vulneratione aut occisione sui, ita nec infamatione sui. Quamuis enim pati detrimentũ famæ propriæ, sit in proprio arbitrio constitutum, si in aliorum malum non redundat, sicut pati vulnera & mortem: inferre tamẽ sibiipsi damnũ famæ criminosum est, sicut vulnerare aut occidere se. Et in iudicio propter tormenta hoc fit, duplicatur iniquitas: quia adiungitur mendacium in iudicio perniciosum.

Disputans de fide tanquam in ea dubitans & hæsitans, mortaliter peccat.

DIsputare de fide, dubitando de veritate fidei, peccatum est mortale: quia dubius in fide infidelis est. Ad cõfutandos verò errores nisi rationabilis causa subsit, vel gratia exercitii, coram simplicibus peccatum est imprudentiæ: quia periculosum est, ne in vacillationem inducantur, ex hoc ipso quòd audiũt aliquid appareat contra ea quæ sunt fidei. Et laicis nihilominus peccatum est disputare de fide publicè vel occultè, cap. quicunque. de hæret. lib. vi. Et quia contra faciens excommunicari mãdatur, peccatum mortale esset, si laicus sciens sibi sub tali tantaque censura illicitam redditam disputationem huiusmodi, nihilominus præsumeret de fide disputare.

Discordia diuersimodè sumi potest.

DIscordia, qua quis voluntati alterius de bono diuino aut humano cui debet consentire, scienter & ex intentione contrariatur, peccatũ est mortale ex

suo genere: quia contra charitatis concordiã directè est. Notanter autem dicitur, cui debet cõsentire, quia discordiæ completum peccatum tollit concordiã, non quamcunque, sed debitam, quæ scilicet ex debito est, aut esse debet inter proximũ & se, aut alium. Si enim nolit concordare cum proximo ad bonũ supererogationis (puta ad ingrediendum simul religionem) non pertinet ad discordiæ vitiũ: quia non tenetur cõsentire ad tale bonum. Inuenitur tamẽ discordiæ peccatum veniale propter imperfectionem actus: vel ex parte volẽtis vt in primo motu discordiæ: vel ex parte materiæ: vt si tollat concordiam in minimis. Minima autem in proposito sunt, quæcunque non sunt necessaria ad salutem: vt si discordet aliquis à voluntate dicendi veritatem pure officiosam, hoc est cuius mendacium esset peccatum veniale, & sic de aliis.

Inuenitur rursus discordia per accidens, hoc est non ex intentione: hoc est quum quis discordat quidem ab altero, sed non vt discordet, sed vt nõ minus rectè aut vt rectius velit, seu operetur, interuenit siquidem tunc solummodo discordia materialiter: quia formaliter vterque tendit ad bonum. Et tunc aut nõ est peccatum. si vterq; prudenter se habet. Aut contingit peccatum, vel ex parte volentis quantum ad modũ. si nimis inhæret proprię sententiæ. Vel ex parte materiæ, si erraretur in iis qui sunt de necessitate salutis. Et in vtroque casu tantum culpæ vel excusationis iudica, quantũ culpæ vel excusationis habet indurario in primo aut error in secundo. si enim pertinacia illa est venialis, non nisi peccatum incurritur veniale. Et similiter si error ille excusabilis est propter ignorantiam excusatam (puta quia non tenebatur illud scire) excusata erit discordia huiusmodi.

Considerandum demum est in iis quæ sunt per accidens, damnum seu nocumentum consequens (sicut

de detractione materialiter dictum est) antequam iudicium feratur de mortali peccato.

Dispensatio non debet esse leuis & absque causa rationabili.

DIspensare in lege siue voto, & similibus absque rationabili causa, peccatum est: quia actus est voluntarius, dissonus rationi rectæ. Est autem veniale huiusmodi peccatum in paruis.

In iis autem quæ notabilia sunt considerandum est, si aliquid interuenit contra diuina præcepta seu bonos mores, vel non: & sic iudicandum est de mortali, vel non mortali. Verbi gratia: si absque rationabili causa dispensetur quis, vt habeat multas Ecclesias, & patet aut creditur, vel probabiliter dubitatur inde prouenire, quod Ecclesiæ priuantur debitis curis animarum, peccatū mortale proculdubio incurritur: quia contra diuinum ius est, vt priuetur Ecclesia debita cura animarum. Et similiter si absque rationabili causa dispensaretur: vt multa Ecclesiastica beneficia cum excessiuis prouentibus vnus haberet, peccatū mortale est, quia cōtra naturale ius est: vt cōmunia bona (qualia sunt beneficia Ecclesiastica) ita iniquè distribuantur, vt vnus ebrius sit, & infiniti esuriant.

Idem autem est iudicium de dispensatione in voto seu iuramento: quia ex diuino iure obligant. Nec est tutus in conscientia quò ad Deum, qui dispensatur, in istis sine rationabili causa etiam à Papa motu proprio, & certa sciētia, & de plenitudine potestatis: quia Papa non habet potestatem in destructionem: sed ædificationem corporis Christi.

Diuinatio inquantum diabolico innititur auxilio, peccatum mortale est.

DIuinatio, pro quanto significat indebitam vsurpationem cognitionis futurorum euentuum, vel præ-

præteritorum, aut præsentium occultorum, peccatū est: quia contra rectam rationem est. Et est ex suo genere mortale inquantū dæmoniaco innititur auxilio. Contingit tamen frequenter esse veniale propter imperfectionem actus. Vel quia actus dæmoniacus non est secundum se, nec ex intentione tacita vel expressa exercentis illum: vt contingit in multis vanis, puta libro fortunæ, ominibus, &c. Vel quia non putatur actus dæmoniacus: vt cōtingit in multis, in quibus sola vanitatis deformitas apparet: puta in apertione librorum, & similibus, quæ ex fortuna, seu casu creduntur. Pro generali siquidem regula habendum est, quòd vbi nulla interuenit dęmonis inuocatio, nec explicita, nec tacita, & non est mala intentio, non incurritur mortale peccatum. Excluditur autem tacita dæmonis inuocatio, quando nulla re aut verbo quis vtitur, vt instituta ab aliqua secreta causa: quod tunc fieret, quādo quis vteretur aliqua re aut verbo, quasi habente virtutem ad effectū aliquem, ad quem constat: nec naturalem nec diuinam habere virtutē. Tunc enim tacitè consentit in dęmoniacum auxilium: quia ad virtutem illius tacitè recurrit, dum sic vtitur re aut verbo illo. Vbi quoq; tacita interuenit dæmonis inuocatio, si cognita aut credita, aut dubia est, peccatū est mortale: vt patet. Si verò ignota est, & cum hoc si crederetur esse, non fieret, non est mortale peccatum: quia propriè loquēdo non inuocat iste dæmonem tacitè, nisi materialiter & inuoluntariè: quòd non facit hominem socium dæmoniorum. Et iuxta has regulas iudica etiam sortes.

Doctorari non potest quis insufficiens absque peccato.

Doctorem fieri aut facere insufficientem, notabiliter peccatum est: quia actus voluntarius caret

debita sibi materia, & quia iniuria per hoc fit omnibus, quibus ille propter Doctoratum præponitur, & quò ad honorem, & quò ad locum. Ex his tamē quia non notabiliter alii inde lædūtur (nō multùm enim videntur homines æstimare hoc) non video peccatū mortale. Sed gratia materiæ videtur peccatum mortale: si de Medicinæ vel Theologiæ doctoratu sit sermo, quia est factum pernicioſum quantum est ex se: quoniam eo ipso quòd aliquis constituit aliquem doctorem in medicina, approbat & proponit illum vniuerso mundo in medicum: doctorare enim, est approbare publicè scientiam in illa facultate. Et propterea quantum est in se publicat, testatur, & approbat coram omnibus, quòd ad illum vt medicū omnes pro sanitate confugere possunt, ac per hoc mēdacium pernicioſum facto committit, exponēdo periculo vitæ corporalis, &c. omnes recurrentes ad illum ignorantem. Et simile est de doctore in Theologia, qui est velut medicus animarum: approbatur nanque quòd omnes ad illum vt ad doctorē Theologiæ recurrere possunt. Et sic non solùm populares, sed presbyteri habentes curam animarum cōfidunt de scientia illius magistri (& inde deciduntur erroneè casus conscientiæ, inde docentur falsa, &c.) & dicunt pro auctoritate, Magister in Theologia dixit, &c. Quia ergo quantum in se est, in periculum corporum vel animarum agitur, & datur opera rei illicitæ constituendo insufficientem doctorem, ideo pernicioſum factū hic inuenitur: sicut esset pernicioſum mendacium testificari populo, quod hic est sufficiens ad medendum, & ille ad instruendum animam.

De doctoratu verò in aliis materiis non apparet simile periculum. Nam de doctoratu in artibus, nulli videtur imminere periculum. De doctoratu verò in Iure, rarò videtur periculum: quia, nisi aliter sciatur

esse

esse doctus, non facile credit quis illi suam causam: medicum autem quũ infirmus audit, propter ingentem sanitatis spem, & miseriam infirmitatis statim rogat. Et rursum in causis ciuilibus potest adhibere remedium si aduocatus errauit: sed in causa ægritudinis agitur de vita aut sanitate irreparabili. Graue tamen peccatum incurritur in Iuris doctoratu huiusmodi. Et quamuis mortale non definiam, non tamen omnino excuso à mortali: quia quantum in se est, periculo exponit clientulos.

Doli exequutio proximo nociua, vitiosa est & damnabilis.

DOlus (hoc est astutiæ exequutio, siue per verba, siue per facta ad decipiendum ordinata) peccatum, est veræ prudentiæ contrarium. Et iuxta subiectam materiam potest esse mortale vel veniale, sicut deceptio ad quam astutia machinatur. Si enim intenditur deceptio pernicioſa, est peccatum mortale: si verò officioſa aut iocoſa, est peccatum veniale.

Duellum non potest licitè vel iustè indici.

DVellum (hoc est singulare bellum ex condicto) indicere, peccatum mortale est: quia eligitur percussio proximi, & expositio propriæ & alienę vitæ periculo mortis, absque sufficiente talis belli causa.

Suscipere autem, seu acceptare duellum, vel pro manifestatione veritatis, peccatum mortale est: quia contra rationem rectam eligitur percussio proximi, periculum vitæ, & diuini fit vsurpatio iudicii cũ tentatione Dei, & inducitur in testimonium quod non est testimonium, & diabolica adinuentio impletur. Vel ad ostentationem virium peccatũ quoque mortale est: quia contra rectam rationẽ eligitur percussio proximi cum periculo vitæ, vt patet. Et per eandẽ rationem peccant mortaliter bellantes decem hinc &

decem inde: vt quandocunque spectaculi gratia tempore belli fit. Non enim excusantur propter tempus belli, quasi sit partialis conflictus cum hostibus: quia quia non habet locum finis belli in huiusmodi partiali certamine. Non enim ordinatur conflictus iste ad debellandum, vel minuendum hostis virtutem, sed ad hostentationem hominum. Vel ad euitationem ignominiæ (quasi vilis & degeneris animi reputetur, nisi acceptet duellum) peccatum quoque mortale est eadem ratione: quia contra rectam rationem non vulgarium sed sapientum eligitur percussio, periculum &c. vel ad terminandam litem ciuilem vel criminalem, peccatum quoque mortale est: quia non est proportionatum medium ad terminandum litem armata pugna percussiua &c. Licitum tamen est suscipere duellum auctoritate principis, quando accusator materiali gladio iudicis iniustè me petit multilando vel occidēdo: quoniam inuasus gladio possum me gladio tueri. Et similiter licitum est resoluere bellum iustum in duellum, quando pars habens iustum videt se aliter succumbere: vtitur enim viribus suis vt melius potest. Et si hæc sic breuiter dicta non penetras, vide diffusè à nobis scripta in commentariis secunda secūdæ diui Thomæ in fine xcv. quæstio. Vnde principes concedentes duellum (vt communiter accidere videtur) patet peccare mortaliter. Secus autem esset, si ex rationabili causa permitterent, sicut permittunt meretrices, quoniam non peccarent.

Ebrietas quando sit peccatum mortale.

EBrietas præcognita & volita propter delectationem in potu vini immoderato, peccatum mortale videtur: quia contra rectam rationem violentè imponit quis sibi ipsi necessitatem vinculi tollentis vsum rationis. Ebrius enim non solùm est absque actuali

actuali vsu rationis, vt otiosus, & absque soluta ratione, vt dormiens, sed necessitatem habet permanendi in vinculo rationis propter quam differt à dormiente: à quo etiam differt: quia somnus est priuatio naturalis, ebrietas verò violenta, vtpote ægritudinalis perturbatio existens. Notanter autem dicitur præcognita & volita: quia ebrietas nisi intenta sit, non est ebrietas formaliter, sed materialiter tantum. Dicitur quoque propter delectabilem potũ vini: quia si quis ex intentione inebriaretur ex dispositione artis medicinæ propter sanitatem, non esset ebrietas peccatum, etiam veniale: quia non esset ebrietas formaliter: nec esset ibi immoderatus potus: quia homini sic dispositito potus inebrians esset moderatus. Et rursus recta ratio habet, vt homo imponat sibi necessitatem permanendi ad breue tempus (puta idem &c.) sub vinculo violento rationis, vsus, vt postea possit ratione in corpore sano diutius vti, quam habet corpus infirmum: sicut liceret vti opio, & aliis stupefacientibus: impedientibus rationis vsum.

Ebrietas inculpabilis excusat à peccatis ex ebrietate commissis: quia tunc inuoluntaria sunt. Si autem est culpabilis, aleuiat quidem peccata ex ipsa sequentia, quia sunt minus voluntaria, sed diuersimodè. nam peccata præuisa, quia solitus est ebrius talia peccata committere, excusantur à tanto, sed non à suis speciebus, quia volũtaria sunt in sua causa, scilicet ebrietate. Non præuisa autem, excusantur à suis speciebus, sed aggrauant ebrietatis peccatum: vtpotè illius mali effectus.

Ebrietas non plena (quando aliquis potu vini redditur nimis lætus, aut turbatur in phantasia: dum videtur ei quòd domus gyretur, aut huiusmodi aliquid incurrit: non tamen perdit vsum rationis) peccatum procul dubio graue est, nisi causa medicinæ fiat: quia

immoderatus est potus secundum quantitatem vel qualitatē,& hoc si aduertenter aut negligenter accedit. Peius tamen si ex intentione: est enim tunc prope mortale: non tamen est mortale: quia nec attingit ad completam ebrietatis rationem: nec notabile damnum rationis eligitur.

Eligendus in Prælatum Ecclesiasticū duabus debet pollere virtutibus.

ELectio Ecclesiastici pastoris debet in foro conscientiæ fieri de homine habente duas conditiones. Prima est, quòd sit bonus, hoc est sine peccato mortali. propter hoc enim dominus ter Petrum interrogauit si haberet charitatem. Secunda est, quòd sit melior cæteris cognitis, qui possēt eligi & haberi. Melior autem, non quantum ad bonitatem vitæ sed quantum ad regimen illud nunc & hic respectu talium ouium, & reliquis particularibus occurrentiis pensatis. Exiguntur autem intantum ambæ conditiones, vt neutra earum possit scienter omitti sine peccato mortali. Scienter autem dico, hoc est secundum conscientiam eligentis: tenetur enim eligens, si absque peccati mortalis incursu vult eligere, tenere secundum suam conscientiam, quòd ille quem eligit, sit in gratia Dei, & quod sit ad tale officiū in hoc loco, hoc tempore, &c. melior omnibus, quos nouit posse haberi pro tali cura. Et ratio primi est: quia existens in peccato mortali est indignus prælatione Ecclesiastica, vtpote non diligens Christum super omnia: ac per hoc impotens pascere Christi oues ex sua vita, quòd præcipuè exigitur in pastore. Ratio secundi est: quia postponere meliorē minus bono in huiusmodi, non est sine crimine acceptionis personarum, dum persona præponitur causæ.

Et scito hoc idem esse iudicium de prouisore: hoc est

est de illo qui per viam prouisionis absque electione facit pastorem. Secus autem est de confirmatore: quoniam confirmator non elegit pastorem, sed electionem supponit. Et sit dignus electus est, sufficit ei. Et melior cæteris ille haberi potest ex hoc ipso, quòd electoribus solus iste præ cæteris gratus tunc est: est siquidem conditio ista multùm faciens ad causam. Prælatus enim minus idoneus, gratus tamen ouibus, melior est illi Prelato magis idoneo, & minus illis accepto: quoniam ibi charitas coalescit: hic periculum operandi ex metu, &c. Si verò plures sunt nominati, & liberum est cõfirmatori eligere inter illos in quem consentiat, tenetur inter illos meliorem ad hoc præferre: vt de electore dictum est eadem ratione. Et hęc quò ad secundam conditionem intellige, considerato affectu & respectu ad bona temporalia (gradum scilicet, celsitudinem, honorem, diuitias, &c.) quatenus sunt communia Ecclesiæ bona distribuēda inter Ecclesiæ membra: sic enim habet in huiusmodi electionibus locũ acceptio personarũ, qua iniuria irrogatur digniori, si posthabetur. Et hæc dico propterea, quia si in electionibus spectaretur ad spiritale tantùm officium, ad quod eligitur, quum eligatur ad onus, cessat ratio iniuriæ respectu dignioris: & sufficeret eligere dignum, sicut in cæteris oneros is officiis credimus sufficienter prouidisse, si eligimus dignum. Et ratio quare postponeret digniorem, esset quia non tenetur eligere digniorem, quamuis melius faceret, si digniorem ad hoc eligeret. Vnde Paulus Apostolus quales debeãt pastores eligi, describēs ad Titũ & Timoth. nunquam meminit cõditionis comparatiue scilicet quòd sit cæteris magis dignus: sed tantùm conditionum positiuarum quæ requiruntur ad hoc, quòd sit idoneus Episcopus: quia tunc Episcopi non beneficium, sed officium habebant; & quia ad id quod est per se, respicie-

se respiciebat Apostolus. Ex quibus patet non esse suo genere peccatum mortale, postposito digniore eligere verè dignum in Ecclesiasticum pastorem: quia ex iis quæ sunt per se iudicando, sufficit eligere sufficientem ad onus tale spiritale & ad dispensandū temporalia: quoniam secundum veritatem etiam ad onerosum officium respectu temporalium eligitur consequenter.

Electio secularis officialis (vt prætoris &c.) debet de persona ad officiū illud idonea fieri: ita quod oppositum scienter aut negligenter faciens, peccat mortaliter, propter nocumentum reipubl. quod ex inepto rectore incurrere oportet. Ad eligendum autem meliorem ad hoc, quamuis fortè teneatur qui potest, non tamen video vinculum peccati mortalis, si placet sibi sufficere idoneum, quoniam non video hic acceptionem personarum: quia nec video habere hic locum iustitiam distributiuam, quum officium hoc non detur ciui, vt parti cōmunitatis. Et similiter non exigitur, quòd credatur absque peccato mortali, quū non fiat pastor ouium Christi, sed custos pacis humanæ in republica.

Et electiones quæ in commutationibus secularibus fiunt de suis officiis distribuendis suis ciuibus (siue sit prætura, siue quodcunque aliud notabile) regulari debent secundum regulas iustitiæ distributiuæ.

Etsi non vult errare qui nescit huiusmodi regulas, det votum suum illi qui magis idoneus est ad hoc inter eos, qui digni sunt & possunt præponi. Quod ideo dico: quia si is qui verè est dignior, non potest præponi, quia aliis non placet, eligendus est dignior inter illos dignos, qui possunt haberi. Qui autē contra iustitiam distributiuam votum dat, peccat mortaliter, nisi propter imperfectionem actus excusetur: sicut in aliis vitiis contingit.

Eleēmosyna

Eleëmosyna duobus casibus est necessariò non omittenda.

ELeëmosynam non facere, est peccatum mortale in duobus tantummodo casibus. Primus est, si quis habet de superfluo naturæ & personæ. Et tunc quia præceptum hoc (scilicet, quod superest, eleëmosynam date) est affirmatiuum & obligat pro loco & tempore, &c. propterea fidei ac prudentiæ illius qui superfluum habet, commissum intelligitur: quando & quibus actualiter dispensetur illud superfluum, simul vel successiuè, vt melius sibi videbitur.

Secundus est, quum apparet pauper in extrema necessitate constitutus, iuxta illud Ambrosii, Pasce fame morientem: si non pauisti, occidisti.

Et in primo casu intellige duo. Primò superfluum non consistere in puncto: quoniam sicut multis ablatis ab aliquo, non censetur quis indigens: ita multis adiunctis non propterea superfluit. Secundò, quòd superfluum in tali latitudine consistens, iudicandum est cõsideratis sumptibus honorabilibus etiam filiorum, familiæ, status munificentia, magnificentia, cõmunibus euentibus, hæredibus, & aliis eiusmodi ita vt rarò videatur contingere, vt homo secundùm statum glorioſè viuens, superfluum habeat. In secundo quoque casu intellige extremam necessitatem, non quando emissurus est spiritum: sed quando ob defectum necessariorum apparet, quod ille moritur, nisi ei succurratur de necessariis modo, quando possunt ipsi prodesse subuentiones, antequàm desperetur de vita illius.

Emptio debet esse discreta, & modo debito exercenda.

EMere rem minoris iusto pretio ex intentione emendi seu soluendi minus iusto pretio, tunc hoc

&c.

&c. peccatum mortale est: quia contra iustitiam læditur proximus, minus habẽdo quàm habere debeat. Circa iustum autem pretium quid sit, oportet non falli, quoniã iustum pretiũ non solùm est illud quod communiter in illa patria currit, sed illud quod nunc hic sub hoc vendendi seu emendendi modo potest cõmuniter inueniri: ita quòd licet res aliqua Romæ à mercatoribus vendatur centum, si eadem res Romę vltrò exposita venditioni, siue subhastando siue per proxenetas non inuenit emptorem nisi pro septuaginta (tum quia vltronee merces vilescunt: tum quia emptores pauci inueniuntur pro tunc: aut quia non indigent re illa: aut quia non habent pecuniã promptam pro re illa: aut quia non curant habere illam, iustum tunc ibi huius rei pretium cõstruitur septuaginta) ita quòd non peccãt illi qui ex eo quod vidẽt, quòd res illa vænalitati expõsita potest haberi tali pretio, puta septuaginta, inducuntur ad emendũ. Nec redditur iniustum pretiũ ex causa, puta necessitate dictus ac per hoc non voluntarie vendidit: quia inopia qua cogitur quis ad vendendum, non reddit venditionem inuolutariam: alioquin etiam si rigido pretio venderet, inuolutaria redderetur venditio: quod constat esse falsum. Eadem siquidem ratione iustum pretium est, quod nunc hic sub hoc modo vendendi vel emendi inuenitur communiter: qua ratione iustum quoque est pretium quum post bella, aut pestes, domus, agri, horti, &c, emuntur vilissimè, quia non inueniuntur emptores. Et eadẽ ratione gemmæ quæ emptæ fuerãt millæ, modò emuntur centũ, quia non inueniuntur emptores. Et similiter transeunte naui aliqua videmus emi res vilius, quã ibi valeant, quia non inueniuntur emptores nunc pro alio pretio. Et sic de similibus. Et si hæc latius discussa cupis videre cum suis fundamentis, vide commentaria

nostra in primo articulo, quæstio. lxxvii. secunda secundæ. Et pro nunc vide differentiã pretii, inter rem expectantem emptorem, & seipsum non expectãtem emptorem, & clarificabitur intellectus tuus. Domus enim expectans emptorem, venditur quantum valet absolutè: domus autem nõ expectans, venditur quantum inuenitur. Et tunc verè venditur quantum valet nunc hic exposita: quamuis non vendatur quantum valeret expectans emptorem. Iustum autem pretium est, non quantum valeret si expectaretur: sed quantum valet nunc, hic, & reliquis singularibus quæ tunc occurrunt pensatis: vt patet in pignoribus quæ auctoritate curiæ à pauperibus propter debita ablata, exponuntur sub hasta plus offerenti. Et scito quod emens minoris iusto pretio, circa tamen medietatem: licet excusetur à iure ciuili, nõ tamẽ excusatur à iure diuino. Permissiuè siquidem iure humano dicitur licitum decipere citra dimidium iusti pretii: sed lex Domini immaculata est, secundum quam peccatũ mortale est lædere proximum in quacunque re notabili. Emere iura aliena temporalium bonorum licet in se nullum peccatum sit, si tamen litigiosa sint, aut futura credantur, turpe videtur: quũ non deceat hominũ lites quærere. Et si minoris iusto pretio emat, peccat: & nõ tenetur ei secundũ ciuilia iura debitor plus dare, quam emerit. Et sicut alia iura, ita iura quoq; creditorum (quibus scilicet debentur pecuniæ mutuatæ aut censuales: & breuiter ex quocũq; contractu licito, siue debeantur in præsenti, siue in futuro certo tempore) possunt licitè emi, dummodo iusto pretio emantur. Iustũ autẽ talium iuriũ pretium est: quod comiter inuenitur absq; dolo, fraude &c. sicut in cæteris vænalibus tãtum valet res, quantũ vendi potest. Contingit autẽ in huiusmodi iura paruo vendi, & tamen iusto pretio: quia paucos inueniunt emptores.

vilescunt

vilescunt enim res quæ à paucis emuntur: & propter penuriam pecuniæ, sicut cæteræ res vilescunt, quando & vbi rara currit pecunia.

Emptio multis causis dicitur illicita.

EMptio est illicita multipliciter. Primò ex fraude iusti pretii: vt si quis cognoscens pretiosam gemmam, de manu rustici non cognoscentis quid habet, emat vno carlino. Nam voluntaria commutatio ex notitia prouenit. Simile est enim ac si aurum pro aurichalco ab ignoranter vendente quis emeret. Et tenetur huiusmodi emptor ad restitutionem damni, vltra peccatum. Secus autem esset, si tam emente quàm vendente ignorantibus, committunt se fortunæ, valeat quantum valeat, tunc enim bona fides vtriusque & voluntas commutandi cum iniuria discutionis, transfert dominium licitè. Si quis quoque emptor cognoscit pretium gemmæ: & monet rusticum quod ipse vult cum bona conscientia habere absque scrupulo etiam si valeret mille aureos, & clarè explicat quòd pro donato habeatur quicquid amplius est, non videtur iniustè emere: ex quo dominus rei monitus cum protestatione, non curat discutere rem suam propterea quia non emit, sed inuenit eam. Et emptor non tenetur ei explicitè affirmare quantũ valet: quum habeat alios vnde possit inquirere & scire.

Secundò ex fraude in substantia, quantitate, aut qualitate: vt si quis ab ignorante emeret quasi aurichalcum aurum, aut in magno pondere pro paruo: aut quasi vitiosam rem, quum esset absque vitio. Tertiò, anticipata solutione, vt si quis minoris emit, quia prius soluit: vt faciunt ii, qui emendo fruges assignandas primo tempore præsoluunt minus. Aduerte quòd in huiusmodi emptione spectatur ad æstimatum pretium tempore assignationis frumenti. Et

pro-

propterea si verisimiliter creditur frumentum valiturum mense Iunii decem vel circa, licet nunc valeat quindecim, licitè ego ex nunc emo pro mense Iunii decem: vt patet ex cap. nauiganti. de vsu. Nec obstat quòd in Augusto: creditur valiturum duodecim aut quindecim: quoniam emptor non emit pro Augusto: sed pro Iunio. Sed si emeret pro Augusto decẽ, & creditur valiturum quindecim, iniqua est emptio ex anticipata solutione iustitiam violans. Nota tamen quòd quia pretia rerum non consistunt in puncto, sed distinguntur in pium, moderatum, & rigorosum, si ex hoc quòd homo prius, aut tunc soluit, ad pretium pium deducit emptionem, nullum peccatum est. Et hinc fit, vt absque peccato eandem rem vnus emat decem modò soluens, & alius posteà soluturus emat duodecim: quia ille pretio miti, iste rigoroso emit. Quartò, ex pacto de retrouendendo, & quandoque etiam cum pacto de locando venditori sub annuo censu moderato, si pretium quo emitur, minus est, quàm res valeat. Habet enim tunc speciem mutui palliati sub nomine emptionis, & vsuræ palliati sub nomine census. Vnde si pretium est iustum, contractus licitus reputatur, & frequenter fit.

Aemulatio (hoc est tristitia de alieno bono non quia ille alius bene habet, sed quia ipse non habet) peccatum quandoque est. Vel ex modo quãdo scilicet immoderatus est dolor ex nimio amore sui temporalis boni, & communiter est veniale. Vel ex bono affectato quando scilicet improportionatum sibi bonum concupiscit: vt si plebeius altero facto principe tristatur, quia ipse non est princeps. Et communiter, aut stulti sunt tales, aut ambitiosi, & tunc iuxta qualitatem ambitionis iudicabit hanc æmulationem. Et si in Ecclesiasticis dignitatibus, aut beneficiis æmulatio inueniatur, iudica illam secundum appetitum

æmulantis: ita quòd si appetitus illius ad beneficium, aut dignitatem est bonus, æmulatio est bona, & si appetitus est malus venialiter, æmulatio est venialis: & si appetitus est malus mortaliter, æmulatio est mortalis. Cæterùm in spiritalibus æmulatio tantò est laudabilior quantò appetitus est melioris boni: iuxta illud. Aemulamini charismata meliora.

Episcoporum peccata peculiaria quæ sunt.

EPiscopi peccata peculiaria sunt, conferre ordines indignis, consecrare non virgines vt virgines, conferre beneficia Ecclesiastica indignis, non residere in Ecclesia & cathedra sua, absque rationabili causa, nō interesse diuinis officiis diebus dominicis saltem, non visitare singulis annis suam diœcesim, & in visitatione non seruare iura, tam de inquirendis & prouidendis, quàm de prædicando, quàm de procurationibus, &c. non instituere prædicatores seu potentes in opere & sermone in Ecclesia cathedrali & conuentualibus, non celebrare synodum singulis annis, non prouidere de idoneis ministris, vicario assessore, notario, œconomo non propinquo nec fauore coniuncto, sed clerico de gremio Ecclesiæ idoneo, &c. negligere executionem legatorum propter negligentiam aliorum ad se deuolutorum quò ad executionem: non corrigere verbo & facto, vt opus est, subditos, non conficere chrisma annis singulis, non dispensare re reditus suos pauperibus & Ecclesiæ vt debet: negligere vt magistri instituantur ad dicendum opportuna: & artes liberales subditos: & vniuersaliter negligere ea, quæ ad pascendum Christi oues sibi creditas, opportuna sunt.

Inter hæc autem & similia differentia considerandа est duplex. Prima est, quòd quædam secundum se mala, vt consecrare non virgines, vt virgines, conferre

ferre ordines seu beneficia indignis: quia actus cadit super materia repugnante: negligere curam animarum: quia perniciosæ infidelitatis est manifestè: Ecclesiastic. prouentus dissipare: quia eiusdem est vitii: non curare de idoneis ministris, quia ad hoc tenetur omni iure, & tenetur de damnis omnibus, & similia. Quædam verò sunt mala propter aliud, hoc est propter mala, quæ inde nata sunt sequi: vt non residere, non visitare, non celebrare synodos, & huiusmodi: hæc enim omnia mala pro tanto sunt, pro quanto ex eis ouium pastus aut tollitur, aut minuitur, aut impeditur, &c. Secunda est, quod quædam statuta sunt perpetuæ durationis, vt de residendo, visitando, prædicando, &c. Quædam verò cum præterito tempore fluxa videntur: vt de instituendo œconomo, de prædicando in visitatione. Et multa fortè sunt alia quæ aut per non vsum, aut aliàs abolita videntur in locis multis, sicut etiã institutio hominum potentum in opere & sermone pro prædicationis officio, aut neglecta, aut non recepta in multis locis videtur, vbi nulla inuenitur præbenda pro huiusmodi viris instituta: & fortè hoc accidit in Ecclesia, vbi tenues sunt præbendæ. Et propterea errantes in primis (quæ scilicet sunt ex se mala) peccant mortaliter: nisi propter imperfectionẽ actus (puta quia paruulus error circa fidelitatem aut diligentiam, interuenit) excusentur. Errantes autẽ in secundis quantum peccent, ex causa & ex malo quod sequitur, & ex bono quo priuantur oues, pensandum est. Circa illa verò quæ non est in memoria hominum, quod seruata fuerint in aliqua Ecclesia (vt de œconomis & similibus) non video peccatum aliquod modò ad finem aut fructum propter quem statuta illa erant, studeat Episcopus quantum in se est, dirigere: puta quòd reditus Ecclesiæ bene ac fideliter tractentur, quod promoueantur

moueantur in canonicos meliores seu magis digni, &c. Hoc enim est ad idem tendere, sed alia via hodie conueniente.

Verecundia potest in bonam & malam partem sumi.

ERubescentia, pro quanto verecundiam de bono importat, peccatum est: quia actus timoris cadit super materia repugnante : non enim timidum est bonum.

Et est quandoque veniale: vt quum quis erubescit voluntariæ orationi vacare propter societatem. Quandoque autem mortale: vt quum erubescit confiteri peccatum suum mortale, aut confiteri Christũ, &c. iuxta illud . Qui me erubuerit coram hominibus, hunc & filius hominis erubescet coram Angelis Dei. Discerne ergo erubescentiam mortalem à veniale ex materia. Nam si quis erubescit de necessariis ad salutem, peccat mortaliter: si autem de aliis, venialis communiter est.

Mentis distractio vel euagatio secundum apprehensionem naturam est iudicauda.

EVagatio mentis ex suo nomine à recta ratione declinat, & propterea peccatum est. Sed si nuda est, venialis est. Si autem ad illicitas materias exeat, iuxta illarum naturas iudicanda est: ita quod si ad Venereas delectationes declinat, ex Venereorum regulis iudicatur, & sic de aliis. Et hæc intellige de mentis euagatione secundum se. Nam de ipsamet vt coniuncta Missæ, orationi, & aliis quæ attenta mente tenetur homo persoluere, aliud est iudiciũ propter iniuriam annexam, vt infrà patebit.

Excom-

Excommunicatio diuiditur in maiorem & minorem: & multipliciter est, tam respectu excommunicantis, quàm excommunicati & absoluentis considerandà.

EXcommunicationis tam maioris, quàm minoris notitia necessaria ac sufficiens confessori, in quatuor consistit. Primò in casibus quibus est quis excommunicatus: vt sciat discernere, an pœnitens sit excommunicatus. Secundò, in casibus, quibus excommunicatus peccat, propterea quia excommunicatus dicit, facit, aut suscipit aliquid, vt sciat peccata quibus inuoluitur quis, postquam est excommunicatus. Tertiò, in quibus casibus alios peccare contingit occasionaliter ex altero excõmunicato, hæc enim peccator confessor discernere non poteſt, nisi nouerit excommunicationis efficaciam in eos qui excommunicati non sunt. Quartò in qualitate vinculi, an sit affectum reseruatione: vt hinc discernatur, qui ab hoc, & qui ab illo sint absoluendi. Et propterea de vtraque excommunicatione hæc quatuor dicentur: prius de maiore, deinde de minore: ita tamen vt primum & quartum simul locentur, & in singulis verba in sententia posita referantur, apposita, vbi opus videbitur, declaratione. Hæc enim cum suprà dictis de absolutione & infrà dicendis de præcepto, sufficere credimus confessori. Ante omnia autem circa intellectum excommunicationum, siue à iure, siue à iudice sint, prænotanda sint duo. Primum, in excommunicatione qualibet duo inueniri: scilicet personam, quæ excommunicatur, & actionem, pro qua excommunicatur. Et personas quidem, ad quas se extendit excommunicatio, facile est discernere, perspiciendo an comprehendat omnes, an aliquos, vel

aliquem . Discernere autem actiones , non tam facile est . Oportet siquidem actionem considerare & ex parte termini , & ex parte agentis, & scire quod ex parte termini actio excommunicationi subiecta , intelligitur consummata , ita quod regulariter loquendo nisi actio illa sit consummata , non est locus excommunicationi . Verbi gratia: si excommunicatur quicumque occiderit Christianum quantumcunque aliquis animo occidendi mille vulnera lethalia Christiano inflixerit : nisi mors sequatur , non erit excommunicatus : quia non est Christiani occasio consummata , vnde quantumcunque conetur aliquis percutere clericum lancea , sagittis , lapidibus : nisi lanceæ , aut sagittæ,aut lapidis ictus pertingat ad clerici personam , non incurrit excommunicationem latam contra percutientes clericos :quia manus violentæ iniectio non est consummata , consummatur enim actione ipsius clerici , & non aliter : & sic de aliis . Ex parte autem agentis , à quo egreditur actio,exigitur quòd sit agens , eliciens , seu exercens illam actionem : ita quòd si excommunicatur occidens Christianum , excommunicatus est qui occidit , non autem ille qui mandauit occidere . Et ratio est : quia in iure non dicuntur vere agere , nisi illi qui faciunt , hoc est exercent , seu exequuntur actionem illam quæ excommunicationi subiicitur. Consulens autem aut mandans solum dicitur interpretatiuè facere . In cuius signum quando canonum conditor vult comprehendere non solum facientes sed cooperantes , extendit apponendo quandoque & quicunque dederit consi-

lium,

lium, auxilium, vel fauorem: quandoque, & quicumque madauerit: quandoque, & qui fuerit mediator. Ex his enim & similibus appositionibus significatur, quòd nisi appositiones huiusmodi fierent, soli facientes essent excommunicati. Et propterea oportet lectorem & confessorem esse cautum, ne sit præceps ad iudicandum cooperatores excommunicatos. Legat diligenter igitur verba textus seu sententiæ, & videat quas actiones excommunicat & solos facientes illas actiones iudicet excommunicatos, nisi sint etiam excommunicati dantes consilium, auxilium, fauorem, &c.

Nec obstat dictis excommunicatio iuris communis contra participantis in crimine criminoso cum excommunicatis: quia illa loquitur de participio cum iam excommunicato: ita quod præsupponit iam excommunicatum, vt infrà in loco suo declarabitur. Secundum, quòd actiones cooperatoriæ dupliciter excommunicationi subiiciuntur. Primò, per modum extensionis seu cooperationis: vt quum excommunicantur iniicientes manus violentas in clericum, & omnes qui ad hoc dederint mandatum, consilium, auxilium, fauorem, &c. Et sic quantumcumque aliquis mandet, consulat, auxilietur, faueat: si non sequitur effectus, scilicet violenta manus in clericum, non incurrit excommunicatio: quia actiones istæ sic non excommunicantur, nisi quatenus cooperatoriæ sunt. Non sunt autem quatenus cooperatoriæ consummatæ, nisi terminent ad opus principale excommunicatum, scilicet iniectionem manus in clericum. Et sic de similibus intellige. Alio modo per modum propriæ actiones:

vt quum excommunicatur religiosus dicens aliquid, vt retrahat audientes à solutione debitarum Ecclesiis decimarum, non enim exigitur, vt illud dicere consumetur ad effectum retractionis à solutione decimarum: vt scilicet ex illo dicere audiens retrahatur à solutione: sed consummatum est in hoc ipso, quòd dicere illud sit cum tali intentione: quia tale dicere excommunicationi subiicitur per modum cuiusdam actionis secundum se, & non per modum extensionis seu cooperationis. Fuisset autem per modum extensionis, si canon excommunicaret principaliter non soluentes decimas, & accessoriè dicentes ad retrahendum. Et sic de similibus intellige.

His igitur præmissis, seruanda sunt quatuor promissa, incipiendo ab excommunicationibus latis contra repugnantia fidei Christi.

Contra hæreticos.

In hæreticos & fautores, receptatores, ac defensores eorum. CAP. I.

Hæretici diuersimodè à canone considerantur.

EXcommunicamus omnes hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur, & fautores, receptatores, & defensores eorũ. Hono. iii. de senten. excommun. nouèrit.

CAnonis istius materia est hæresis. Et est quò ad personas vniuersalis. Quò ad actiones verò comprehendit quatuor: vnam principalem, & tres accessorias. Vna principalis est ipsa hæresis, hoc est pertinax adhæsio ad aliquid contrariũ fidei. Secunda est fauor. Tertia receptio. Quarta defensio, ita quod omnes sunt ipso facto excommunicati. Vbi aduerte, quòd

quòd istum canonem, cuius absolutio nō reseruatur Papæ, superuenit iugis canon in cœna Domini, excommunicans omnes hæreticos, & fautores, & receptatores, & defensores eorundem: & reseruatur absolutio Papæ. Et propterea hodie solus Papa prædictos absoluere potest. Sunt autem verba canonis in Cœna Domini hæc: Excommunicamus & anathematizamus omnes hæreticos, Gazaros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passagerios, Euicleffistas seu Hussitas, Fraticellos de opinione nuncupatos: necnon Martini Lutheri hæresim sequentes, ipsíque Martino quò minus puniri possit, quomodo libet fauentes: & quoslibet alios hæreticos quocunque nomine censeantur: ac omnes fautores, receptatores, & defensores eorundem.

Aduerte quoque inueniri alium antiquum canonem Gelasii Papæ contra hæreticos, dicentem, Quicumque in hæresim semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit. xxiiii. quæstione prima, Acharius. el primo. Et est canon iste cum duobus capitulis sequent. directè significans firmitatem & authoritatem sententiæ semel promulgatæ de aliqua hæresi. est enim tantæ efficaciæ, vt inuoluat omnes imitatores in secula seculorum. Siue igitur antiqua siue noua sit hæresis, si quis verè hæreticus est, excommunicatus est cum fautoribus &c. Et scito quòd propriè loquendo, fautor hæretici solus est, qui fauet hæretico vt hæretico. Et similiter defensor hæretici solus est, quod defendit hæreticum quatenus hæreticum. Et similiter receptator hæretici solus est qui recipit hæreticum quatenus hæreticum: quoniam ex intentione & proposito maleficia distinguuntur apud iura, & formaliter sunt termini intelligendi apud sapientes in qualibet facultate.

In dominos seu rectores temporales, & eorum officiales circa negotium inquisitionis contra hæreticos deficientes : & omnes qui in hoc dederint cõsilium, auxilium, vel fauorem. CAP. II.

Domini temporales, vel prouinciarum rectores qua de causa sint excõmunicandi.

VT inquisitionis negotium contra hæreticã prauitatem ad Dei gloriam & augmentum fidei, nostris tẽporibus prosperetur, &c. In qua constitutione edo fuerunt excommunicationes. Primò enim omnes potestates, domini temporales & rectores (quibuscunque dignitatibus vel officiis & nominibus censeantur) & eorum officiales & balliui qui diœcesanis, vel Episcopis, vel inquisitoribus hæreticæ prauitatis non obediunt: in hæreticorum, vel ipsorum, credentium, vel defensorum, receptatorum, fautorum inuestigatione, captione & custodia diligenti, cum ab eis fuerint requisiti, excommunicantur.

Secundò, Omnes prædicti rectores, si prædictas personas pestiferas non duxerint, vel duci fecerint sine mora postquàm fuerint requisiti in potestatem seu carcerem Episcoporum seu inquisitorum, vel ad aliquem alium locum de quo ipsi, vel aliqui ex ipsis, mandauerint infra eorum dominorum vel rectorum districtum: vbi per viros catholicos à præfatis Episcopis, vel inquisitoribus, vel eorundem aliquo deputatos, sub arcta & diligenti custodia teneantur, donec eorum negotium per iudicium Ecclesiæ terminetur, sunt excommunicati.

Tertiò, Omnes supradicti rectores & eorum officiales & nuncii, si de hæresi ab Episcopis vel inquisitoribus

storibus condemnatos,& eorum brachio derelictos, non statim cœperint indilatè animaduersione debita puniendos,non obstantibus appellationibus prædictorum,sunt excommunicati.

Quartò, omnes supradicti rectores & officiales,si captos pro crimine hæresis, absque dictorum Episcoporum,seu inquisitorum, aut saltem alterius eorũ licentia,vel mandato ,à captione vel carcere liberauerint,sunt excommunicati.

Quintò, Omnes prædicti rectores ipsorumque officiales,si de crimine hæresis (quum merè sit Ecclesiasticum) cognouerint quoquo modo, vel iudicauerint,sunt excommunicati.

Sextò, Omnes supradicti, si exequutionem pro huiusmodi crimine à diœcesanis , vel inquisitore iniunctam promptè (prout ad suum spectat officium) facere detractent, vel diœcesani seu inquisitoris iudicium,sententiam seu processum directè vel indirectè impedire præsumant,sunt excommunicati.

Septimò, Omnes supradicti qui præfato fidei negotio,Episcopo vel inquisitori,incumbenti, se opponere præsumpserint, vel ipsum aliqualiter impedire, sunt excommunicati.

Octauò , Omnes qui scienter in prædictis vel aliquo prædictorum dederint auxilium , consilium vel fauorem,sunt excommunicati. extrà de hæreti.vt inquisitionis.

CAnones isti vsque ad octauum non contra omnes sed officiales in materia hæresis vt clari iudicibus relinquuntur. Octauus autẽ contra omnes est.

Et est absolutio omnium horũ Episcopalis quantum est ex isto canone. Quòd ideo appono: quia pro quanto isti,in numerum fautorum, aut defensorum hæreticorum transirent : faciendo aliquid horum, vt fauerent, aut defenderent hæreticos,incurrerent, sen-

sententiam latam in cœna Domini, & absoluendi essent à solo Papa.

Inquisitores & alij officij inquisitionis executores, contra hæreticos contra cõscientiam suam procedere omittentes, vel falsò hæresim imponentes.

CAP. III.

Inquisitores hæreticæ prauitatis duplici de causa excommunicationem ratione officij sui possunt incurrere.

INquisitores, & alii inquisitionis officii exequutionem substituti ab episcopo vel inquisitore: si odiis, gratiæ vel amoris, lucri aut cõmodi temporalis obtẽtu, contra iustitiam & conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere. Vbi fuerit super prauitate hæretica procedendum, aut obrentu, eodem prauitatem ipsam aut impedimentum officii sui alicui imponendo, eũ super hoc præsumpserint quoquo modo vexare: præter alias pœnas, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant. A qua nisi per Roma. Pon. nequeant (præterquàm in mortis articulo, & tunc satisfactione præmissa) absolui nullo in hac parte priuilegio suffragante.

Clemen. de hære. cap. multorum in clemen.

CAnonis istius materia est iustitia, cum mala conscientia inquisitorum hæreticæ prauitatis. Quò ad personas, ligantur duo genera personarũ: s. inquisitores, & alii ad dicti officii exequutionem deputati. Quò ad actiones, ponuntur duæ scilicet. omissio procedendi vbi fuerit procedendum: & vexatio innocentis, imponendo illi vel hæresim, vel quod impediret inquisitionis officium. Et debet vtraque actio ve-

stiri obtentu odii, gratiæ vel amoris, lucri aut commodi. Et præter hoc prima actio debet esse contra iustitiam & conscientiam: ita quod huiusmodi omissio ad hoc, vt huic pœnæ subiaceat, requirit, vt si non solum contra iustitiam, sed etiam contra conscientiam. Noluit enim conditor Canonis ligare omittentem contra iustitiam ignoranter, sed voluit vt esset omissio contra conscientiam suam hoc est contra scientiam suam applicatam ad talem omissionem, ita quod etiam conscientia sua dictet non esse omittendum, quamuis amor vel odium &c. trahat ad omittẽdum. Cæterum in loco isto videre facilè potes, sub Ecclesiastico iudicio cadere actus interiores odii vel amoris non absolutè vt occulti sunt, sed vt ad extrà procedũt: vt. s. sunt rationes exterioris commissionis, vel omisionis. Excommunicantur siquidem hic inquisitores, qui ex odio vel amore omittunt procedere &c. Et est Papalis absolutio, nisi cum satisfactione præmissa in mortis articulo.

Inquisitores, & ipsorum vel Episcoporũ seu capitulorum sede vacãte commissarios: pecuniam illicitè extorquentes, aut scienter Ecclesiarum bona ob clericorum delictorum fisco etiam Ecclesiæ applicare attentantes.

CAP. IIII.

Bonorum Ecclesiasticorũ delapidatores & sede vacante priuilegijs Ecclesiasticis abutentes excommunicantur.

INquisitoribus & tam ipsorum, quàm Episcorum, quàm capitulorum sede vacante super hoc deputatis

putatis commissariis districtius iniungimus ne prætextu officii inquisitionis quibusuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant, nec scienter attentent Ecclesiarum bona ob clericorum delictum, prædicti occasione officii fisco etiam Ecclesiæ applicare. Quòd si secus in his, vel eorum altero fecerint, excõmunicationis sententiæ eos subiacere decernimus ipso facto. A qua non possint absolui (præterquàm in mortis articulo) donec illis à quibus extorserint, plenè satisfecerint de pecunia sic extorta: nullis priuilegiis, pactis aut remissionibus super hoc valituris. Clement. de hæret. cap. nolentes. in clemen.

CAnonis istius materia partim quasi rapina, & partim sacrilegium est, & quò ad personas duo genera personarum leguntur. Primum est inquisitorum. Secundum commissariorum quorumcunque, siue sint commissarii inquisitoris, siue Episcopi, siue capituli sede vacãte. Quò ad actiones explicantur duæ. Prima est extorsio pecuniæ à quocunque, modis illicitis, prætextu officii inquisitionis. Secunda est applicatio scienter bonorum Ecclesiæ, ad fiscum, etiã Ecclesiæ ob delictum clerici, prætextu similiter dicti officii. Vbi discernere potes, quod prima actio tribus contenta est conditionibus. Secunda autem exigit quinque conditiones: vt patet computando illas. Nota hic, quòd appellatione commmissariorum in proposito veniunt etiam vicarii: quoniam vicarii commissarios agunt. Appellatione quoq; pecuniæ venit omne quod pecuniæ vicẽ supplet: vt frumentũ, vinũ & huiusmodi quæ pecunia mensurantur. Et est excõmunicatio ista episcopalis posẽ plenã satisfactionem, & non aliter nisi in mortis articulo.

In suspectos de hæresi Fratricellos, Bisochos siue Beghinos, &c. CAP. V.

Suspectus

Suspectus de hæresi tribus cõcurrẽtibus excommunicationem incurrit.

FRatricellis, seu fratribus de paupere vita aut Bisochis siue Bighunis,& aliis quibuscunque sub pœna excommunicationis (quam eos, si secus fecerint, incurrere volumus ipso facto) iniungimus expresse, ne statum siue sectam huiusmodi ab ipsis assumptam sectentur vlterius, vel ipsam de nouo assumere quoquo modo præsumant.

Episcopos quoque & eorum superiores & etiam alios prælatos quoscunque qui prædictis personis vel aliis ritum viuendi & habitum supradictos præter specialem Apostolicæ sedis authoritatem deinceps concesserint, prædictæ excommunicationis pœnæ ipso iure decernimus subiacere. Ioan. xxii. in Extra. cap. sancta Rom.

CAnonis istius materia, est suspecta de hæresi secta Fratricellorũ, &c. Quo ad personas est vniuersalis. Quo ad actiones tres explicantur. Prima est, perseuerare in illa secta. Secunda est assumere dictæ sectæ ritum. Tertia est concedere ritum, & habitum huiusmodi. Et hæc tertia actio limitatur ad Episcopos & eorum superiores & alios prælatos quoscunque: ita quòd tam perseuerantes, quã de nouo assumentes, quã prælati concedentes, sunt ipso facto excommunicati. Et est episcopalis absolutio.

Et nota quod ex hac extrauaganti non habetur, quæ dicitur excommunicatio cõtra inuenientes nouũ ordinẽ habitũ &c. quoniã, vt patet intuenti, ista excõmunicatio non excedit sectam, ritũ, habitumque particularem, scilicet Fratricellorum.

In mulieribus statum Beghinatus assumptum, sectantes, vel ipsum de nouo assumentes,

mentes, ac religiosis quòquomodo eas admittentes, dantes in hoc auxilium, cõsilium, vel fauorem. CAP. VI.

Beghinarum status suspectus tribus mediis excommunicationi subiacet.

SAcro approbante Concilio, statum Beghinarum perpetuò prohibendum ducimus, & à Dei Ecclesia penitus abolendũ, eisdem & aliis mulieribus quibuscunque sub pœna excommunicationis (quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto) iniungentes expressè, ne statum huiusmodi dudum forte ab ipsis assumptum sectentur vlterius, vel ipsum aliquatenus de nouo assumant. Religionis verò per quos eædem mulieres in huiusmodi statu Beghinali foueri, & ad ipsum suscipiendum duci dicuntur, sub simili excommunicationis pœna (quam eo ipso, si secus egerint, se nouerint incursuros) districtius inhibemus, ne mulieres aliquas prædictum statum assumptum sectantes, vel de nouo assumẽtes, quoquomodo admittant præbentes, super hoc auxilium, consilium, vel fauorem. de religios. domi. capitulo primo.

CAnonis istius materia est suspectus status Beghinarum. Quantum ad personas, duo genera comprehenduntur: scilicet mulieres & religiosi. Quantum ad actiones verò tria genera. Primum est, sectari vlterius huiusmodi statum assumptum. Secundum est, de nouo dictum statum assumere. Et hæc duo respiciunt mulieres. Tertium autem quod respicit religiosos, est præbere vllo modo auxilium, consilium vel fauorem super dicto statu sectando vel assumendo. Aduerte deinde appellatione Beghinarum non venire mulieres deuotas, quæ alicubi Bisochæ vocantur: quæ in domibus paternis dimissæ, à

nuptiis

nuptiis abstinent, nullasque regulas profitentur, nullique modo viuendi se adstringunt: sed Deo famulari in sua puritate malunt prout Spiritus sanctus illas inspirauerit. Sed Beghinæ quæ hic excommunicantur, sunt aut infideles, de quibus loquitur clem. ad nostram. de hæreti. aut sunt suspectæ de fide: vt in hac Decretali insinuatur. Et est Episcopalis.

Contra schismaticos.

In pertinaciter se ab obedientia Rom. Pon. subtrahentes, seu quomodolibet recedere præsumentes, &c. CAP. VII.

Romanæ curiæ inobedientes vinculum excommunicationis indubitantur incurrunt.

EXcommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui in animarum suarum periculum, se à nostra, & Roma. Pontificis pro tempore obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet credere præsumunt: & qui per se vel alium, seu alios directè, vel indirectè prædicta exequi vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare nõ verentur. In processu cœnæ Domini.

CAnonis istius materia est schisma. Quò ad personas, est vniuersalis. Quum ad actiones explicantur duo genera actionum: scilicet principalium & accessoriarum. Et principales quidem sunt duæ. Prima est, subtrahere se pertinaciter ab obedientia Ro. Pont. Secunda est, quomodolibet præsumere recedere ab eadem obedientia. Accessoriæ autem valde disperguntur & dilatantur, dũ multiplicantur per tot modos, per se, vel per alium, directè vel indirectè, &c.

Vbi nota, quòd aliud est recedere ab obedientia

Rom. Pont. & aliud est transgredi præcepta eiusdem, etiam ex contemptu. Nam recedere ab obedientia, est nolle recognoscere ipsum vt superiorē, vt patrem spiritualem, vt Christi vicarium, &c. transgredi autem præcepta ipsius etiam in despectum eius, stat cum recognitione ipsius vt pontificis, superioris, &c. Et propterea in hunc canonem non incidunt contemptores præceptorum, nisi Ro. Pont. nolint recognoscere vt caput totius Ecclesiæ vice Christi. Et est Canon iste reseruatus Papæ.

In præsumptuosè volentes, quòd ordinationes ab Octauiano & Guidone factæ, vel ab ordinatis ab ijs sint ratæ, &c.

CAP. VIII.

Ordinationes ab hæresiarchis inditas approbantes vel recipientes, excommunicationis vinculo innodantur.

ORdinationes ab Octauiano & Guidone hæresiarchis factas, & ab ordinatis ab eis irritas esse censemus: adiicientes vt qui dignitates Ecclesiasticas seu beneficia per dictos schismaticos acceperint, careant impetratis. Alienationes quoque quæ per eosdem schismaticos seu per laicos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesias sine omni onere reuertātur. Si quis autem contraire præsumpserit, excommunicationi se nouerit subiacere, extrà de schismaticis. cap. j.

CAnonis istius materia partim est schisma, partim sacrilegium circa alienationem bonorum Ecclesiæ. Et quò ad personas, vniuersalis est. Quò ad actiones ponitur vna: quæ tamen multiplicatur iuxta materias. Actio est præsumere contraire contra hoc

scilices

scilicet quòd ordinationes sint irritæ,& quòd beneficia accepta non retineantur, & quòd alienatio facta à schismatico vel laico careat firmitate, & quòd sine onere reuertatur ad Ecclesiam. qui enim voluerit, quòd ordinationes sint ratæ, aut quòd beneficia retineantur,aut quòd alienatio sit firma, aut quòd redeat ad Ecclesiam cum onere, excommunicationem incurrit. Episcopalis tamen est secluso schismate.

Nota tamẽ hic, quòd alienatio de qua hic est sermo,iuxta literæ sonum intelligenda est, vt exposuimus,hoc est de sacrilega alienatione: quoniam alienatio facta à laico, sacrilega est, & litera distinguit à schismaticis laicos. Non damno tamen exponentes laicos non qualitercunq; sed fultos auctoritate schismaticorum. Rationabilis videtur expositio:quia de schismaticis est Canon iste:vt per ipsos schismaticos, Ecclesiasticos: per laicos verè, innixos illorum auctoritati laicos significet.

In eum qui de tertiæ partis Cardinalium nominatione confisus, Papæ sibi nomen vsurpat, & eos qui ipsum recipiunt:item in eum qui à paucioribus,quàm duabus partibus Cardinalium electus,nisi maior concordia intercesserit, gerit se pro Papa.

CAP. IX.

Prælationis nomen indebitè sibi assumens vel vsurpans, & sub illius prætextu falsum seminans,excommunicatus est.

STatuimus, vt si fortè inimico homine superseminante zizaniam inter Cardinales,de substituendo

summo Pon. non poterit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus, tertia pars concordare noluerit, aut sibi alium præsumpserit nominare, ille absque vlla exceptione ab vniuersali Ecclesia Ro. Pon. habeatur qui à duabus partibus fuerit electus & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus, sibi nomen Episcopi vsurpauerit, tam ipse, quàm qui eum receperint, excommunicationi subiaceant. Et infrà, Si à paucioribus quàm duabus partibus aliquis fuerit electus ad Apostolatus officiū, nisi maior concordia intercesserit, nullatenus assumatur: & prædictæ pœnæ subiacet, si humiliter noluerit abstinere. extrà de elec. c. licet.

CAnonum istorum materia est schisma aut schismatis initium. Quò ad personas, sunt vniuersales. Quò ad actiones nota duos casus. Primus est, si quis de tertiæ partis Cardinalium nominatione confisus, Papæ sibi nomen vsurpauerit: & tunc tam ipse, quàm ii qui eum receperint, sunt excommunicati. Secundus est vniuersalis casus, hoc est si à paucioribus quam à duabus partibus Cardinalium electus, nisi maior concordia intercesserit, gerat se pro papa: tunc enim prædictæ pœnæ subiacet. Et est absolutio secluso schismate, Episcopalis.

Contra manus violentas.

In eos qui suadente diabolo in clericum vel monachum manus violentas injiciunt.

CAP. X.

Manus violentas in clericum injiciens excommunicatur.

SI quis suadente diabolo huius sacrilegii vitium vel crimen incurrerit, quòd in clericū vel monachum manus

manus violentas iniecerit, anathematis vinculo subiaciatur. Et nullus Episcoporum præsumat illum absoluere (nisi mortis vrgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat. In Decret. xvii. quæst. iiii. cap. si quis. & est Innocen.

CAnonis istius materia est sacrilegium quo manus violenta in clericum iniicitur. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones verò vna est principalis: scilicet manus violentas in clericum suadente diabolo iniicere. Et est papalis. Actiones verò accessoriæ (scilicet mandare, dare consilium, auxilium vel fauorem ad huiusmodi manũ violentam) ex aliis Canonibus habentur: quos breuitatis causa omitto.

Circa hanc excommunicationem punientem sacrilegium manus violentæ in clericum vel monachum, nota septem.

Primò, quòd quia manus est organum organorum, appellatione manus violentæ venit non solùm quæcunque percussio, sed etiam pulueris aut aquæ iniectio: imò & consputio, ac violenta acceptio cuiuscunque rei de manu seu persona clerici: insuper captio, detentio, & cancer. Non autem præcipere exilium, aut confinia, intra quæ se contineat: quia in illis violenta manus (hoc est exterior violenta) in istis sola præcepti vis interuenit. Per inferiorem quoque violentiam clerico intellige non solũ exequutorem, sed mandantem & dantem ad hoc consilium, auxilium, fauorem, consensum: imò etiam ratum habentem post factum, si nomine suo factum est. Appellatur etiam à iure in proposito consentiens ac faciens, qui quum debeat & manifestè possit, desinit obuiare. Et propterea pari pœna punitur: quia (iuxta Apostoli sententiã) digni sunt morte non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus. Et quia duplex est genus debentium: scilicet vel ex officio, vt officiales:

(& isti proculdubio ligantur, si manifestè possunt obuiare, & non curant) vel ex casu necessitatis, quo tenemur succumbentem oneri subleuare, quum non sit alter subleuans. Et isti si manifestè possunt, ex interpretatione iuris ligantur, vt patet in cap. quantæ, de sentent. excommunic. Crediderim ego istos tunc tantùm ligari, quum ex intentione nolunt obuiare, cognoscentes se absque periculo ac damno posse obstare, tales enim inexcusabiles sunt à cõsensu, ex quo necessitatis articulus obligat eos ad abstandum, sicut officiales obligant debitum sui officii. Nota secundò, quòd quia violentia distinguitur ab actibus subdolis, fraudulentis & huiusmodi, & rapina distinguitur à furto: ideo licet manus violenta esset, si quis vi acciperet aliquid, quod tenet clericus in manu, seu in persona, non tamen esset manus violenta si quis furto tolleret nummos ex loculo gestato à clerico. Et similiter si quis cingulum quo actualiter cingeretur, furtiuè tolleret, etiam si præcisio interueniat: quoniam præcisio illa non violẽta sed furtiua est. Nota tertiò, quòd violentia hoc in loco plus denotat quam significet. Nam licet significet quod fit in inuitũ (quia hoc propriè est violentum) intelligimus tamen per hoc etiam iniuriosam manum: ita quòd licet clericus consentiat, vt verberetur: si iniuriosa est verberatio, excommunicatus est verberans. Et hac eadem ratione clericus percutiens seu verberans seipsum iniuriosè, per se vel alium, excommunicatus esset non minus, quam si alium clericum sic percussisset aut percuti procurasset. Et hinc respondetur quæsito, an monialis procurans abortum potione vel phlebotomia, incidat in hunc canonem. Dicitur enim quòd non incidit: quia manus hæc licet sit violenta naturæ, non tamen est violenta personæ consentienti, nec est iniuriosa statui Ecclesiastico.

Nota

Nota quartò, quòd manus violenta potest esse sacrilega duplici ratione: vel absolutè, vel ex iuris positione. Appellatur autem & est sacrilegium absolutè, iniqua percussio clerici. Vocatur verò & est sacrilegium ex iuris positione, clerici merentis mille mortes occisio per sententiam iudicis laici, hoc enim & similia quæ secundum se sunt iusta, & sunt solum mala, quia prohibita ex iure positiuo, sacrilega quidē sunt, sed ex positiuo iure originem trahentia. Et hoc modo sacrilegium est, si monachus causa correctionis verberatur per laicum, aut necessitate non vrgēte per alium clericū vel monachum ab Abbate: vt in capit. vniuersitatis. de sententia excommunicationis.

In præsenti igitur censura sacrilegium sumitur vtroque modo: ita quòd excommunicationi subiacet manus violenta sacrilega, siue absolutè, siue ex iuris positione. Et propterea quicunq; zelo iustitiæ laicus homo vel dominus moueatur contra clericum pessimè meritum, non excusatur à sacrilegio manus violentæ: nisi in casu sibi à iure permisso. Permitti autem creditur à iure officialibus laicis capere ac detinere clericum (præsentandum quàm citius suo prælato) inuentū in crimine patraro vel patrando. Et nihilominus cuilibet cuius interest, permittitur recuperare violenter à clerico res furto sublatas, vel raptas antè, quam fur vel latro ad alia diuertat, hoc est ante, quā adipiscatur possessionem quasi quietam rerum ablatarum: sicut etiam licitum creditur debitorem clericum fugientem vel fugam parantem detinere præsentandum suo Prælato. In his enim & similibus quum constet sacrilegium non interuenire ex natura facti (quia non ad iniuriam clerici, sed ad iustitiam tenditur) & ex positiuo iure non fit prohibitio, non est locus sacrilegio. Nota quintò, casum, in quo manus violenta in clericorum verè sacrilegum

non punitur hac excommunicatione. Et est, si clericus turpiter operans cum vxore, matre, filia, vel sorore inuentus percutitur: vt patet in cap. si verò. de senten. excommuni. Percutiens enim ex vindicta, licet peccet mortaliter, & sacrilegus sit: iure tamen humano cõpatiente iusto dolori, impunis euadit. Si tamen dolus interueniat (puta quia vir consentit vt vxor clericum admittat ad hoc, vt percutere eum possit) excommunicatus est percutiendo: quia dolus interueniens compassionem legis tollit.

Nota sexto, manum violentam in clericum non sacrilegum quinque modis inueniri. Primus est quum est sacra: vt puta quum correctionis causa ab habente legitimam potestatem, legitimè exercetur. Sic enim Episcopus per clericum, inferiores verò prælati per seipsos clericum verberant, detinent autem & capiũt per quoscunque. Si ad hunc modum spectat verberatio, qua naturalis pater corripit filios, clericos, & magister discipulos, & maiores seu seniores ecclesiæ pueros: & clerici afficientes eos qui perturbant diuini officii cultum. Et sicut sacra est horum correctio, ita sacrilega efficeretur eorundem actio si ex odio & iniquitate clericos eosdem verberarẽt: ac per hoc essent excommunicati. Secundus est, quũ est licita: vt quum quis defendendo se aut sua, aut alios, vim vi repellit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec arctatur licita hæc defensio ad casum, quo inuasus non potest aliter se aut sua aut alios saluare: sed rationabiliter extenditur etiam ad casum in quo tamen vituperabiliter fugiendo posset se saluare: quia non tenetur ignominiosam fugam pati laicus à clerico inuasore, sed potest suum saluando honorem sicut & cæteras res, vim vi repellere. Non intelligas tamen licere ei propter hoc acceptare duellum à clerico prouocante illum: quia aliud est velle pugnare, & aliud se & sua tuendo,

tuendo, contra clericum nō minis, sed facto inuadente pugnare. Et ad hanc licitam defensionē reducuntur superius dicta in tertio notabili de captione licita, quoniam in defensionem iniustitiæ fiunt. Et quū non minus castitatem quam reliqua bona tueri debeamus. Si mulier aut puer impetatur de turpitudine à clerico & pro euadendo molestiam, non verbo, sed facto inuadentis, percutit aut mordet (quia nec fugere licet nec clamare potest, aut infamiam putat) nullam incurrit censuram: quia defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, tali sexui, seu ætati videtur. Et si excessus interueniret, exemptus est à canone, qui excusat patrem, maritum, fratrem & filium, vt prædictum est. Et multo magis excusat agētem pro persona propria in materia turpitudinis iniuriosæ. Si enim licet mihi impunè percutere iniuriantem mihi in turpitudine meorum, multò magis impunis sum percutiens iniuriantem mihi in turpitudine propriæ personæ. Et sicut sufficit ibi inchoatio actus, ita hic, qui enim attentat violare, iam turpem actū inchoat. Tertius est, quum manus violenta est qui imperfecta ex defectu deliberationis: vt contingit in primis motibus. Si quis enim absque deliberatione ex subita passione manum in clericum iniicit, ita quod aduertens quod facit, retrahit manum. non est excommunicatus: quia manus violenta, non est perfectè actus humanus: ac per hoc non est sacrilega, nisi imperfectè: sicut primus motus adulterii, nō est adulterium. Excommunicatio autē hæc præsupponit sacrilegium simpliciter, & non secundum quid tantum, quale est hoc. Et ad hunc modum reducūtur percutiones tam defensiuæ, quam correctiuæ, quando modicum excessiuæ sunt: quia non ex deliberatione fit excessus ille, sed quasi ex impercepta passione impellēte. Quartus est, quum violenta manus est imperfecta ex defe-

ctu exteriori actus: puta quia tam leuis ac leuiter iniecta est, vt pro nulla habenda sit, & vt vnico verbo dicatur, quando manus violēta est ita leuis, vt si esset in laicum, non constitueret peccatum mortale, propter hoc quod est in clericum, non subiacet huic excommunicationi. Et ratio est, quia non est sacrilegium: canon autem iste expresè supponit sacrilegiū secundum completam sacrilegii rationem, & non secundum quid: quale est veniale sacrilegium, vt sic liceat loqui. Quintus est: quum manus violenta est imperfecta ex defectu formæ, hoc est intentionis: quia scilicet non per se intenditur, siue quia violentia non intenditur: vt quum quis castigando clericum, modum excedit ex imprudentia putans se non excedere: siue quia non intenditur, quod sit in clericum, vt quum ex ignorantia clericus percutitur aut capitur: quoniam per se loquendo non incurritur sacrilegium nisi sub intentione cadat. Et hoc intellige, nisi ignorantia culpabilis reducat actum in naturam suæ formæ: vt quia debuit, & potuit scire, nec curauit scire. Et ad hunc modum reducuntur casus omnes, in quibus non formaliter, sed materiater tantum manus violenta in clericum iniicitur, vt contingit officiali. Principis arcenti turbam in qua sunt clerici. Ad hunc etiam modum reducuntur casus, quibus absque animo iniuriandi violentia rationabiliter infertur clerico: vt si quis fugiens persequentes, clericum ex cabalo necessario fugienti tollat vt velociter se saluet: sicut enim non est reus rapinæ equi, ita nec violentiæ sacrilegæ: quia non animo iniuriandi, sed necessitate seipsum saluandi totum fit in casu, in quo si lex viua adesset, cessare se diceret. Et simile est, si in casu defensionis, occurrentem gladium de latere clerici tolleret, vt posset se tueri. Et sic de similibus.

Non

Nota septimò, appellatione clerici seu monachi venire non solum omnes habentes primam tonsuram, & omnes vtriusque sexus professos aliquam approbatam religionem, sed etiam earundem religionum nouitios & conuersos, hoc est qui se & sua, mutato habitu, alicui religioni dedicauerunt perpetuò? Et hoc intellige, nisi sint priuilegio clericali priuati: vt sunt degradati, & secundum quosdam, hæretici, & bigami, & coniugati sine habitu & tonsura, & apostatæ, seu enormitatibus sæuis vacantes &c. tertianorum autem genus (qui scilicet vocantur de tertio habitu alicuius religionis) ex hoc solo quòd sunt tertiani, non gaudent hoc priuilegio: quia nec sunt religiosi (quum non habeant solennem professionem, qua religiosi à non religiosis distinguuntur) nec conuersi religionis, nec nouitii religionum, nec clerici. In iure autem quatuor hæc genera tantum ponuntur, vt patet intuenti.

Demum circa calcem huius canonis, vbi reseruatur Papæ absolutio ab hac cēsura, scito tria exceptionum genera habere hic locum. Primum, ex qualitate facti. Secundum, ex qualitate personarum. Tertium, ex accidente impedimento. Ex qualitate quidem facti. nam tripliciter inuenitur manus hæc violenta. Quandoque enim est iniuria leuis, quandoque grauis, quandoque enormis. Et si est leuis, potest Episcopus absoluere: si gratis vel enormis, Papæ vel legato de latere reseruatur regulariter absolutio. Discernere autem & iudicare leuem, vel grauem, aut enormem, ad iudicem (hoc est Episcopuum) pertinet. Et de enormi iniuria, ex iure canonico manifestum est multipliciter inueniri. Primo, ex magnitudine facti: vt si peruentum est ad mutilationem membri, aut sanguinis effusionem (quæ abundantiam significare videtur) aut graue vulnus. Secundo

ex per-

ex persona læsa : vt si in Episcopum, aut Abbatem. Tertiò, ex persona lædente : vt si laicus officialis auctoritatiuè percutiat clericum. Quartò ex scandalo: vt si monachus percutiat clericum secularem : quod ponderabis. Ex iure verò ciuili & doctoribus supradictis, ex persona læsa, si sacerdos indutus sacris vestibus percutiat. Et ex irreuerentia: vt si in cõspectu Prælati percussio fiat. Ex loco: vt si in Ecclesia, vel in platea. Ex loco vulneris : puta si vulneratus in oculo. Et ex notorio, & specialiter temporis, putæ magnæ festiuitatis. Ex qualitate verò personarum, nam puerorum intra pubertatis annos excessus quicunque commissus, & mulierum potest ab Episcopo semper absolui: etiã si pueri post pubertatem absolutionem petant. Similiter religiosi in claustro se inuicem percutientes, & ad religionem transeuntes, nisi difficilis & enormis fuerit excessus: vt mutilatio, aut effusio sanguinis, aut in Episcopum vel Abbatem fuerit, cap. quum illorum. de sent. excomm. Qui etiam sui iuris non sunt (quales sunt serui, & filii familàs, & huiusmodi) absolui possunt ab Episcopis in duobus casibus. Primus est, si deliquerint in fraudem : hoc est vt subtrahant se ab obsequio debito dominis, veniendo ad sedem Apostolicam. Secundus est, si ipsi domini sine culpa sua graue damnum propter hoc incurrãt: nisi excessus sit tam grauis & enormis, vt propter vitandum scandalum & tollendum exemplum aliorũ, debeant ad sedem Apostolicam destinari. Ex interueniente demum impedimẽto absolui in primis possunt à quocunque excessu omnes in mortis articulo constituti. Infirmi quoque seu valetudinarii quacunque corporis impotentia impediti, & senes impotẽtes accedere, & similiter qui ob inimicitias quas habent, aut ob inopiam quam patiuntur, non possunt accedere, & demum quocunque canonico impedimento

retra-

retrahantur, vt nec ad sedem Apost. nec eius Legatum ire possint, absolui possunt ab Episcopis, seruata duplici moderatione. Prima est, vt satisfiat clericis iniuriam passis. Secunda est, vt iurent quod cessante temporali impedimento, præsentabunt se Apostolicæ sedi, parituri illius mandato. De nobilitatis autem magna potentia, disponit ius, quod talium dominorum ac delicatorum excessus significandus est antè quàm absoluantur, sedi Apostolicæ: & secundum illius consilium postea fiat absolutio nisi periculum sit in mora. tunc enim iuxta impedimentorum canonicorum rationem agendum esset.

In sequentes Cardinales, vel manus violentas in eos injicientes. Item in Dominos temporales constitutionem cap. felicis libro vj. contra præsumptores, præfatos seruari non facientes. CAP. XI.

Prælatos Eccle. hostiliter insequentes Anathematis vinculo innodantur.

SI quis in hoc sacrilegii genus irrepserit, quod sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales hostiliter fuerit insequutus, vel percusserit, aut cœperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandauerit, aut factum habuerit ratum, aut consilium dederit vel fauorem, aut postea receptauerit vel defensauerit scienter eundem, sicut criminis læsæ maiestatis reus, perpetuò sit infamis. Et infrà. Ex insequutione prædicta, sicut ex iniectione manuum violenta, ipso facto sententiam excommunicationis quis incurrat, tam ipse insequutor, quam alii supradicti tãti mali participes. Nec ab alio, quam à Rom Pont. possit beneficium absolutionis obtinere, nisi in articulo mortis, Et infrà; Si Princeps, Senator,

tor, Consul, Potestas, vel alius dominus, siue rector. contra præsiumptores prædictos præsentis constitutionis tenorem non facerit obseruari, tam ipse, quàm officialis eius intra mensem postquam res ad eorum notitiam venerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Bonifa. extrà de pœn. cap. felicis. lib. vi.

MAteria istius canonis est sacrilegium insequutiones & manus violentæ in Cardinales sanctæ Ro. Eccl. Quò ad personas canon est vniuersalis. Quò ad actiones, comprehendit decem actiones: scilicet insequi, percutere, capere, sociare facientem, mãdare, ratum habere, cõsulere, fauere, receptare, defensare scienter: ita quòd quicquid horum aliquis commiserit, erit excommunicatus. Et reseruatur absolutio Papæ. In secundo autem canone, si Princeps &c. materia est omissio seruandi dictam cõstitutionem, tanquam quasi probans sacrilegium factum. Personæ verò excommunicatæ sunt septem: scilicet Princeps, Senator, Consul, potestas, alius dominus, rector, & eius officiales. Actio quæ excommunicationi subiicitur, est vna: scilicet non facere seruari dictam constitutionem intra mensem à die notitiæ computandum. Et est excommunicationis huius solutio Episcopalis.

In iniuriosè Pontificem percutientes, capientes vel bannientes. CAP. XII.

Episcopum iniuriosè tractantes, aut iniuriantibus opem præstantes, tanquam sacrilegi in vinculum excommunicationis incidunt.

SI quis suadẽte diabolo in hoc sacrilegii genus prorumperit, quod quamuis iniurioſẽ vel temerè Pontificem

tificem percusserit, aut cœperit, banniuerit, vel hoc fieri mandauerit, aut facta ab aliis rata habuerit, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium in his dederit vel fauorem, seu scienter defensauerit eundem: in illis casibus de prædictis, in quibus excommunicationem per iam editos canones non subiret, sit huius nostræ constitutionis auctoritate anathematis mucrone percussus: ac non queat nisi per summũ Pont. (præterquam in mortis articulo) absolui, &c.

Potestas verò, consiliarii, balliui, scabini, aduocati, rectores, consules, & officiales ciuitatis quæ in Episcopum suum commiserit aliquid prædictorum, in præmissis culpabiles existentes, similiter excommunicationis sententiæ (à qua non nisi vt præmittitur, valeant beneficium absolutionis obtinere) sint subiecti. Clem. extrà de pœniten. cap. si quis. in Clem.

CAnones duo simul hic ponuntur: & vtriusque materia est sacrilegium in Episcopum. Et primus quidem quò ad personas, vniuersalis est. Quòd ad actiones verò, comprehendit duo genera actionum, scilicet principalium & accessoriarum. Et principales quidem sunt tres, scilicet percutere, capere, vel bannire Episcopum quemcunque. Actiones verò accessoriæ sunt sex: scilicet mandare, ratificare, sociare, consulere, fauere, vel scienter defendere.

Secundus autem canon specialiter loquens de hoc sacrilegio perpetrato à ciuitate (quæ non excommunicatur: quia vniuersitas non excommunicatur) particularis est quò ad personas: pro quanto septem genera officialium: & octauo generali nomine omnes illius officiales excommunicat. Sed quò ad actiones extensiuus est: pro quanto culpam omnem circa hoc sacrilegium comprehendit. Et est vtriusque absolutio Papalis. Aduerte hic, quod appellatione Põtificis seu

Episcopi

Episcopi non venit nisi consecratus Episcopus: quia electus & non consecratus, non est Episcopus, licet sit administrator & Episcopus electus. Et scitò quòd præter hos canones, adidem extat alius in cœna domini: dicens: Excommunicamus & anathematizamus omnes temerè mutilantes, vulnerantes, interficientes, capientes, incarcerantes & detinentes Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos eorumque mandatores. Vbi videre potes canonem vniuersalem quò ad personas, & comprehendentem actiones sex principales, & vnam accessoriam, scilicet mandare. Et est Papalis, sicut cæteræ in cœna Domini.

In sacrilegos, ad vrbem Rom. pergentes, inuadentes. CAP. XIII.

Romipetas qualitercunque mutilantes, vel persequentes, excommunicantur.

EXcommunicamus & anathematizamus omnes mutilantes, vulnerantes & interficientes seu capientes & detinentes, seu deprædantes & Romipetas & peregrinos ad vrbem causâ deuotionis seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel recedentes ab ipsa: & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem. In proces. cœnæ Domini.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quò inuaduntur ad sanctam vrbem pergentes. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones, comprehendit sex principales, & tres accessorias. Et principales sunt, mutilare, vulnerare, interficere, capere, detinere, deprædari. Accessoriæ autem sunt, consulere, auxiliari, fauere. Et no. quod oportet personas ad quas principales actiones terminantur, habere multas conditiones. Prima est in qualitate, quòd sint Romipetæ seu peregrini. Secũda est in causâ, quòd causâ

deuotionis

deuotionis vel peregrinationis. Tertia est in positione quòd ad vrbem accedant, vel in ea morentur, vel inde recedant. Et ex defectu tertiæ conditionis, si quis tales percusserit antequàm sint in accessu, aut postquam redierint, non incurrit hunc canonem. Ex defectu verò secundæ conditionis, si quis habitatorem Romæ euntem ex Hispania Romam, vt in domum suam vadat, percusserit, non incurrit hunc canonem: quia nec causa deuotionis, nec causa peregrinationis ad vrbem accedit. Ex defectu autem primæ conditionis, si quis percusserit habitantem Romæ causa deuotionis non incidit in hunc canonem: quia habitator non est Romipeta, aut peregrinus motans in vrbe. Inter causam autem deuotionis & peregrinationis nihil interesse video in proposito nisi quantùm ad exteriorem manifestationem, deuotio enim interior est: peregrinatio verò exteriora solita est habere signa. Et vulgariter vocantur peregrini, qui deuotionis causa pergunt. Verùm inter Romipetas & peregrinos ad vrbem, differentia est, inquantum communius est Romipetæ nomen. nam comprehendit etiam Romanum ciuem ad vrbem causa deuotionis accedentem.

Et nota, quod canon iste respicit non Papam, non curiam, sed vrbem Romam: ita quòd si Papa cum curia alibi esset, nihilominus canon iste ligaret offendētes euntes ad vrbem causa deuotionis. Aduerte quoque, quòd iste canon mutatus est: quia in processu cœnæ Domini tempore Martini comprehendebantur etiam peregrini ad Hierusalem. Et est Papalis.

In eos qui ad sedē Apostolicam venientes, & recedētes ab eadem, temeritate propria capiunt, spoliant & detinent, &c.

L CA-

CAPVT XIIII.

Romanam curiam petentes, aut ab ea recedentes sub pœna excommunicationis impedire, vel qualitercunque molestare prohibentur.

EXcõmunicamus & anathematizamus omnes illos: qui ad sedẽ Apostolicã venientes, & recedentes ab eadem, necnon omnes illos qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes, in eadem curia morantes, temeritate propria capiunt, spoliãt, & detinẽt, aut ex proposito deliberato verberare, mutilare, vel interficere præsumunt: & qui talia fieri faciunt seu mandant. In procel. cœnæ domini.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur sedes Apostolica in iis quæ sub protectione sua sunt. Et quo ad personas, est vniuersalis. Quo ad actiones verò comprehẽdit actiones principales sex, & duas accessorias. Et quoniam in canone isto aliter modificantur primæ tres actiones principales, quando terminantur ad venientes vel recedentes, & aliter quando terminantur ad morantes in curia Romana: ideo aduerte ex litera differentiam. Et multiplicãdo primas tres actiones, dicito quòd capere spoliare vel detinere, tam venientes ad Apostolicam sedem, quàm recedentes ab ea, primò excommunicantur, deinde quod capere, spoliare, vel detinere propria temeritate (hoc est auctoritatiuè) morantes in curia Apostolica excommunicantur. Tertiò, quòd verberare, mutilare, vel interficere ex proposito deliberato tam venientes, quàm recedentes, quàm morantes excommunicantur. Et est Papalis. Sed sunt hic aduertenda multa. Primùm, quòd non est hic sermo de Roma, sed de sede & curia Apostolica, ac per hoc oportet

per;

personas sic offensas ad sedem Apostolicam venire, aut ab illa recedere, aut in illius curia morari: ita quod non sufficit morari Romæ vbi est curia, sed oportet in curia morari. Secundum est, quod si morantem in curia quis spoliat, detinet, aut capit furtiuè, & per modum raptoris, & non auctoritatiuè, non incurrit hunc canonem. factus est enim hic canon contra eos qui in curia auctoritatem sibi de facto vsurpant. Propterea enim dicitur, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam non habentes propria temeritate, &c. Tertium est, quòd si quis exorta tunc ira, rixa, controuersia, & breuiter non animo quieto præmeditatus prorumpit in verberandum aut occidendum curialem in curia, non incurrit hunc canonem: quia non vocatur in proposito ex proposito deliberato facere: qui ex nō præmeditatione quieti animi facit, alioquin superfluè apponeretur ex proposito deliberato, si deliberatio sufficiens ad peccatum mortale sufficeret ad hunc canonem incurrendum: commune siquidē est omni excommunicationi subesse peccatum mortale. Et semper hoc subintelligitur: nisi quis adeò desipiat, vt putet aliquem ex actu non deliberato excommunicatum, aut in hoc solo canone explicatum, quod in cæteris subintelligitur; quod irrationabile est.

Quartum est, quod vltimus casus (scilicet de percutientibus morantes in curia) scriptus quidem est, & iam per centum annos quotānis promulgatur, & tamen à nullo aduerti aut practicari videtur tam in foro iudicandi quam pœnitentiæ. nullus siquidē (ni falsor) ex hoc se aut aliū reputat excōmunicatū. Actiones autem accessoriæ duæ sunt: mādare scilicet & facere fieri aliquid dictorum: ita quòd non solum qui mandato, sed qui alia via quam mandato facit aliquid horum fieri, excōmunicatus est. Et est Papalis.

In sacrilegos litigantes in Rom. curia quomodolibet offendentes. CAP. XV.

Litigantes in curia Romana non sunt spoliandi, nec aliqualiter impediendi: & hoc sub pœna excommunicationis.

EXcommunicamus & anathematizamus omnes illos qui per se, vel alium, seu alios, quascunque personas Ecclesiasticas vel seculares ad Rom. curiam super suis causis & negotiis recurrentes, illaque in eadem curia prosequẽtes, aut procurantes, negotiorumque gestores, aduocatos vel procuratores ipsorũ, vel etiam auditores, seu iudices supradictis causis, seu negotiis deputatos, occasione causarũ vel negotiorum homini verberant, mutilant, vel occidunt, seu bonis spoliant. Vel qui per se, vel alium, seu alios directè vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdẽ consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur: cuiuscunque præeminentiæ, dignitatis, &c. fuerint. In proces. cœnæ Domini.

CAnonis istius materia est sacrilegium quo ex certa speciali causa (scilicet litis vel negotii) offenduntur qui sub protectione Apostolicæ sedis sunt. Et quò ad personas offendentes est vniuersalis. Quò ad personas verò offensas, continet octo genera personarum scilicet ad Rom. cu. super suis causis recurrentes, prosequentes, procurantes, negotiorum gestores, aduocatos, procuratores, auditores, iudices. Quò ad actiones autem principales explicat quatuor: verberare, mutilare, occidere, bonis spoliare. Oportet tamen actiones istas non ex quacunque causa, sed occasione causarum vel negotiorum huiusmodi fieri si incurrenda est canonis huius cẽsura. Quò ad actiones

nes verò accessorias, multiplicatur valde, vt patet intuenti. Et est Papalis.

In eum qui quempiam Christianorum per assassinos interfecerit vel interfici mandauerit, aut eos receptauerit, defenderit, vel occultauerit. CAP. XVI.

Christianum per assassinum interficere, aut interficiendum curare, peccatum est, excommunicationis puniendum sententia.

STatuimus, vt quicunque Princeps, Prælatus, seu quæuis alia Ecclesiastica secularisvé persona quēpiam Christianorum per assassinos interfecerit, vel interfici mandauerit (quamuis mors forsitan ex hoc non sequatur) aut eos receptauerit, defenderit, vel occultauerit, excommunicationis sententiam & depositionis à dignitate ordine, honore, officio & beneficio incurrat ipso facto. Inno. iii. de homicidio. cap. pro humani. lib. vi.

CAnonis istius materia est homicidium, non quælecunque, sed sacrilegum. conditus est enim contra quandam sacrilegā viam occidendi Christianos. Et quò ad personas, est vniuersalis. Quò ad actiones verò comprehendit quinq; actiones. Prima est, Christianum per assassinos interficere: secunda est, mandare, etiam si non sequatur effectus: tertia est eos assassinos receptare: quarta est, eos defendere: quinta est, eos occultare. Vbi primò nota, quod assassini non dicuntur hic qui vulgariter vocantur assassini: sed quædam specialis gens infidelis (vt litera innuit) habens suum dominum, quæ hodie ignota videtur. Deinde aduerte quod in hoc canone mandati

actio non punitur vt accessoria, sed vt principalis: & propterea punitur etiam si effectus non sequatur. & simile est de aliis tribus actionibus sequentibus: ita quod receptatores, defensores, occultores assassinorum etiam si non occiderint aut occisuri sint Christianum, sunt excommunicati: quia sic ius disponit. Et est Episcopalis.

In sacrilegos Ecclesiæ Romanæ terras offendentes. CAP. XVII.

Terras & possessiones Ecclesiæ Romanæ impugnantes excommunicantur.

EXcommunicamus & anathematizamus omnes illos qui per se vel alium seu alios directè vel indirectè sub quocunque titulo vel colore occupant, detinent, vel hostiliter destruunt seu inuadunt, aut occupare, detinere vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumunt in totum vel in partem, almam vrbem, regna Siciliæ seu Trinacriæ, insulas Sardiniæ & Corsicæ, terram citra Pharum, patrimonium Beati Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, comitatū Venaysinū, Sabinensem, Marchiæ, Anchonitanæ, Massę, Trebariæ, Romandiolæ, Cāpaniæ, & maritimæ, prouincias, ac terras specialis commissionis Arnulforum, ciuitatesq; nostras Bononiā, Ferrariam, Beneuētum, Perusium, Auinionem, ciuitatem castelli, Tudertum & alias ciuitates, terras & loca vel iura ad ipsam Ro. Ecclesiam spectantia & adhærentia, ac fautores & defensores eorum: seu in his dantes auxilium, consilium vel fauorem. In processu cœnæ Domini.

CAnonis istius materia est sacrilegium quo offenduntur terræ Ecclesiæ Romanæ. Et quo ad personas, est vniuersalis. Quò ad actiones verò principales, numerat quatuor scilicet occupare, detinere, hostiliter

hostiliter destruere, seu inuadere, tam in præsenti quam in futuro. Et modificãtur dictæ actiones multipliciter scilicet per se vel alium, & directè vel indirectè. & excluduntur colores &c. Accessoriæ autem sunt fauere, defendere, consulere. Quæ autem sint terræ & loca Ecclesiæ Ro. in litera explicantur. Et est papalis. Aduerte hic quod quum in literis Ecclesiæ contingit, quod pars existens extra armata manu volens intrare, inuadit ciuitatem non vt subtrahat eam Ecclesiæ, sed vt ipsa pars ibi regnet eo modo quo partes istæ regnare consueuerunt, canonem istum incurrit: quia terram Ecclesiæ in parte saltem hostiliter inuadit sub colore manendi in domo sua. Imò (vt à comuniter accidentibus patet) homini inuasio tendit ad subtrahendum Ecclesiæ Rom. terram quò ad liberum regimen. Romana siquidem Ecclesia in terris vbi factio regnat, titulare dominium potius habet quàm cum effectu.

In latrones maritimos.

CAP. XVIII.

Piratæ & cursores aut prædones maritimi anathematizantur.

EXcommunicamus & anathematizamus omnes piratas, cursarios, latrunculos maritimos: & alios præcipuè qui mare nostrum à monte Argentario vsque ad Tarracinam discurrere, & nauigantes in illos deprædari, mutilare, interficere, ac rebus & bonis suis spoliare præsumpserunt hactenus & præsumunt, ac omnes receptatores eorundem: & eis auxilium dãtes, consilium vel fauorem. In processu cœnæ Domini.

CAnonis istius materia est latrocinium maritimum. Et quò ad personas, vnum genus personarum nominatur diuersis nominibus. Nã piratæ iidem

sunt, qui vulgariter corsarii appellantur: latrunculi quoq; marini, parui piratæ sunt. Totum ergo genus piratarum excommunicatur, & præcipuè intra mare Ecclesiæ Romanæ discurrentium. Actiones principales sunt quinq;: deprædari, mutilare, interficere, bonis suis spoliare, & receptare eosdem. Accessoriæ autem sunt tres, consulere, auxiliari, fauere. Et est Papalis.

In sacrilegos sedem Apostolicam in suis victualibus offendentes. CAP. XIX.

Victualia vel alia Romanæ curiæ necessaria solicitantes non sunt sub anathematis pœna impediendi.

EXcommunicamus & anathematizamus omnes impedientes seu inuadentes victualia seu alia ad vsum Rom. curiæ necessaria adducentes: vel qui ne ad Ro. curiam ipsa adducantur vel deferantur, impediunt seu perturbant: & qui talia fieri faciunt vel defendunt cuiuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ &c. In processu cœnæ Domini.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur sedes Apostolica in suis victualibus. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones principales sunt quatuor: sed distinctæ in duas combinationes propter diuersitatem terminorum. Nam prima combinatio est impedire vel inuadere homines adducentes victualia vel alia necessaria ad vsum Ro. curiæ. Secunda verò combinatio est impedire vel perturbare ne prędicta adducantur ad curiã: ita quod primò prouidetur hominibus adducentibus: secundò rebus adducendis. Quò ad actiones verò accessorias ponuntur duæ actiones scilicet defendere, vel facere fieri talia: quamuis errore scriptorum ly fieri omissum

omissum sit in textu etiam plumbato. Et est Papalis. Aduerte hic, quòd quum ex voluntate & proposito maleficia distinguantur: si quis non gratia impediendi vel perturbandi ea quæ sunt ad curiam, sed consulendi propriæ patriæ commoditati inhibeat: ne quis extrahat de patria fruges &c. quamuis inde sequatur, quod non possunt deferri ad curiam Rom. non propterea incidit in hunc canonem. Similiter si quis tempore pestis in curia inhibet suis, ne quis vadat Romam reuersurus &c. non incidit in hunc canonem: & sic de similibus: quia non per se agitur contra curiam, sed pro necessitate, pro sanitate patriæ & huiusmodi per se agitur: licet per accidens redundat in damnum curiæ, sed pœnæ ac censuræ intelligendæ sunt penes id quod est per se, & non penes id quod est per accidens.

In sacrilegos Christianum principatum offendentes, opem ferendo inimicis crucis Christi. CAP. XX.

Sarracenis arma vel alia Christianitatis nocitura deferentes excommunicantur.

EXcommunicamus & anathematizamus illos, qui contra Christum & populum Christianum, Sarracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum: eos etiam qui galeas eis vendunt vel naues, quique in piraticis Saracenorum nauibus curam vel gubernationem exercent, aut machinis, aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt consilium vel auxilium in dispendium terræ sanctæ. Ipsosque rerum suarum priuatione multari, & capientiũ seruos fore cẽsemus: præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas in diebus dominicis & festiuis huiusmodi sententia publicè

innouetur. Et talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ, nisi totum quod ex cõmercio tam damnato perceperint, & tantundem de suo, in subsidium terræ sanctæ transmiserint. Et infrà, Quòd si fortè soluendo non fuerint, sic aliàs reatus talium castigetur, quòd in pœnam ipsorum aliis interdicatur audacia similia præsumendi. Inn. in conci. generali. extrà de Iudæis. cap. ad liberandum.

CAnonis istius materia est sacrilegiũ contra Christianum principatum commissum, opem ferendo inimicis crucis Christi. Et multis in locis repetitus diuersimodè inuenitur, & in iure, & in Extrauagantibus, & in processu qui fit in cœna Domini.

Vt autem clarè percipiatur quid, quando, & vbi prohibitũ sit, distingue tẽpora & loca. Et scito, quod secundum omne tempus, & secundũ omnem locum infidelium, excommunicati sunt deferentes equos, arma, ferrum, lignamina. & alia prohibita, quibus Christianos impugnant: vt patet in cœna Domini, vbi sic dicitur, Excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui equos, arma, ferrum, lignamina, & alia prohibita deferunt Sarracenis, Turcis, & aliis Christi nominis inimicis, quibus Christianos impugnant. Tempore verò guerræ excommunicati sunt deferẽtes etiam quocunque mercimoniũ: vt patet in cap. quod olim. de Iudæis & Sarrace. Et omni rursus tempore deferentes etiam victualia, & quæcunque mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Sarracenorum terræ AEgypti excommunicati sunt: vt patet in extrauag. Cle. v. multa mentis, posita inter communes Extrauagantes. in tit. de Iudeis & Sarrac. & tam hęc tertia, quàm prima excõmunicatio reseruatur Papæ. Secunda autem quatenus ab vtraque harum separatur, ab Episcopo absolui potest. Aduerte deinde, quod appellatione armorum, veniunt non solum offensiua, sed defensiua,

defensiua, ex quacunque materia sint. Per ferrum autem & lignamina, præcipuam materiam intellige armorum, & galearum ac nauium. Et per alia prohibita, accipe non solum naues, & galeas ipsas, sed quascunque secundarias proprias materias armorum, galearum, nauium: vt sunt sartiæ, vela galearum & breuiter quæcunque ad hoc sunt, vt ex eis Christiani impugnentur, sic enim processus cœnæ Domini explicat. Victualia autem & communis vsus merces (vt panni linei vel lanei: & alia huiusmodi) non veniunt appellatione prohibitorum: vt latissimè patet ex eo quod in dicta Extrauagante, postquam dictum est, ferrum equos, arma, & alia vetita, subiungitur, necnon victualia & mercimonia. Vnde sequitur, quòd talis excommunicatio in canone Cœnæ Domini, non extenditur ad deferentes victualia communes merces ad infideles. Et hæc bene nota. Vnde has omnes merces deferentes non sunt excommunicati, nisi tempore guerræ, aut nisi in Alexãdriam, vel partes AEgypti deferant: quum excommunicatio contra illos nõ inueniatur, nisi vt dictũ est. Et quilibet Canon est vniuersalis quò ad personas. Sed quò ad actiones distãt: quia in hoc canone explicantur quinque actiones: prima est deferre: secunda vendere: tertia curam exercere: quarta consulere: quinta auxiliari: vt patet in textu. In Canone verò cœnæ Domini sola vna actio ponitur, scilicet deferre. Et est non solum papalis, sed pœnalis absolutio: vt in iure recitato vides.

In effractores locorum sacrorum.

CAPVT XXI.

Loci sacri fractor seu spoliator pœnam excommunicationis incurrit.

MEmoratos sacrilegos (qui scilicet confregerant violenter quasdam Ecclesias, & expoliauerant) excom-

excommunicantes nuncietis: & faciatis sicut excommunicatos arctius euitari, donec passis iniuriam congrue satisfaciant, & damna data resarciant, & cum literis vestris rei veritatem contingentibus Apostolico se conspectui repræsent. extrà de sent. excommunica. conquesti.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo frangitur Ecclesia, & expoliatur. Et quò ad personas vniuersalis est. Quò ad actiones verò comprehēdit duas simul: scilicet frangere, & expoliare. Vbi nota primo, duo requiri simul, vt sit locus Canoni: scilicet effractionem, & spoliationem. Et effractio quidem ad templum (siue fragatur paries, siue ianua, siue sera, siue tectum, &c.) spoliatio autem ad res quæ tolluntur, refertur. Et propterea si quis aperiret Ecclesiam, aut frangeret, sed non spoliaret, non subiiceretur huic canoni. Nota secundo, quòd hic Canon nullam infert excommunicationem, sed latam supponit, & denunciationem mandat ac denunciati absolutionem Apostolicæ sedi reseruat. Sed vbi lata sit ista sententia quæ hic supponitur, non facilè patet: nisi dicendo quòd canon iste per hęc sua verba interpretatur, quò ad hunc casum fuisse anathema latę sententiæ canonem Lucii Papæ in Decretis. xviii. q. iiii. cap. omnes Ecclesiæ. Indubiè siquidem tenetur huiusmodi Ecclesiarum effractores cum spoliatoribus esse ipso iure excommunicatos ex hoc textu: quia mandantur denunciari excommunicati, non potest enim denunciari excommunicatus, nisi qui iam est excommunicatus. Et est papalis post denunciationem.

Incendiarios. CAP. XXII.

Absolutio à peccato incēdiarij Papæ reseruatur.

INcendiarii ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad sedem Aposto-

Apostolicam sunt mittendi, Clemen. iii. extra de senten. excommunic. cap. tua.

CAnonis istius materia est iniuriosum incēdium. Et quò ad personas est vniuersalis. Quo ad actiones vnam solam punit actionē scilicet, iniuriosè incendere, non qualitercunque sed post sententiam.

Vbi nota nullam in hoc Canone excommunicationis sentētiam fieri: sed si per Ecclesiæ (hoc est prælatorum) sententiam sunt non solùm excommunicati, sed publicati: tunc absolutio reseruatur sedi Apostolicæ. Et quia non arctat se Canon ad incendiarios Ecclesiarum, ideo de quibuscunque incendiariis intelligo. Et intelligitur in proposito incendiarius non ab actu incendendi, sed à vitio: qui enim malo studio incendit domum, segetem, oliuetum, &c. incendiarii crimen incurrit.

Et scito excommunicationem contra incendiarios Ecclesiarum latam, nullibi inuentam à me esse, quamuis quæsierim quæ allegantur loca: & propterea non habeo eos pro excommunicatis. Et si qui fortè fundent excommunicationem hanc super canone, qui habetur xi. q. iiii. cap. canonica. aduertant primò canonem illum communē esse omnibus violatoribus Ecclesiarum, inde quòd videtur ligare omnes Christi fideles: quia videtur canon nec concilii vniuersalis, nec Papæ, sed particularis synodi, scilicet Aurisiacensis. Constat autem huiusmodi canones, præsertim pœnales, nec ex se, nec ex Gratiani compilatoris auctoritate vim suam extendere ad vniuersas Christi Ecclesias.

In eos qui Christianos naufragantes rebus suis spoliant. CAP. XXIII.

Christiani naufragantes non debent spoliari, & hoc sub pœna excommunicationis.

ILli qui Christianos naufragium patientes spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere. Ex Concil. Lateranensis de raptoribus. cap. excommunicationi.

CAnonis istius materia est furtum seu rapina bonorum naufragorum. Et quò ad personas vniuersalis est. Quò ad actiones vnam ponit scilicet, spoliare bonis patientes naufragium.

Vbi aduerte Canonem hunc contra iniquam detentionem rerum Christianorũ naufragorum, considerasse duo concurrere in hac iniquitate. Primò acceptionem rerum ex naufragiæ: deinde vsurpationem earundem rerum vt propriarum. Et quia primus actus (hoc est accipere huiusmodi res) potest benè & malè fieri, & habet speciem boni (quoniam est saluatio rerum periclitantium) & potest fieri ex pia charitate, ad opem scilicet ferendam dominis rerum illarũ: & potest fieri ex auara iniquitate ad appropriandum sibi res illas: ideo nõ est punitus actus iste acceptionis ab hoc Canone. Secundus autem actus (qui est detentio rei alienæ inuito domino) quoniã manifestam & inexcusabilem cõtinet iniquitatem, punitus est ab hoc Canone excommunicationis sententia. Et quia actus iste (scilicet detinere res naufragorum ipsis inuitis) consummatur in omissione restitutionis, propterea canon iste nõ percutit huiusmodi quasi raptores seu fures, nisi quum venerint ad omissionem restitutionis debitæ. Et quia tempus restituendi determinatum est ad statim (quia obligat semper & ad semper) ideo statim incurritur hæc excommunicatio quum quis est in mora: hoc est, quum quis potest restituere, & nõ restituit. Nec est opus monitione: tum quia tempus restitutionis determinatum est ipso iure, vt dictum est: tum quia fallum est censuras cõtra omittentes, exigere monitionem: vt patet ex eo quòd in-

quisitores

quisitores odio vel amore, &c. omittentes, absq; alia monitione sunt excommunicati: iuxta cap. multorũ. de hæretic. in Clemen. Et est Episcopalis.

Aduerte confessor leges, aut consuetudines alicubi de confiscatione bonorum naufragorum esse corruptiones legum. & bonorum morum addentes afflictiones afflicto.

Contra offendentes Apostolicam sedem.

In Cardinales sede vacante constitutioni de Roman. Põt. Præter simoniam faciendã electione, quouis modo contrauenientes.

CAPVT XXIIII.

Romani Pontificis electionem præter simoniacam impedientes, ipso facto pœnam excommunicationis incurrunt.

INhibemus omnibus & singulis sanctæ Ro. Ecclesiæ Cardinalibus qui pro tempore erunt & eorum sacro collegio: ne Apostolica sede vacante prædictis (scilicet de Rom. Pont. præter simoniam faciẽda electione) contrauenire, vel contra præmissa vel aliquod præmissorum statuere, disponere, ordinare, vel aliquo modo facere seu attentare præsumant, quocunque exquisito colore vel causa, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna quam ipso facto incurrant. Et à qua non nisi per Rom. Pont. canonicè electum absolui possint, nisi in mortis articulo, Iulius II. in Extrauaganti, quum tam diuino, & fuit per Laterane Concilium approbata.

Canonis

CAnonis istius materia est simonia non quæcunque, sed circa electionem Papæ. Et quò ad personas est particularis: vtpote solos Cardinales comprehendens: Quò ad actiones verò numerat sex actiones: prima est, conuenire: secunda, statuere: tertia, disponere: quarta, ordinare: quinta, aliquo modo facere: sexta, aliquo modo attentare. Et hæc omnia intelliguntur sede vacante: ita quod si Cardinales cõtra ordinata de Papæ præter simoniã electione, contraueniant aut statuant &c. sunt excommunicati. Et est Papalis. Vbi nota, quòd licet secundũ antiqua iura non potuisset excipi cõtra Papam simoniacè electum (quia quantumcunque simoniacus, erat verus Papa) post hanc tamen constitutionem Papa simoniacè electus non est Papa in veritate. Et Cardinales sede vacante iurant se seruaturos hanc constitutionem.

In eos qui ab ordinationibus, sententiis seu mandatis Roman. Pont. ad futurum Concilium appellant, aut fauorẽ, consilium, auxiliúm-ve ad hoc præstant &c.

CAPVT XXV.

Appellantes à sententia, ordinatione vel mandato summi Pontificis excommunicantur.

SAne olim fel. re. Pius Papa II. prædecessor noster de fratrum suorum sanctæ Rom. Eccles. Cardinalium cunctorumque prælatorum, ac diuini & humani iuris interpretũ curiam Rom. sequentium in dieta seu cõgregatione Mãtuana existentiũ approbatione, matura prius & graui præmissa discussione, & de eorundem congregatorum vnanimi cõsilio & assensu,

ac ex certa scientia prouocationes ad futurum consilium efficaciſſimis & papalibus rationibus tanquam erroneas & deteſtabiles damnauit: ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ & interdicti pœnis præcepit, ne qua perſona cuiuſuis dignitatis, ſiue etiam vniuerſitas aut collegium quouis quæſito colore ab ordinationibus, ſententiis, ſeu mandatis quibuſcunque ſuis & ſucceſſorum ſuorum, appellationem huiuſmodi interponere audeat: & contrà facientes vnà cũ fautoribus ſuis, & conſilium, auxiliumvé præſtantibus (ſiue tabelliones ſint, ſiue teſtes, ſiue aduocati, ſiue alii quicunque) non ſolum pœnis & cenſuris prædictis, ſed etiam iis quæ læſæ maieſtatis & hæreticæ prauitatis reis imponuntur, obnoxios eſſe ſtatuit. Et infrà: dictasque pœnas & earum quamlibet omnes illos ipſo facto incurrere volumus (cuiuſcumque conditionis exiſtant, & gradus prærogatiua præfulgeant) qui in ſenatu, conciliis, parlamentis, congregationibus etiã ſynodalibus & prouincialibus vel aliàs quomodolibet tacitè, vel expreſsè, voce, vel ſcripto, per ſe vel alium, cuiuſcumque timoris vel reuerentiæ velamine, vel prætenſa excuſatione & ſuperioris mandato non obſtante decreuerint, conſuluerint ſeu deliberauerint, vel aliorum dictum approbauerint, conſilium aut vocem dederint, vt ad futurum vniuerſale Concilium à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Rom. Pontifi. contra prædictam conſtitutionem appellare liceat, poſſit, vel debeat, dictas pœnas ad ipſos & eorum quemlibet contrauenientem in premiſſis, tenore præſentium dantes & extendentes, & locum habere declarantes omni ambiguitate ceſſante. Iulius ii. in Extrauagan. ſuſcepti. reginiminis.

CAnonis iſtius materia eſt ſacrilegium contra ſedis Apoſtolicæ primatum. Et quò ad perſonas eſt vniuerſalis. Quò ad actiones verò principales,

constitutio Pii ponit vnam tantùm scilicet appellationem ad futurum concilium ab ordinationibus, sententiis seu mandatis Rom. Pon. sed accessoria ponit tres: fauere, consulere, auxiliari. Extensio autem Iulii addit sex actiones principales. s. decernere, consulare, deliberare, approbare aliorum dicta, consilium dare, vocem dare vt ad futurum concilium contra dictam constitutionem Pii appellari liceat, possit, vel debeat. Et quælibet actio multiplicatur per modos, tacitè vel expressè, voce vel scripto per se vel alium. Vbi nota primò, quòd licet omnes istæ actiones tanquàm accessoriæ fuerint excommunicationi subiectæ per constitutionē Pii: non erant tamen per constitutionem illam excommunicationi subiectæ tanquàm principales actiones: & propterea non erant isti dantes consilium aut vocem, verbo vel scripto excommunicati, nisi subsequuto effectu (hoc est nisi subsequuta principali actione, quæ est appellare ad futurum concilium) sed per adiunctam extensionem Iulii, quilibet horū est excommunicatus statim vt dat vocem seu consilium vt possit liceat, seu debeat appellari, etiam si effectus non subsequatur, quia sic disponit Decretalis ista. Alioquin frustra esset extensio ista ad easdem actiones vt accessorias & concomitantes: quoniam iam per Pium comprehensæ sic erant sub nomine dantium consilium, auxilium, vel fauorem. Nota secundò differentiam inter consulentes quod fiat hæc appellatio, & consulentes, quod fieri possit, aut liceat, aut debeat hæc appellatio, nam primi non sunt excommunicati, nisi sequatur appellatio: quia per Pii constitutionem excommunicantur, vt cooperatores. Secundi autem sunt excommunicati ipso facto: vt patet per extensionem Iulii. Nec istius differentiæ quærenda est alia causa, nisi quia Decretalis sic disponit: & pœnæ non sunt

exten

extendendę vltra proprios casus.

In literarum Apostolicarum falsarios, & ipsorum fautores. CAP. XXVI.

Literas Apostolicas falsificantes, vel aliter quàm sint exponentes, vinculo tenentur excommunicationis.

NOs omnes falsarios literarum Apostolicarum, qui per se vel alios vitium falsitatis exercent, cum defensoribus & fautoribus suis anathematis vinculo decernimus innodatos, &c. Innoc. iii. Extrauag. de crim. fal. ad falsariorum.

CAnonis istius materia est sacrilegium quo offenditur Apostolica sedes in falsitate suarum literarum. Et quò ad personas est vniuersalis. Quod actiones principales continet duas. Prima est exercere vitium falsitatis in Apostolicis literis per seipsos. Secunda est, exercere hoc idem per alios, & duas accessorias. s. fauere & defendere. Aduerte primo, quòd Canon excommunicationis non extendit se ad omnes quomodolibet falsarios, hoc est quis quouis modo possunt dici falsarii Apostolicarum literarum. Vnde non comprehendit subreptitias seu obreptitias literas Apostolicas impetrantes, & edentes: quoniam literæ tales, non sunt falsæ, sed veræ literæ Apostolicæ. Nec comprehendit vtentes scienter literis Apostolicis falsis, quia Canon ipse distinguit vtentes contra exercentes per se vitium falsitatis huiusmodi, ac per hoc aperit vtentes non venire appellatione exercentium per se vitium falsitatis huiusmodi. Et quum constet quod non oportet vtentes comprehendi sub appellatione exercentium per alium (quũ per seipsos vtantur literis falsis) consequens est, ꝙ non cõprehendantur vtẽtes sub hac cẽsura. Nota

secundò in eodem capitulo subiungi excommunicationem contra laicos vtentes literis Apostolicis falsis: ita quod prima excommunicatio est communis laicis & clericis: secunda autem est propria laicis: quia textus disponit aliam pœnam clericis. Prima quoque excommunicatio comprehendit Apostolicarum literarum falsarios omnes, qui vitium falsitatis exercent per se vel alios: secunda autem solos vtentes. Aduerte tertio, quòd licet neutra harum excommunicationum sit Papæ reseruata ex hoc textu: ex processu tamen cœnæ Domini reseruatur prima: & extenditur excommunicatio prima absque limitatione aliqua ad omnes falsarios literarum Apostolicarum, & supplicationem, gratiam, vel iustitiam concernentium. Et dicitur sic, Excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios bullarum seu literarum Apostolicarum, & supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium per Rom. Pont. vel vice cancellarium, seu gerentes vices eorum aut officium vicecancellarii sanctæ Rom. Ecclesiæ de mandato eiusdem Rom. Pōtificis signatarum: aut sub nomine eiusdem Rom. Pont. vicecancellarii aut gerentium vicem prædictorum, signantes supplicationes easdem. Vbi videre potes quòd Canonis istius materia est latior quò ad actiones & quò ad actionum materias. Quò ad actiones quidem: quia ibi sola falsatio, hic falsatio & signatio. Quò ad materias verò: quia ibi solùm de literis Apostolicis, hic de literis & supplicationibus agitur. Aduerte quartò, quòd in cap. dura. de crimi. fal. reseruatur Papæ absolutio tenentis literas Apostolicas falsas post viginti dies si Episcopus tulit cōtra tales in communi excommunicationem. Recolito quoque quod tam vtens falsis quàm tenens falsa per se loquendo non est nisi ex intentione vtitur falsis, aut tenet falsa hi enim soli directè crimen hoc

incur-

incurrunt.

Vnde vtentes aut tenentes ignoranter non liganturnisi forte ignorantia tam culpabilis fuerit, vt redeat actus in naturam sui vitii, quod regulariter non est quando si sciuisset, nullo pacto vsus fuisset aut tenuisset: & hoc in foro conscientiæ. Aduerte quintò quòd (vt refert sanctus Antonius archid. Florent. in tertia parte ex hostien.) literas Domini Papæ nec in magno nec in modico quis manum apponere potest, etiam literam vel pnnctũ corrigendo: ita quod ipso facto excõmunicationis sententiam incurrit, reseruatam sedi Apostolicæ, exceptis officialibus quibus hoc competit.

Inoffendentes Apostolica sedis authoritatem tam in suis suorumq; literis, processibus & exequutionibus, quam in iurisdictionum, fructuum, reddituum & prouentuum non vacantium autem vsurpatione: &c.

CAP. XXVII.

Authoritatem, iurisdictionem vel qualitercunque sedis Apostolicæ Dominium offendentes anathematis pœnam incurrunt.

EXcommunicamus & anathematizamus illos qui in literis & mandatis Apostolicæ sedis, & Legatorum ac nuntiorum & iudicum delegatorum eiusdem gratiam vel iustitiam concernentibus, decretisque super illis & cæteris iudicatis, processibus & exequutorialibus non habito primùm eorum beneplacito & assensu pareatur: néve tabelliones & notarii super huiusmodi literarum & processuum exequu-

tione instrumenta vel acta conficere, aut confecta parti cuius interest tradere, sub grauissimis pœnis prohibere, statuere, seu mandare præsumunt, quive iurisdictiones, seu fructus, reditus & prouentus ad Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarū, monasteriorum & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum per eas obtentorum pertinentes vsurpant, vel arripiunt, seu quauis occasione vel causa sine Roman. Pont. expressa licentia sequestrant: vel qui per se vel alium, seu alios directè vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur: cuiuscunque præeminentiæ, dignitatis &c. fuerint, In proces. cœnæ Domini.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur authoritas Apostolicæ sedis tam in suis suorumque literis processibus & exequutionibus, quàm in iurisdictionum, fructuum, redituū, & prouentuum non vacantium vsurpatione. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones verò principales, secundum diuersitatem materiarum diuersificatur, nam respectu primæ materiæ tres actiones principales ponuntur. s. sub grauissimis pœnis prohibere, statuere: mandare, ita quòd primo excommunicantur omnes prohibentes vel statuentes vel mandantes ne obediatur literis & mandatis &c. non habito primo ipsorum mandantium beneplacito & assensu. Et est hæc excommunicatio contra illos qui statuunt aut mandant subditis suis ne obediant curiæ Romanæ mandatis sine consensu ipsorum mandantium. Et in eodem contextu circa eandem primā materiam simul excommunicantur omnes qui prohibent, vel statuunt, aut mandant, ne tabelliones & notarii instrumente, seu acta conficiant, vel confecta tradant parti.

Deinde

Deinde circa ſecundam materiam tres actiones ponuntur. Prima eſt vſurpare: ſecunda, arripere: tertia, ſequeſtrare. Vbi quinque cõditiones apponuntur. Prima ex parte rei acceptæ, ſcilicet quòd ſit Eccleſiæ, puta quòd ſit iuriſdictio fructus, prouentus, reditus Eccleſiæ. Et per hanc conditionem excluduntur prouentus prophani, quos aliundè Eccleſiaſticæ haberẽt perſonæ. Secunda, quòd res Eccleſiæ vſurpentur, arripiantur, aut ſequeſtrentur, non qualitercunque ſed vt prouentus, vt reditus, vt fructus Eccleſiæ: quoniam formaliter verba intelligenda ſunt.

Et per hanc conditionem excluduntur fures ſeu latrones qui res Eccleſiæ furantur aut rapiunt, vt quaſdam res, & non ea ratione, quia ſunt fructus aut reditus Eccleſiæ. Factus eſt enim canon iſte non contra fures & latrones, ſed contra dominos qui beneficiorum eccleſiaſticorum prouentus vſurpant aut ſequeſtrant. Et quia non limitatur ad dominos, ligat omnes qui ea ratione arripiunt: quia ſunt prouentus talis Eccleſiæ.

Tertia, quòd pertineant ad perſonam Eccleſiaſticã obtinentem illud beneficium. Et per hanc conditionem excluduntur res eædem, ſi ſint Eccleſiarum vacantium. Quarta eſt, quòd iſta fiant ſine expreſſa licentia Papæ. Ex qua fortè ſequitur quinta, ſcilicet quòd iſta fiant ſiue authoritatiuè: vt nobiles domini, & miniſtri qui vſurpant, aut arripiunt, aut ſequeſtrant, quaſi poteſtatem habentes, incurrant hunc canonem: qui directè factus eſt ad protegendum beneficiatos ab huiuſmodi vſurpatoribus. Sed parũ prodeſſe videtur: quia domini faciunt quod volunt. Et ſi ſunt magni domini, oportet habere patientiam, & canones ſilere. Quò ad actiones verò acceſſoris, multiplicatio magna eſt propter tot modos: & extenditur ad omnia & ſingula præmiſſa. Et eſt Papalis.

Impugnantes literas electi in Papam ante quàm coronetur. CAP. XXVIII.

Electi in summum Pontificem literas impugnans, excommunicatur.

ADuerte hoc in loco, quòd impugnantes literas electi in Papam ante quàm coronetur, sunt ipso facto excommunicati per quandam Extrauagantem Benedicti xi. vt refert sanctus Antonius Archid. Flo. in tertia parte, titul. xxiiii. cap. lxviii.

In eos qui sub quibusuis pœnis, ne sine ipsorum inhibentium aut principum beneplacito mandentur exequutioni litera Apostolica inhibent. CAP. XXIX.

Literarum Apostolicarum exequutionem impediens excommunicatur.

EXcommuncamus & anathematizamus omnes illos qui sub quibusuis pœnis, quibuscunque personis in genere & in specie, ne aliquas literas Apostolicas etiam in forma breuis tam gratiam, quàm iustitiam concernentes. & citationes, & exequutoriales, quæ à sede prædicta emanarunt, & pro tempore emanabunt, siue eorũ vel Principum beneplacito & examine exequutioni mandent, inhibent, ac notarios, exequutores vel subexequutores literarum, monitoriorum, citationum & inhibitionum huiusmodi capiunt, incarcerant, & detinent, vel capi & incarcerari, & detineri faciunt. Et qui ex eorum officio, vel ad instantiam quorumcunque personas ecclestasticas, & capitula, conuentus & collegia ecclesiarũ quarumcunque, coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium vel parlamentum trahunt,

ac propter iuris communis dispositionem trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè, quouis quæsito ingenio', vel colore. In proces. cœnæ Domini.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur authoritas sedis Apostolicæ: primò in suis literis, citationibus & exequutionibus: secundò, in suis notariis, exequutoribus & subexequutoribus: tertiò in ecclesiasticis personis, capitulis, conuentibus & collegiis. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones diuersificatur secundum materias: nam in prima materia ponit vnam actionem, scilicet sub quibusuis pœnis inhibere, ne sine ipsorum inhibentium aut Principum beneplacito exequutioni mandent literæ Apostolicæ & alia præmissa. In secunda da vero materia ponit tres actiones publicatas, prima est, capere: secunda, incarcerare: tertia, detinere. Et duplicantur per facere capi, incarcerari, vel detineri. In tertia demum materia ponit actiones tres, prima est, trahere ad suum tribunal audientiam, &c. præter iuris communis dispositionem: secunda est, trahi facere: tertia est trahi procurare. Vbi nota in tertia materia quod licet appareat quod iste canon sit editus contra dominos seculares, qui seipsos constituunt iudices Ecclesiasticarum personarum, &c. secundum tamen veritatem ligat etiam Ecclesiasticos, qui præter iuris communis dispositionem hæc eadem præsumunt authoritate alia quàm Ecclesiastica: quia in hoc canone non fit discretio inter laicos & clericos quum excommunicantur, non enim dicitur excommunicamus illos, laicos, sed absolutè illos. Et fortè fuit ratio, quia in multis locis prælati Ecclesiastici instituuntur à principibus ad causas huiusmodi: & propter canones communiter sunt hic excommunicati. Et est Papalis.

In offendentes sedis Apostolicæ authoritatem in cognitione causarũ. CAP. XXX.

Causas ab Apostolica sede cognoscendas in aliam curiam transferens, vel, ne de eis dicta sedes cognoscat, impediens, excommunicationẽ incurrit.

EXcommunicamus & anathematizamus omnes & singulos vicecancellarios & consiliarios, ordinarios & extraordinarios quorumcunque Regum & principum ac cancellariorum, consiliorum & parlamentorum: necnon procuratores generales eorundem vel aliorum principum secularium, etiam si imperiali, regali, ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate: necnon Archiepiscopos & Episcopos, Abbates & commendatarios, eorumque vicarios & officiales, qui per se vel alium, seu alios, quarumcunque exemptionum vel aliarũ gratiarum & literarũ Apostolicarum, necnon decimarum, & beneficiales, ac alias spiritales & spiritalibus annexas causas ab auditoribus & cõmissariis nostris auocant: ac exequutiones monitoriorum, citationum inhibitionum, sequestrorum, exequutoriarum & aliarũ literarum Apostolicarum tam gratiam, quàm iustitiam concernentium, à nobis, necnon camerario & præcedentibus cameræ Apostolicæ, ac auditoribus & commissariis Apostolicis, in eisdem causis pro tempore emanatarum, illarumque cursum & audientiam, ac personas, capitula, conuentus & collegia causas ipsas prosequi volentis authoritate laicali impediunt & se de illarum cognitione tanquam iudices intromittere, ac partes actrices quæ illas commiti fecerunt, & faciunt ad reuocandum seu reuocari faciendum citationes vel inhibitiones

bitiones aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris pœnis in illis contentis absolui ordinant, vel compellunt. In processu cœnæ Domini.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur authoritas sanctæ sedis Apostolicæ in causarum cognitione. Et quò ad personas comprehendit nouem genera personarum. primò, Vicecancellarios: secundò Consiliarios quorumcunque Regum vel principum, cancellariorum, Consiliorum, parlamentorum: tertiò generales procuratores eorūdem, &c. quartò, Archiepiscopos: quintò, Episcopos: sextò, Abbates: septimò, commendatarios: octauò, eorum vicarios: nonò, eorum officiales. Quò ad actiones autem ponit quinque actiones: ita tamen vt quælibet intelligatur tam si per se, quàm si per alium quis illam exerceat. Et referuntur ad diuersa istæ diuersæ actiones: nisi duæ vltimæ quæ referuntur ad idem. Prima actio est, aduocari causas ab auditoribus, vel commissariis Apostolicis: secūda est, authoritate laicali impedire exequutiones aut causarum seu audientiam, aut personas, capitula conuentus seu collegia causas ipsas prosequi volentes: tertia, est se de illarū cognitione tanquā iudices intromittere: quarta simul cum quinta est, ordinare vel compellere partes actrices ad reuocandum, &c. vel ad faciendum absolui à censuris & pœnis eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt: ita quòd quicunq; ex supradictis nouem generibus personarū aliquā harum quinque actionū per se, vel per alium fecerit, excōmunicatus est. Et est Papalis. Et aduerte diligentissimè doctè confessor, quod in processu sæpe dicto cœnę Domini sub Adriano vt excluduntur excusationes principū vel consiliariorum & huiusmodi, excusantium se super tolerantia Ro. Pon. & huiusmodi: nā ibi post omnes censuras

suras habentur hæc verba: Declarantes nihilominus ac protestantes (prout tenore præsentium declaramus, ac expresè protestamur) absolutionem hodie vel aliàs etiam solenniter per nos faciendam, præfatos vicecancellarios, consiliarios & procuratores, ac alios communicatos prædictos, nisi prius, à præmissis cum vero proposito vlterius similia non committendi destiterint, non comprehendere, nec illis aliter suffragaturam esse. Ac insuper in præmissis omnibus & singulis ac aliis quibuscunque iuribus sedi Apostolicæ ac sanctæ Rom. Eccl. vndecunque & quomodolibet quæsitis, seu quærendis, per quoscunque actus contrarios aut quomodolibet præiudicantes: tacitos, vel expressos à nobis, vel sede Apostolica quomodolibet factos, aut faciendos, aut quemcunq; temporis fluxum seu patientiam vel tolerantiam nostram, nullatenus quomodolibet præiudicari debere, aut quomodolibet posse: & sic nostræ incommutabilis intentionis semper fuisse, fore, & esse.

Contra offendentes Ecclesiæ libertatem.

In eos qui Ecclesiasticam libertatem per statuta seu consuetudines offendunt.

CAP. XXXI.

Statuta in consuetudines contra Eccles. libertatem condentes excommunicantur.

EXcommunicamus omnes qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines, vel potius abusiones introductas contra Ecclesiasticam libertatem, nisi ea de capitularibus suis intra duos menses post huiusmodi publicationē sententiæ fecerint

rint amoueri. Excommunicamus quoque ſtatutarios & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, necnon & poteſtates, & conſules, rectores, & conſiliarios locorum, vbi de cætero huiuſmodi ſtatuta & conſuetudines edita fuerint vel obſeruata: necnon & illos qui ſecundum ea præſumpſerint iudicare, vel in publica forma ſcribere iudicata. Hono. iii. de ſentent. ex. com. nouerit.

CAnonum iſtorum materia eſt ſacrilegium, quo Eccleſiaſtica libertas per ſtatuta ſeu conſuetudines offenditur. Et quò ad perſonas primus canon vniuerſalis eſt. Quò ad actiones verò duas ponit actiones. Prima eſt, facere ſeruari ſtatuta & conſuetudines contra Eccleſiaſticam libertatem: ſecunda eſt, non facere amoueri huiuſmodi ſtatuta de capitularibus ſuis.

Secundus autem canon ſpecificat ſex genera perſonarum: ſcilicet, ſtatutarios, ſcriptores ſtatutorum, poteſtates, conſules, rectores, & conſiliarios locorum, Vbi fuerint edita vel ſeruata. Deinde vniuerſaliter extendit ſe ad omnes quantum ad duas actiones, prima eſt, iudicare ſecundum huiuſmodi ſtatuta: ſecunda eſt, ſcribere in publica forma huiuſmodi iudicata.

Vbi ſunt multa notanda. Primò, notanda eſt differentia inter abſolutè violantes Eccleſiæ libertatem, & inter illos violantes reſpectiuè ad ſtatuta vel conſuetudines: quoniam neuter iſtorum canonum excommunicat primos, ſed ſolos ſecundos, qui cum relationibus ſeu dependentiis ad ſtatuta ſeu conſuetudines violatores reputantur: vt patet diſcurrēti per omnes caſus in his canonibus comprehenſos.

Secundò, notanda eſt conſtructio primi canonis: quia aliud ſignificat, & aliud intelligitur. Nam ſignificat requiri ad incurrendum illum canonem duo ſi-

mul

mul. primum est, facere seruari huiusmodi statuta vel consuetudines: secundum est, non facere amoueri illa intra duos menses de capitularibus, quia manifestè excommunicat facientes primum cum coniunctione exceptiua nisi fecerint amoueri, &c. Intelligitur autem diuisum, ita quòd sint duo casus: & tam facientes seruari quàm non facientes amoueri, sunt excommunicati. Mihi videtur non esse recedendum à plano sensu literæ: adiungendo quòd canon iste specialis est, & respicit statuta & consuetudines tunc temporis editas & introductas & propterea desit illis tempus duorum mensium à publicatione istius sententiæ: ita quòd disposuit Honor. iii. quò ad tunc edita statuta quòd vtrunque requireretur ad incurrendum illam sententiam: & quòd si non fecissent illa seruari sufficiebat, nec ligabantur, quia non debebant. Propterea quoque subiunxit alium canonem ad futura statuta & consuetudines. Et si quis affirmandum omnino censet primum canonē respicere statuta cuiusque temporis (quia non dicit hactenus edita) amplectatur quoque literam cum sensu suo: vt scilicet vtrunq; simul, & non sensum appositum: ita quòd non sufficit non facere amouere statuta de capitularibus ad incurrendū hunc canonem: sed simul oportet quòd sit de numero facientium illa seruari: quia sic clarè dicit textus: Faciens ergo seruari, si non facit deleri, est excommunicatus: & si non facit deleri, & tamen non facit seruari, non est excommunicatus ex hoc solo quòd non facit deleri. Tertiò nota in secundo canone, quòd illa sex personarum genera quæ excommunicantur absque actionum propriarum explicatione (quoniam non dicitur: qui consenserint aut fecerint, sed impersonaliter dicitur vbi consuetudines vel statuta fuerint edita vel seruata) non sunt sic durè imponenda: quia excommunicatio est

maxima

maxima pœna Ecclesiæ, quæ non nisi pro mortali peccato infertur. Sed quoniam duæ actiones in textu applicantur (scilicet edi & seruari) hinc intelligendum est quòd sex illa genera personarum pro quanto concurrunt ad alteram harum actionum (hoc est vel ad edendum vel ad secundū) sunt ipso facto excommunicata. At propterea statutarii (qui scilicet faciunt hæc) & similiter scriptores illorum, vt cancellarii, & similes, sunt ipso facto excommunicati vtpote concurrentes ad editionem statutorū. Potestates verò, consules, rectores, & consiliari, si nihil operentur: ad editionem aut obseruationem, non sunt excommunicati. Quartò nota, quòd tam statutarii, quàm alii excusantur ab excommunicationis cēsura, si pura mente & recto animo nolentes aliquid contra Ecclesiæ libertatem statuere aut sustinere, consulunt doctores reputatos, &c. seu committunt examen eorū doctoribus huiusmodi: & certificati ab illis quòd nihil est contra Ecclesiæ libertatem, statuūt, scribunt, &c. aliquid, quod in veritate esset contra libertatem Ecclesiæ: quia agunt ex ignorantia plus quā probabili. Et nec apud Deum nec apud Ecclesiam agunt contra Ecclesiæ libertatem: quia fecerunt, quantum in se est, quod viros probos decet. Et excusantur non solum à tanto, sed à toto. Quintò nota, quid importat libertas Ecclesiastica. Et scito quòd comprehendere videtur omne id in quo ecclesia non subiicitur aut arctatur: siue illud spectet ad esse naturale vel speciale, siue ad operari aut recipere, siue ad quodcunque aliud, & rursus siue aliud conueniat Ecclesiæ ex dono naturali, siue gratuito siue ex iure cōmuni, siue ex priuilegio: ita quòd vnde habeat, nō est curæ. Et hoc ex libertatis nomine haberes, nisi libertas limitaretur per Ecclesiæ nomen formaliter sumptū: hoc est quatenus Ecclesiæ rationē habet. Ex hoc

enim habes, quod propriè loquendo, libertas Ecclesiæ non comprehēdit nisi illa in quibus Ecclesia quatenus Ecclesia est libera, vndecunque illa habeat, siue à Deo, siue à Papa, siue ab Imperatore, &c. Et quod ita canones intelligant Ecclesiæ libertatem, patet ex eo quod in sexto de immu. Eccle. cap. libertatis. dicitur, quòd inhibere, ne clerici molant, coquant, vendant &c. præsumitur contra libertatem Ecclesiæ, præsumi dixit, non esse: quia secundum veritatem sunt hæc contra libertatem politici conuictus, & non contra Ecclesiam, quatenus Ecclesia. Et Ecclesiæ rursus nomine accipe quod est fermo de libertate communi vniuersæ Ecclesiæ, & non de libertate propria tali Ecclesiæ vel tali religioni: ita quod si quis statuit contra priuilegium proprium alicuius collegii (puta protonotariorum) aut alicuius religionis (puta monachorum) aut alicuius Ecclesiæ (puta Mediolanensis) non incurrit hunc Canonem: sed oportet quòd statuat contra illud quod commune est omnibus Ecclesiis. Et bene intellige nouitiæ: quia non dicimus quòd oportet statui contra omnes Ecclesias mundi: sed dicimus quòd oportet statui contra illud quod est libertatis communis omnibus Ecclesiis mundi. vnde si quis statuat, quod non possit quis donare tali Ecclesiæ (puta sancti Donati) quamuis contra vnã tendat Ecclesiam particularem, incurrit tamen excommunicationem hanc quia statuit contra libertatem communem omnibus Ecclesiis. Commune siquidem est omni Ecclesiæ Christi, quod potest cuilibet donari: libertas enim communis offenditur in illa vna, & sic de aliis.

Sextò nota, quòd statuere contra Ecclesiæ libertatem, est per se (hoc est ex intentione) tendere contra Ecclesiasticam libertatem: quoniam quod est per accidens, alienum est ab arte & iure. Et hoc tam secundùm

ſundùm doctrinam demonſtratiuam, quàm ſecundùm iura, quoniam ipſa quoque ſupponunt,& aſſumunt quòd voluntate & propoſito maleficia diſtinguantur. Per ſe autem ſeu ex intentione contra Eccleſiaſticam libertatem intellige penes intentionem operis ſtatuti: ita quod ſi opus,quod ſtatuitur,per ſe (hoc eſt ſuapte natura) tendit contra Eccleſiaſticam libertatem ſtatutum eſt contra illam. Si autē per ſe non tendit contra illā,ſtatutum ex ſe non eſt contra illam: quāuis contingere poſſit quòd ex intentione ſtatuentis fuerit contra illam, ex odio & malignitate in Eccleſię libertatem factum. Diſcernere autem actū ex ſua natura tendentē contra Eccleſiæ libertatē,nō eſt difficile ſciētibus quod idem eſt per ſe, ſeu ex propria natura ex intentione. Et ſicut detractio contra famam,cōtumelia contra honorem, adulteriū contra alienum thorum,homicidium contra humanam vitam:ita ſtatuere quod clericis non dentur decimæ eleemoſynæ, quod non poſſint iudicare in cauſis eccleſiaſticis, quod teneantur ſoluere vectigalia de rebus ſuis non negociandi gratia, & ſimilia,contra eccleſiaſticam tendit per ſe libertatem. Et iuxta hanc rationabilem theoricam dicendum eſt, quod ſtatutū ciuitatis diſponens de honore mortuariorum, modum imponendo,ne exceſſus fiat, & pauperes ambitio in fletibus non grauet, ſi non diſponit niſi de illis quæ per ſe ordinantur ad honorem, licitum & ſanctum eſt etiam ſi inde non per ſe, ſed per accidens proueniat effectus aliquis, qui videtur contra Eccleſiæ libertatem: quoniam ſecundum id quod eſt, per ſe,iudicandum eſt etiam in moralibus, & non ſecundum id quod per accidens. Et propter ea quum conſtet ſumptuoſa ſepulchra, multitudinem luminariū, indumenta equorum ac pediſſequorū, multitudinē cucium, varietatem religionum, & ſimilia, ad tem-

poralem honorē defuncti, aut viuorū per se ordinari, non solū ex intentione facientium hæc, sed ex natura ipsorum operum, consequens est vt moderari hæc ad potestatem politicam spectet, ad quam spectat cura ciuium circa honores temporales.

Nec obstat quòd tanguntur clerici, quia non tanguntur nisi vt materia temporalis honoris non ipsorum clericorum, sed ciuium. Regulare autē est quod cognoscens, iudicans, curamque habens de forma, cognoscit, iudicat ac disponit de materia quatenus respicit illam formam: vt patet in omnibus artibus. Nec rursus obstat quod ista moderatio sit nociua clericis, & subtractiua eleemosynarum, & diminutiua cultus diuini, & adēptiua suffragiorum quæ obuenirent ex reliquis horum remanentium apud ecclesias vel ecclesiasticas personas: quoniam hæc omnia & similia per accidens eueniunt: per se autem de honore temporali agitur.

Nec obstat quod extrà de rebus eccl. non alie. cap. si decernitur esse contra libertatem ecclesiæ statuere de mortuariis, tanquam de annexis Ecclesiasticæ iurisdictioni: quoniam hoc intelligendum est de mortuariis ordinatis per se ad Ecclesiam, ad salutem defuncti, seu cultum diuinum: secus autem de per se ordinatis ad temporalem honorem.

In eos qui repræsalias aduersus personas Ecclesiasticas seu bona ipsarum concedunt vel extendunt. CAP. XXXII.

Repræsalias, concedentes vel extendētes in præiudicium Ecclesiasticum excommunicationis iaculo feriuntur.

ILli qui repręsalias aduersus personas Ecclesiasticas, seu bona ipsarum concedunt, vel extendunt ad

eas,

eas, nisi præsumptionem huiusmodi reuocauerint à confessionis vel extensionis tempore intra mensem, si persona singularis fuerit, sententiam excommunicationis incurrat: si vniuersitas, Ecclesiastico subiaceat interdicto. Greg. 10 de iniuriis. cap. & si piguorationes, lib. vi.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur libertas Ecclesiastica, quantũ ad exemptionem à repræsaliis. Quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones comprehendit duas actiones. Prima est, cõcedere: secunda, est extẽdere. Vbi nota tria. Primò, quòd habent locum siue repræsaliæ sint iniustæ siue aliàs iustæ contra ciues &c. quoniam clerici exempti debent esse ab huiusmodi repræsaliis. Secundò, quod requiritur mensis post confessionẽ vel extensionem: quia lex sic disponit. Et propterea si intra mensem exequutio aliqua contra clericorum bona interueniret, nõ incurreretur hæc excommunicationis sententia: debent tamen reuocando intra mensem, restitui in integrum bona clericorũ. Tertiò quod si repræsaliæ conceduntur solùm contra bona clerici debitoris, præmissis ac seruatis iis quæ de iure præmittenda an seruanda sunt: non est locus huic canoni: quia non propriè sunt repræsaliæ illæ in quibus vnus pro alio grauari nõ potest, vt ex hoc textu habere potes, pœnæ autem non sunt extendendæ, sed restringendæ. Et est Episcopalis.

In offendentes libertatem Ecclesiasticam compulsione ad submittendum bona laicis, &c.

CAP. XXXIII.

Compellens Ecclesiasticum cum suis bonis temporali domino se submittere, excommunicatur.

ILli qui prælatos vel personas Ecclesiasticas ad submittendum Ecclesiæ bona immobilia seu iura ipsarum laicis, non concedendo bona ipsa vel iura in emphyteosim, seu aliàs alienando in forma & casibus à iure permissis, sed constituendo vel regnoscendo seu profitendo à laicis ea tanquam à superioribus se tenere, seu ab ipsis aduocãdo, vel ipsos patronos vel aduocatos Ecclesiarũ seu bonorũ ipsarum perpetuò aut ad tempus non modicum statuendo cõpulerint cuiuscunque sint conditionis aut status, excõmunicationis sententia sint innodati. Et infrà. Laici ex contractibus super præmissis, consensu capituli & licentia Apostolica interuenientibus initis seu occasione illorum, vltra id quod ex natura contractuũ ipsorum vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid vsurpantes, nisi legitimè moniti ab huiusmodi vsurpatione destiterint restituendo etiam quæ taliter vsurparunt, eoipso sententiam excommunicationis incurrant. Greg. x. de reb. Eccles. non ali. cap. hoc consultissimo.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur libertas Ecclesiastica compulsione ad submittendum bona laicis, &c. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones, duas ponit actiones. Prima est, compellere, secunda est, vsurpare. Sed prima actio (scilicet compellere) ad multa extenditur: compellit siquidem vel Prælatos vel personas Ecclesiasticas ad submittendum aliquod trium, vel Ecclesias vel bona immobilia, vel iura laicis in casu nõ permisso à iure. Et ista submissio fit aliquo trium modorum. Primo profitendo se tenere prædicta à laicis tanquam à superioribus. Secundo eadem à laicis aduohando, & est hoc vocabulum Vltramontanum, quo solent vti in istis. Tertio, laicos statuendo patronos vel aduocatos. Compellentes igitur ad aliquid horum,

horum, sunt excõmunicati. Secunda verò actio (quæ est vsurpatio) refertur ad plus quàm illis conueniat ex talibus contractibus licitè factis. Sed ista secunda censura non incurritur ipso facto, sed si post legitimã monitionem recusauerint desistere & restituere. Et vtraque est Episcopalis.

In grauantes quaslibet personas Ecclesiasticas, pro eo quòd rogatæ, eum pro quo rogabantur eligere noluerunt.

CAP. XXXIIII.

Persequẽtes eũ qui rogatus aliquẽ in aliquã dignitatẽ Ecclesiasticã eligere, & nõ elegit, excommunicationem incurrit.

SCiant cuncti qui clericos vel quaslibet personas Ecclesiasticas ad quos in aliquibus monasteriis aut aliis piis locis spectat electio, pro eo quod rogati seu aliàs inducti eum pro quo rogabantur seu inducebantur eligere, noluerunt, vel consanguineos eorum, aut ipsas Ecclesias, monasteria seu loca cætera beneficia seu aliis bonis suis per se vel per alios spoliando, seu aliàs iniuste persequendo grauare præsumpserint: se ipso facto excommunicationis sententia innodatos. Greg. de elect. capit. sciant cuncti. lib. vi.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur libertas Ecclesiastica quantum ad liberum electionis opus, & quò ad personas est vniuersalis. Quo ad actiones, ponit vnam quidem actionẽ communissimam: scilicet grauare, explicando duas vias grauandi: vel spoliando, vel aliàs iniustè persequẽdo. Sed & Actionem ipsam subiicit excõmunicationi nõ vndecunque sed ex certa causa procedẽtem, scilicet, si fiat pro eo, quod electores seu electrices rogati seu

aliàs inducti eligere noluerunt illum vel illam pro quo vel qua rogabantur. Vbi aduerte quòd ad incurrendum hunc canonem requiritur primò quòd fiat actus grauaminis per spolium vel persequutionē iniustam. Secundò, quòd istud grauamen inferatur ex dicta causa, partim affirmatiua (scilicet quòd fuerint rogati seu inpulsi) & partim, negatiua scilicet quòd non elegerunt illū. Tertiò quòd inferatur contra aliquem ex quinque, scilicet vel persona electrices Ecclesiasticas: vel consanguineos eorum, vel ipsas Ecclesias vel monasteria, vel cætera pia loca. Et est semper sermo de electione quæ fit à personis Ecclesiasticis: quoniam ad electionem quæ fit à laicis in suis fraternitatibus, & similiter à mulieribus quæ non sunt Ecclesiasticæ personæ (vt tertianæ, & huiusmodi) non extenditur iste canon: qui ad clericos vel Ecclesiasticas personas dicit spectare electionem. Et est Episcopalis.

In impedientes litigantes in foro Ecclesiastico in causis quæ de iure vel consuetudine ad dictū forū pertinent. CAP. XXXV.

Processus foro Ecclesiastico competens non potest absque excommunicationis censura impediri.

STatuimus ne quis impetratores literarum nostrarum ad nos vel ad forum Ecclesiasticum recurrentes super causis, quæ ad idem forum de iure vel de antiqua consuetudine pertinere noscuntur per se vel per alium ad desistendum, vel in foro seculari de quæstionibus huiusmodi litigandum, per eorundem iudicium Ecclesiasticorū, vel impetrantiū aut litigantium seu volentiū litigare, aut propinquorū ipsorum, seu rerū illorum seu Ecclesiarum suarum etiā captionem

nem modisvé aliis quibuscunq; cõpellat seu cõpelli faciat, vel procuret: nec per se alioisvé impediat quò minus cor iudicibus Ecclesiasticis delegatis seu ordinariis querelas de causis quæ (vt præmissum est) ad cognitionem pertinent eorundẽ, possit liberè iustitiã obtinere: nec ad præmissa facienda dat auxilium, consilium vel fauorem. Si quis verò contra præsumpserit se ipso facto excõmunicationi nouerit subiacere. A qua nisi tam iudici cuius cognitio fuerit impedita vel iurisdictio vsurpata, quàm parti quę in prosequutione sui iuris turbata fuerit de iniuria, dam nis, expensis & interesse, prius per eundem fuerit integrè satisfactum, nullatenus absoluatur. Bonif. extrà de immu. Eccles. quoniam. lib. vi.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offendit, libertas ecclesiastica quò ad opus iudiciale. Et quò ad personas vniuersalis est. Quò ad actiones verò continet actiones principales quatuor. Prima est, compellere: secunda, compelli facere: tertia: compelli procurare: quarta, per se vel alios impedire. Accessorias verò tres scilicet ad prædicta facienda consulere, auxiliari, fauere. Et bene nota, quod canõ iste non arctatur ad curiam Ro. sed fouet libertatem Ecclesiastici fori in quacunq; diœcesi. Et est Episcopalis præmissa satisfactione pro quanto tamen quis Apostolicas literas impediret contra processum cœnæ Domini, esset Papalis: vt patet superius in cẽsuris contra sacrilegia in sedem Apostolicam.

Ingrauantes illos qui in ipsos aut alios sententiam excõmunicationis, suspensionis vel interdicti protulerint, &c. CA. XXXVI.

Censuræ Ecclesiasticæ exequutionem damnificantes excommunicantur.

QVicunque pro eo quòd in Reges, Principes & Barones, nobiles & Balliuos vel quoslibet ministros eorũ aut quoscunque alios ex cõmunicationis, suspensionis siue interdicti sententia fuerit promulgata, licentiã, alicui dederint occidendi, capiẽdi, seu aliàs in personis aut in bonis suis vel suorum grauandi eos qui tales sentẽtias protulerũt, siue quorum sunt occasione prolatæ, vel easdẽ sententias obseruantes, seu taliter excõmunicatis communicare nolentes: nisi licentiam ipsam re integra reuocauerint, vel si ad bonorũ captionem occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa fuerint intra septem dierum spatiũ restituta, aut satisfactio pro ipsis impẽsa: eo ipso sententiã excommunicationis incurrant. Eadem qnoque sint sententia innodati omnes qui ausi fuerint prædicta licentia data vti, vel aliquid præmissorum ad quæ cõmittenda dari licentiam prohibuimus, aliàs committere suo motu. Qui autẽ in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio, ex tunc ab eo non possint, nisi per sedem Apostolicam, absolutionis beneficium obtinere. Greg. x. de senten. excom. quicunque libro vi.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur Ecclesiastica libertas quantũ ad opus promulgandi & exequendi cẽsuras Ecclesiasticas. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones ponit tres actiones generales.

Prima est, dare licentiam trium actionum: scilicet occidendi, capiendi, seu aliàs grauandi, tam in personis quã in bonis suis vel suorum. Secũda est, vti dicta licentia data ad aliquid dictorũ. Tertia est cõmittere aliquid trium dictorũ, scilicet occidere, capere, vel aliàs grauare &c. motu suo, hoc est non propter licentiam datã ab alio. Vni pro clariori perceptione nota primò quòd canon iste primò punit dantes alicui licentiam

centiam occidendi, vel capiendi, vel grauãdi quatuor genera personarum (scilicet vel iudices, vel partẽ, vel obsequentes, vel vitantes) nisi alterum duorũ faciant, hoc est, vel quòd rei integræ licentiã reuocent, vel si res non est integra quò ad captionem bonorũ, quòd restitutio aut satisfactio bonorum intra septem dierum spatiũ subsequatur. Vnde sequitur quod quãdiu res est integra, nunquã qui licentiã hanc dedit, est excommunicatus: quia adhuc pendet tẽpus reuocandi, & potest reuocando re integra, præseruare se ab excommunicatione immune. Oportet ergo licentiã habere effectũ, vt sit locus canoni, & quò ad vnum effectum (scilicet captionem bonorum) benignitas huius canonis prorogat adhuc tempus septẽ dierũ post dictũ effectũ, in quo possit restituendo vel satisfaciẽdo præseruare se ab excõmunicatione. In cæteris verò effectibus ipso facto est excõmunicatus qui dedit licentiam quando effectus est subsequutus: puta quando capta vel occisa est persona propter licentiã datã.

Nota secũdò quòd nullus propriè in persona vel bonis suis vel suorum grauatur qui iustè patitur: ac per hoc grauamẽ iniustum oportet esse si grauamen est. Nota tertio, quod quia canon iste fauorabilis est, ideo appellatione suorum, omnes qui quomodolibet vt sui grauati sunt, veniunt, quacunque relatione remotissima sint sui. Neque enim debet minor esse protectio huius canonis, quàm extendatur impietas offendentium. Et est intra duos menses Episcopalis posteà Papalis: vt in litera dicitur.

In dominos temporales, suis subditis ne personis Ecclesiasticis vendant, emant, coquant, molant, aut alia obsequia exhibeant interdicentes.

CAPVT XXXVII.

Seruitia vel obsequia communia personis Ecclesiasticis exhiberi prohibentes anathemate mulctantur.

EOs qui temporale dominium obtinẽtes suis subditis ne Prælatis aut clericis seu personis Ecclesiasticis, quicquam vendant aut emant aliquid ab eisdẽ, nec ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt cum talia in derogationem Ecclesiasticæ libertatis præsumantur, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Bonifac. viii. de immu. Eccles. cap. libertatis. lib. vi.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo Ecclesiastica libertas offenditur in libera venditione, emptione, obsequiis, &c. Et quò ad personas particularis est: nam ligat solos illos qui temporale dominiũ obtinẽt. Quò ad actiones verò vnã punit, scilicet interdicere subditis suis ne Ecclesiasticis personis vendant, emant, molant, coquant, obsequia exhibeant.

Et nota quòd non requiritur quòd de hoc faciat statutũ aut sub pœnis inhibeant: sed sufficit quòd inhibeant subditis suis. Et nota quòd ista nõ sunt propriè contra libertatem Ecclesiasticam, sed contra humanam societatem: verùm quia in odium Ecclesiæ fiunt, præsumuntur (vt in litera dicitur) fieri contra libertatem Ecclesiasticam.

In offendẽtes libertatẽ Ecclesiasticã in Ecclesiarũ vacantiũ bonis. CA. XXXVIII.

Ecclesiarum vacantium bona vsurpantes excommunicantur.

Vniuer-

VNiuersos & singulos qui regalia, custodiam siue guardiam, aduocationis seu defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, siue quibuslibet aliis piis locis vacantibus, de nouo vsurpare conantes, bona Ecclesiarum monasteriorum aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt : clericosque Ecclesiarum, monachos monasteriorum, & personas cæteras locorum eorundem quæ hoc fieri procurant, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Bonifa. de elec. genera. lib. vi.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur libertas Ecclesiastica in ecclesiarum vacantium bonis. Et quò ad personas est in parte vniuersalis, quia ligat vniuersos & singulos. In secunda autem parte est particularis, quia ligat solas personas illorum locorum vacantiũ. Quò ad actiones verò in prima parte ponit duas actiones simul. Prima est, de nouo conari vsurpare aliquid horum quinque, vel regalia, vel custodiã, vel guardiam, vel titulum aduocationis, vel titulũ defensionis in vacantibus Ecclesiis, monasteriis, aut aliis piis locis. Secunda est: occupare bona dictorũ locorum: ita quòd ad incurrẽdũ huius canonis censuram, nec sufficit vsurpare aliquem dictorũ titulorũ sine occupatione bonorum, nec sufficit occupare bona sine conatu ad vsurpandum aliquem dictorum titulorum: sed oportet vtrunq; concurrere ad hoc vt incurratur huius canonis sentẽtia. In secunda autem parte vna actio punitur : scilicet procurare hoc fieri. Et intellige cũ effectu subsequuto: quoniã vt accessoria actio ad tale fieri ponitur. Et est episcopalis. Et aduerte, quòd gl. exponit de nouo, id est, à quadraginta annis citra: quia in hoc eodem canone quasi distinguendo contra nouos, subditur. Qui autem ex fundatione vel antiqua consuetudine iura sibi huiusmodi vendicant,

In

In offendentes Ecclesiasticã libertatem quantum ad exemptionem à pedagijs & guidagijs. CAP. XXXIX.

Ecclesiastici, an & quando ad pedagia soluenda teneantur, vel non.

CONstitutionem felic. record. Alexandri Papæ iiii. prædecessoris nostri, qui statuit Ecclesias & personas Ecclesiasticas ad pedagia & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum vel soluendum talia pro rebus suis propriis quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt seu transmittunt: volentes propter multorum insolentiam & abusum pœnæ adminiculo adiuuare, edicimus districtius inhibendo (contraria consuetudine, quorumcunque non obstãte) vt nec collegium, nec vniuersitas, nec aliqua etiam singularis persona à præfatis personis seu Ecclesiis pro personis ipsis aut rebus prædictis talia exigat, vel extorqueat per se vel per alium, suo nomine vel etiam alieno, aut eas ad huiusmodi persoluenda compellat. Qui verò contrafecerint, si personæ fuerint singulares, excommunicationis, si autem collegium vel vniuersitas, ciuitatis, castri, seu loci alterius cuiuscunque, ipsa ciuitas, castrum vel locus, interdicti sententiam ipso facto incurrant. Nec ab excommunione huiusmodi absolutionem vel interdicti relaxationẽ obtineant, donec exacta plenariè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter. extra de censib. cap. quanquam. lib. vi.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur Ecclesiastica libertas quantũ ad exemptionem à pedagiis & guidagiis. Et quò ad persona est vniuersalis. Quò ad actiones, vnam videtur comprehendere tripliciter nominatam, scilicet exigere, extorquere,

quere, cõpellere per se vel per aliũ, proprio vel alieno nomine, siue Ecclesias, siue personas Ecclesiasticas ad soluendum vel pro personis suis, aut rebus suis, quas non causa negotiationis deferunt vel deferri faciunt vel transmittunt. Vbi nota quòd pedagia propriè vocantur vectigalia pro transitu seu passu, Guidagia verò pro guida, non quæ à volente conducitur, sed quã velis nolis oportet te soluere, siue velis habere ducentem te, siue non. Et quia exigere importat coactionem: ideo si nullo modo cogit, non incurrit: sed satis cogit, qui clericum requirit non rogando, sed vt à debitore petendo vt soluat, iubendo, vt sistantur res &c. sicut petit à laicis. rarus est enim aut nullus qui sponte soluat. Et est Episcopalis, præmissa restitutione ac satisfactione: vt in litera dicitur.

In offendentes Ecclesiasticam libertatẽ quantum ad immunitatem à collectis exactionibus, & vsurpantes iurisdictionẽ Prælatorum. CAP. XL.

Iurisdictionem Prælatorum Ecclesiasticorum iniustè vsurpantes, vel eos collectis vel tributis onerantes, excommunicationis nexu præmuntur.

IN diuersis mundi partibus consules ciuitatum & rectores, necnon & alii qui potestatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Ecclesiis, vt deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur quàm sub Pharaone fuerit, qui legis diuinæ notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis seruituti subactis, sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & eis alimoniam de

publico

publico administrauit. Isti verò onera sua ferè vniuersa imponũt Ecclesiis: & tot angariis eas affligũt veteris quod Hier. deplorat, competere videat: Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Siue quidem fossaria, siue expeditione seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum & clericorum & pauperum Christi vsibus deputatis, volunt fere cuncta compleri. Iurisdictionem etiam & authoritatem prælatorum ita euacuãt, vt nihil potestatis eis in suis videatur remansisse hominibus.

Si autem consules aut alii de cætero ista commiserint, & commoniti desistere noluerint: tam ipsi quam fautores eorum communicationi se nouerint subiacere: nec ex cõmunioni reddãtur, donec satisfactionẽ fecerint competentẽ extra de immu. Eccl. cap. non minus. Cæterum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore, vt intra tempus regiminis sustineat anathema, quatenus post illud non sit ad satisfactionis debitu compellendus. Nam & ipsum qui satisfacere recusauerit, & successorem ipsius nisi satisfecerit intra mensem, remanere decernimus Ecclesiastica censura conclusum, donec satisfecerit competenter: quum succedat in onere qui de honore substituitur. extrà de immu. Eccles. cap, aduersus.

CAnonum horum materia est sacrilegium, quo offenditur Ecclesiastica libertas quantum ad immunitatem à collectis, exactionibus & vsurpationibus iurisdictionis Prælatorum. Et quò ad personas sunt particulares: arctãtur enim ad consules, rectores & alios qui potestatẽ habere videntur cum fautoribus suis, & eorum successoribus in officiis. Quò ad actiones verò puniuntur in 1. canon. in generali quidẽ tres actiones. Prima est, onera imponere: secunda est angariis affligere: tertia est, euacuare iurisdictionem

&

& authoritatem prælatorum, ita vt nihil potestatis videatur remansisse in suos. In secundo verò canone ponuntur vna actio. s. non satisfacere. Vbi nota primò quod secundus casus nō præsupponit primū, imò recitat ipsum: & præsupponit officialē cui succeditur esse excommunicatum ob primā transgressionem canonis. Ad incurrendum autem primum canonē requiritur monitio: ita quod non ipso facto, sed nisi moniti desistant, incurrunt excōmunicationē, non ab ipso monitore, sed à iure hoc latam. Ad incurrendū autem secundum, requiritur lapsus mensis: ita quod nisi intra mensem à successione computandum satisfecerit, excommunicatus est. Nota secundò canonem primū protegere bona non solū Ecclesiarum & clericorum, sed etiam deputata vsibus pauperum Christi Et aduerte conferendo hunc canonem cum superius immediatè præmisso de pedagiis & guidagiis differentiam in onera sub forma pedagiorum seu gabellarum, & onera quæ sub forma taliarū, taxarū imponuntur seu exiguntur à clericis, quoniā in primo casu est excommunicatio ipso facto: vt habes in præcedēti capitulo. In secundo autem casu non incurritur excommunicatio, nisi præcedat legitima monitio: vt hic habes. Et est Episcopalis præmissa satisfactione: vt hic dicitur.

Aduerte quoque constitutionem Bonifa. in. vi. cap. clericis. de immu. Eccle. cum tot censuris in hac materia esse totaliter reuocata in Clemen. cap. quoniā de imm. Eccle. Et propterea reditur ad ius antiquū, quod nūc tractatū est. Scito demū quod appellatione iurisdictionis quæ euacuari dicitur, venit iurisdictio temporalis prælatorum, quā. s. Ecclesiastici prælati habent in tēporibus quā domini purè temporales frequenter euacuare videntur adeò vt prælati resistent temporales domini ferè solo titulo.

In offendentes Ecclesiasticam libertatē quantum ab opus absoluendi seu reuocandi pœnas excommunicationis, suspensionis, vel interdicti. CAP. XLI.

Libertatem absoluendi vel pœnas excommunicationis vel interdicti reuocandi à Prælatis Ecclesiasticis vi vel metu extorquentes excōmunicationis morbo feriuntur.

ABsolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcunque reuocationem ipsius, aut suspensionis seu etiam interdicti, per vim vel metum extortam, præsentis constitutionis authoritate omnino viribus euacuamus. Ne autem sine vindicta, violentiæ crescat audacia: eos qui reuocationem seu absolutionem huiusmodi vi vel metu extorquent excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Gregor. x. extrà de his quę vi vel met. cap vnico, libro. vi.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur Ecclesiastica libertas quantum ad opus absoluendi seu reuocandi pœnas excommunicationis, suspensionis vel interdicti. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones verò duas ponit. Prima est extorquere vi. Secunda, extorquere metu absolutionē seu reuocatinē excōmunicationis, suspensionis vel interdicti. Vbi nota primò quod vis seu metus illatus nō distinguitur inter magnū & paruū: qualēcūque enim vim aut qualēcunq; metū intulerit, sufficit si inde subsequutus est effectus absolutionis seu reuocationis: quia canon non distinguitur (vt dictum est) inter magnum & paruū. Quòd si ex timore in-

nato

nato & non illato prælatus absoluit aut reuocat, non est locus huic pœnæ: quia in casu tali nullus extorquet vi aut metu: sed ipsemet iudex seu prælatus meticulosus seipsum torquet. Nota secundò quòd non refert ad præsentem canonem, an sententia excommunicationis &c. fuerit iusta vel iniusta: qualiscunque enim fuerit prohibet lex modum talem reuocandi scilicet per vim & metum. Nota tertiò, quòd quia verba cum effectu intelliguntur, ideo licet vis aut metus ingeratur: nisi absolutio aut reuocatio ex vi aut metu extorta sit, nō incurritur excommunicatio ista. Nota quartò, quod quia canon restringit se ad extorquentes absolutionem vel reuocationem censuræ contra seipsos, & similiter non restringit se ad sententiam latam ab homine vel à iure, ideò ligat extorquentes vi vel metu absolutionem vel reuocationem, tam si contra alium, quàm si contra se, & tam si ab homine, quàm quomolibet aliter censuræ sententia lata sit. Et est Episcopalis.

In offendētes Ecclesiasticam libertatem in clauium officio, claudentium diuinū cultum excommunicatis & interdictis.

CAP. XLII.

Clauium beneficium vel officium Ecclesiasticis Pralatis concessum turbantes vel impedientes excommunicantur.

PRæsumptores præfatos qui in locis interdicto suppositis quenquam decætero diuina celebrare officia quomodolibet cogere, aut qui modo prædicto ad officia eadem audienda aliquos excommunicationis præsertim vel interdicti ligatos sententia, reuocare, seu

re, seu qui excommunicati publicè aut interdicti, de ecclesiis, dum in ipsis Missarum aguntur solennia à celebrantibus moniti vt exeant, prohibere, necnon excommunicatos publicè, & interdictos qui in ipsis Ecclesiis nominatim à celebrantibus vt exeant moniti, remanere præsumpserint: excommunicationis sententia (à qua per sedem duntaxat Apostolicam possint absolui) sacro approbante Concilio innodamus. de sentent. excommunicat. graui. in Clem.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo offenditur ecclesiastica libertas in clauiũ officio, claudentium diuinum cultum excommunicatis & interdictis. Et quò ad personas partim est particularis, ligans solos nobiles & dominos tẽporales: & partim est vniuersalis. Quò ad actiones ponit quatuor actiones: cogere, euocare, prohibere & remanere. ita quod excommunicantur primò cogentes celebrare in locis interdictis: secundò euocantes ad eadem officia aliquos præsertim excõmunicatos vel interdictos. tertiò prohibentes ne exeant inde excõmunicati aut interdicti moniti: quartò, remanentes in ipsis Ecclesiis publicè sint excommunicati aut interdicti, & nominatim moniti à celebrantibus vt exeant. Vbi nota primò differentiam inter tres primos casus & quartum, in hoc quod tres primi restringuntur ad nobiles, & dominos temporales: quia pronomẽ relatiuum, qui, refert præsumptores præfatos, quos dixerat esse nobiles & dominos temporales. Quartus autem communis est omnibus vtriusque sexus excommunicatis publicè, &c. quia ad hoc distinguendum continuatur litera, copulandò ad præsumptores præfatos, omnes excommunicatos publicè, &c. dum dicit, necnon excommunicatos publicè, &c.

Not. secundo differentiam inter tertium casum & reliquos, in hoc quod tertius restringitur ad Missarũ solen-

solennia: alii autem communes sunt missæ, & aliis divinis officiis. Not. tertiò quod licet Decretalis narrãdo restringatur se ad terras quæ sunt nobilium seu dominorum, puniendo tamen latius iudicat, & ligat nobiles ac dominos, qui in locis interdictis, siue sint illorum loca, siue non præsumunt, &c. si secundum verba exponenda sit. Secus autem si punitionis sententia iuxta narrata intelligenda sit. Quòd ita verius videtur, vt sic tenendum putem, quia conclusio præmissis consonare debet.

Nota quartò quod quia Decretalis qua duplicem modum euocandi narrauerat, & statuendi dicit prædicto modo, omnem prædictum modum quadruplicem comprehendit, scilicet nunc hos, nunc illos vocando, nunc compellendo, nunc campanis, nunc voce præconia. Et est Papalis.

In impedientes sequestrationem beneficij, vna diffinitiua sententia contra possessorem promulgata per loci ordinarium factam, vel fructus sequestratos quoquomodo occupare præsumentes. CAP. XLIII.

Beneficij sequestrationem post sententiam contra possessorem promulgatam impedientes excommunicationis sententiam incurrunt.

DEfinimus vt vna contra possessorem diffinitiua sententia super beneficio apud sedem Apostolicam duntaxat in petitorio vel possessorio promulgata, beneficium ipsum à possessore huiusmodi (dum tamen triennio pacificè anteà possessum ab eo non fuerit) per loci ordinarium apud aliquam idoneam personam sequestretur, &c. Si quis autem sequestra-

tionem huiusmodi impedire, vel fructus sequestratos quo quomodo præsumpserit occupare: excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. A qua nisi impedimento prius amoto, & occupatis per eum fructibus restitutis, nullatenus absoluatur. extrà de sequest. cap. i. in Clem.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo Ecclesiastica libertas in sedis Apostolicæ auctoritate offenditur in certo casu sequestri. Et quo ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones punit duas actiones. Prima est, impedire huiusmodi sequestrationem: secunda est, occupare sequestratos fructus. Et quia hic casus videtur de raro contingentibus, vide in litera conditiones requisitas ad hoc, quod sit iste casus in quo habet locum ista excommunicatio. Et est Episcopalis amoto impedimento & restitutis occupatis.

In impedientes monialiũ aut mulierum canonicarum secularium visitatores in suo officio. CAP. XLIIII.

Visitatores monialium aut canonicorum non sunt sub excommunicationis pœna impediendi.

SI quis visitatores monialium, aut mulierum quæ vulgò dicuntur canonicæ seculares, in præmissis seu aliquo præmissorum impedire præsumpserit, nisi monitus resipiscat: ipso facto excõmunicationis sententiã se nouerit incursurum: priuilegiis, statutis & consuetudinibus quibuscunque in contrarium non valituris, extrà de stat. mona. attendentes. in Clem.

CAnonis istius materia est sacrilegium quo offenditur libertas Ecclesiastica in officio ecclesiasticæ visitationis. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò

ad

ad actiones punitur vna generalis actio scilicet præsumere impedire visitatores monialium, &c. in aliquo præmissorum quæ videre potes in fronte: quia non incurritur ipso facto, sed nisi monitus resipiscat. Et est Episcopalis.

In sepelientes in loco sacro hæreticos, credentes receptatores, vel fautores eorum.

CAPVT XLV.

Hæreticos in loco sacro sepeliens ipso facto excommunicantur.

QVicunque hæreticos, credentes, receptatores vel fautores eorum scienter præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere. Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus extumulent publicè, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuò careat sepultura. de hoc lib. vi.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo sacris locis iniuria fit sepeliendo ibi hæreticos. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones, punit vnam, scilicet scienter tradere Ecclesiasticæ sepulturæ quatuor hominũ genera, scilicet vel hæreticos, vel eorum credentes, vel receptatores, vel fautores. Circa hũc canonẽ aduerte quod credentes hæreticorũ vocantur qui illis hæreticis ita adhærent, vt quãuis nesciat quid illi hæretici credant, deliberato tamen consensu credunt quod illi hæretici credunt seu docent, quantũcunq; cõtrarium teneat & doceat Ecclesia, ita quòd non inhærent illis, salua Ecclesiæ doctrina: sed plus credunt illis quàm Apostolicæ sedis definitionibus circa ea quæ sunt fidei. Et est Episcopalis, saltis tamen conditionibus in litera expressis.

In eos qui cœmeteriis tempore interdicti, quoscunque in casibus non concessis, aut excommunicatos publicè, vel nominatim interdictos, vel manifestos vsurarios, scienter sepelire præsumunt.

CAPVT XLVI.

Interdicti tempore terrã sanctam indignis aperientes excommunicantur.

EOs qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora non sine contemptu clauium Ecclesiæ in cœmeteriis tempore interdicti in casibus non concessis à iure, vel excommunicatos publicè, vel nominatim interdictos, vel manifestos vsurarios scienter sepelire præsumunt: ipso facto excommunicationis sententię decernimus subiacere. A qua nullatenus absoluantur, nisi prius ad arbitrium diœcesani Episcopi, eis quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exibuerint competẽtem. Extra de sepul, cap. i. in Clemens.

CAnonis istius materia est sacrilegium locale. Et est quò ad personas vniuersalis. Et vnam tãtum punit actionem (scilicet scienter sepelire) ad quatuor tamen terminatam: ita quod punitur hoc canone sacrilegium quadruplex: scilicet sepelientium quoscunque tempore interdicti: nisi quatenus est à iure concessum, sepelientium publicè excommunicatos, sepelientium nominatim interdictos, & sepelientium manifestos vsurarios: si tamen in loco sacro sepeliantur: alioquin sacrilegium non esset. Not. hic primò, quod per publicè excõmunicatos intelligimus eos quos nõ fictione iuris aut iudicis, sed secundum rei manifestationem & notitiam publicam patet esse excõmunica-

tos: siue

tos: siue à iure, siue à iudice. Et non sufficit quod aliqui sciant pro certo illũ excommunicatũ: sed oportet manifestationem illius excõmunicati esse publicam, vt locus sit huic pœnæ. Nota secũdò, manifestos vsurarios eos appellari, qui non occultè vsuras exercent, nec de quibus vertitur in dubium propter palliatos contractus: sed eos qui sic manifestè exercent vsuras, vt sint & habeantur manifestè pro vsurariis. Nota tertiò quòd appellatione præsumentium sepelire, soli sepelientes de quibus verè dicitur, isti sepeliunt, comprehenduntur. Et licet communiter illi qui sepeliunt (hoc est humo vel tumulo immittunt cadauer) sint personæ minores in Ecclesia, non tamen propterea Canon iste ludibrio exponitur quoniam conditor canonis noluit extendere ipsum ad facientes aut mãdantes sepeliri, nec ad dantes ad hoc consilium seu fauorem: sicut in multis canonibus sit. Quia igitur pœnæ non sunt extendendæ, sta insta proprietatem significationis Canonis huius sicut in cæteris: & solos sepelientes ligari dicito. Imò nec sepelientes ligantur, nisi scienter & præsumptuosè sepeliant: quia sic disponit Canon. Vnde si manifestum vsurarium parochianus vt pœnitẽtem ad sepulturam Ecclesiasticam portandum leuari iubet verbo vel facto: & propterea Ecclesiasticæ personæ apud quas sepeliendus est, sepeliunt, putantes ipsum pœnitentem, iuxta caquanquam de vsuris in vi. non incidũt in canonem: quia non præsumunt scienter sepelire. Et est Episcopalis, præmissa satisfactione ad arbitrium diœcesani; vt in litera dicitur.

In eos qui scienter in gradibus prohibitis, aut eum monialibus, vel in religione aut sacris constituti matrimonium contrahunt.

aut inter ipsos scienter huiusmodi matrimonia celebrant. CAP. XLVII.

Religiosi vel religiosæ matrimoniũ contrahentes excommunicationis vinculo innodantur similiter qui in gradibus prohibitis.

EOs qui diuino timore postposito scienter in gradu consanguinitatis vel affinitatis constitutione Canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, necnon religiosos, moniales, ac clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonium contrahentes, & inter eos scienter eadem celebrantes: ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere. Clemens v. de consang. & affin. cap. i. in Clem.

CAnonis istius materia est sacrilegium pro maiori parte, & incestus pro aliqua parte: vtrunque autem in contractu matrimonii. Et quò ad personas pro quanto punit incestuosum contractum, est vniuersalis: quia ad omnes se extendit. Pro quanto verò sacrilegum punit matrimonium, est particularis, quatuor genera personarum comprehendens. Primò viros: secundò, religiosos: tertiò, moniales: quartò, clericos in sacris constitutos ordinibus. Et demum iterum est vniuersalis, quatenus punit sacrilegam celebrationem. Quò ad actiones punit duas principales actiones. Prima est, contrahere matrimonialiter. Sed propter diuersas conditiones appositas & diuersos terminos, multiplicatur hęc actio in sex. Prima est, scienter contrahere in gradu prohibito, id est quarto, & infra consanguinitatis: secunda est, scienter contrahere in simili gradu affinitatis: tertia cõtrahere scienter cum moniali: quarta est, religiosum contrahere:

quinta

quinta est monialem contrahere: sexta est, constitutum in sacris contrahere. Secunda verò, principalis actio est celebrare prohibita hæc matrimonia inter dictos contrahentes. Vbi sex occurrunt declaranda. Primum est, quòd quum dicitur scienter, intelligitur de scientia facti: ita quòd sola ignorantia facti intelligitur excusare, puta quia nesciebat illam esse consanguineam seu monialem. Secundum est quòd punitur contractus matrimonii: ita quòd si sponsalia solùm interuenirent: aut coitus tantùm, non est locus huic pœnæ, sed oportet interuenire contractum per verba de præsenti implicitè vel explicitè. Interuenit autem implicitè duobus modis. Primò, si post sponsalia sequitur coitus affectu coniugali. Secundò si aliqui ignorantes, se esse consanguineos contrahant matrimonium & consument, & postea scientes impedimentum, nihilominus affectu coniugali incumbunt. In vtroque enim casu interuenit matrimonii contractus non solum præsumptus, sed verus, explicatus non per verba de præsenti, sed per corporum commixtionem: commixtio enim corporum affectu coniugali facta post sponsalia seu contractum de facto, explicatiua est sufficienter mutui consensus in coniugium. Vnde non minus sunt excõmunicati qui licet ignoranter contraxerint, scienter perseuerãt, non in solo concubitu, sed in coniugio (hoc est in concubitu affectu coniugali) quàm si à principio contraxissent scienter: concubitus enim affectu coniugali, claudit in contractum matrimonii plus, quàm contractus claudat in se sponsalia. Et ideò quum excommunicãtur contrahentes, multo magis excommunicantur consummantes scienter. Tertium est, quòd dantes auxilium consilium vel fauorem ad huiusmodi sacrilega seu inceftuosa matrimonia, licet peccent mortaliter, non tamen sunt excõmunicati: quia nõ veniunt

appellatione contrahentium: quia non verè enunciatur de aliquo eorum quòd contrahit: soli autem contrahentes sunt excommunicati.

Quartum est, notare differentiam in litera positam, in hoc quod & monialis contrahens est excommunicata, & cum moniali contrahens est excommunicatus. Aliter autem est de religiosis & constitutis in sacris. nam licet isti religiosi & cõstituti in sacris, contrahentes incurrant excommunicationẽ, mulieres tamen cum quibus contrahunt, non incurrunt excommunicationem: vt litera insinuat, ex hoc ipso quòd excommunicat seorsum contrahentes cum monialibus, & seorsum ipsas moniales. Religiosos autẽ & clericos in sacris ordinibus constitutos ita excommunicat, vt non excommunicet mulieres, cõtrahentes cum ipsis. Quintum est, quòd vltra sex casus numeratos in litera, quibus contrahendo coniugium incurritur excommunicatio, apponitur in litera septimus, quo celebrans scienter eadem damnata cõiugia inter eosdem, incurrit excommunicationem. Et intelligo per celebrantem, Ecclesiasticam celebritatem adhibentem huiusmodi damnatis contractibus. Nec huiusmodi celebritas exigit solennitatem aliquam, sed ad eam sufficit sacerdotem celebrare matrimonium dicendo verba solita: puta, Placet tibi iste coniunx? placet tibi ista vxor? Ita quod celebritas ista constat, aut si celebritas Ecclesiastica fiat, aut si sacerdos ex sacerdotali officio celebret contractum dicendo verbo, vel quasi auctorizando interfit: contra cap. fi. de spon. cland. ad quod se refert Canõ iste in calce. Sextum est, quòd multis existentibus impedimentis matrimoniis impedientibus contrahendum, & dirimentibus contractum, solis impedimentis hic enumeratis excommunicatio hæc adhibita est: scilicet carnalis cognationis (hoc est consanguinitatis & affinitatis)

&

& voti solennis, siue per professionem, siue per sacrum ordinem. Reliqua ergo impedimēta ab excommunicatione restant exempti.

In simplices religiosos, qui decimas Ecclesiis debitas vsurpare præsumunt &c. nisi post requisitionem desistant à præmissis intra mensem, & damnificatis Ecclesiis emendam intra duos menses faciant.

CAPVT XLVIII.

Decimas vsurpantes aut detinentes excommunicati censentur.

REligiosi quicunque qui noualium aut aliàs decimas Ecclesiis debitas ad se non spectantes appropriaréve sibi præsumpserint, aut exquisitis fraudibus siue coloribus vsurpare seu qui de animalibus familiarum & pastorum suorum vel aliorum etiam animalia ipsa eorum gregibus immiscentium, seu qui de animalibus quæ in fraudem ecclesiarum in pluribus locis emunt, emptaque tradunt venditoribus, vel ab aliis ab ipsis tenenda, seu qui de terris quas tradunt aliis excolendas, decimas solui ecclesiis non permiserint, aut prohibuerint, nisi post requisitionem eorum per eos quorum intererit super hoc eis factam à præmissis destiterint intra mensem: aut si de iis quæ contra præmissa vsurpare vel retinere præsumpserint, intra duos menses damnificatis ecclesiis emendam non fecerint competentem, sint & tandiu maneant ab officiis, administrationibus & beneficiis suspensi, donec destiterint & satisfecerint: vt superius est expressum. Quòd si religiosi homini administrationes vel beneficia non habeant eo casu quo alii supradicti

dicti suspensionis, ipsi sententiam excommunicationis incurrant, ante satisfactionē condignam nullatenus absoluendi priuilegiis non obstantibus quibuscunque. Cæterum præmissa extendi nolumus ad animalia quæ per religiosorum ipsorum donatos seu oblatos tenentur: dum tamen illi religiosis eisdem cum effectu donauerint, aut obtulerint se & sua. de deci. cap. religiosi. in Clemen.

CAnonis istius materia est sacrilegium circa Ecclesiarum decimas. Et quò ad personas est particularis: quia personæ quæ excommunicationi subiiciuntur, sunt religiosi non habentes administrationes vel beneficia. Quò ad actiones verò aduerte, quod ante monitionem sunt quatuor scilicet appropriare, vsurpare, non permittere, & prohibere. Post requisitionem verò sunt duæ. Prima est, non desistere à præmissis intra mensem. Secunda est non facere emendam dānificatis ecclesiis intra duos mensens: ita quod religiosus carens beneficio &c. si aliquam dictarum actionum circa Ecclesiarū decimas fecerit, & requisitus aliquam duarū incurrerit, excommunicatus est: & non aliter. Et est Episcopalis, satisfactione præmissa.

In religiosos & clericos seculares, alios vt sepulturas apud suas Ecclesias eligant, vel iam electam vlterius non immutent, ad vouendum, iurandum, vel promittendum inducentes. CAP. XLIX.

Inducentes aliquem ad eligendum apud se sepulturam, vel ad hoc vouendum, vel promittendum: sententiam incurrunt excommunicationis.

Sane

SAne temerarios violatores constitutionis illius, quæ religiosis & clericis secularibus prohibet, ne aliquod ad vouendum, iurandum vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, vt sepulturas apud eorum Ecclesias eligant, vel iam electam vlterius non immutent similem sententiam (pœna indicta constitutione contenta in suo perdurante robore) incurrere volumus ipso facto ab alio quàm à sede Apostolica (præterquàm in mortis articulo) nullatenus absoluendos : nullis priuilegiis aut statutis cuiuscunque tenoris existant : in contrarium super his valituris, extra de pœnis, cupientes. in Clemen.

CAnonis istius materia est auaritia tollens libertatem sepulturæ. Et quò ad personas est particularis: vtpote ligans solos religiosos & clericos seculares. Quò ad actiones, punit vnam actionem habentem tres terminos: scilicet inducere ad vouendum, iurandum, vel promittendum.

Vbi colligendo aduerte tres casus, in quibus ligat hic Canon. Primus est, si inducunt ad vouendum: secundus, si ad iurandum : tertius si ad promittendum. Et hoc siue promissio sit nuda, siue fide interposita. Duo autem sunt quę voueri, iurari, vel promitti prohibentur scilicet vel electio sepulturæ, vel electæ non mutatio apud inducentium religiosorum seu clericorum Ecclesias, ita quod in occurrendum hunc canonem requiritur primò quod agatur de sepultura apud inducentis ecclesiam. Secundò requiritur inductio ad bonum alterum promittendum, vouendum vel iurandum. Tertiò requiritur quod ista inductio sit cum opere subsequuto (hoc est quod inductus hoc voueat, iuret, vel promittat) quia huiusmodi pœna stricti iuris est, & effectum requirit. Quartò quod inducens sit religiosus vel clericus. Quintò, quòd interueniat temeritas, propter verbum, sanè temerarios violato-

violatores: propter quod si ex ignorantia putans se bene facere religiosus seu clericus transgrederetur dictam constitutionem, non esset excommunicatus. Et similiter si exhortatur ad eligendam sepulturam in sua ecclesia, non tamen inducit ad vouendum, nec ad iurandum, nec ad promittendum, non est excommunicatus. Et est Papalis.

In religiosos de claustris ad audiendum leges vel physicam exeuntes, & intra duos menses ad claustrum non redeuntes: & in presbyteros ac alios clericos personatus habentes intra productum spatium ab huiusmodi audientia legum vel medicinæ non desistentes. CAP. L.

Religiosi claustrum exeuntes, vt Physicam vel leges addiscant excommunicantur.

CONtra religiosas personas de claustris exeuntes ad audiendum leges vel Physicam Alexander prædecessor noster olim statuit in concilio Turonen. vt nisi intra duorum mensium spatium redierint ad claustrum, sint excommunicati, & ab omnibus euitentur, & in nulla causa (si patrocinium præstare voluerint) audiantur. Reuersi autem, in choro mensa capitulo, & cæteris locis vltimi fratres existant (& nisi fortè ex misericordia sedis Apostolicæ) totius spem promotionis amittant. Verum quia nonnulli ex talibus, propter quorundam opiniones diuersas excusationis aliquid assumebant: nos volentes vt de cætero excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, directè præcipiendo mandamus, quatenus, tam à diœcesanis & capitulis ipsorum, quàm à cæteris Episcopis in quorum diœcesibus huiusmodi studentes, tales

excom-

excommunicati, & prædictis pœnis obnoxii publicè nunciẽtur. Quia verò Theologiæ ſtudium cupimus ampliari &c. ad Archidiaconos, plebanos, decanos, præpoſitos, cantores & alios clericos perſonatus habentes, nec non presbyteros, niſi ab his intra ſpatium præſcriptum deſtiterint, hoc extendi volumus, & appellatione poſtpoſita firmiter obſeruari. Hono. iii. extrà ne cle. vel mona. Super Specula.

CAnonis iſtius materia eſt curioſitas legum ciuilium & medicinæ. Et quò ad perſonas eſt particularis: vtpote ligans ſolos religioſos & quoſdam clericos ſeculares. Quò ad actiones verò reſpectu religioſorum punit duas ſubordinatas: ſcilicet exire clauſtrum, & audire perſeueranter: reſpectu verò clericorum ſecundam tantum. Vbi pro clariori intelligentia aduerte in hoc canone curioſitatẽ Eccleſiaſticorum circa leges ciuiles & medicinam punientes, tria genera perſonarum comprehendi. Primò religioſos. Secundò, clericos perſonatus habentes: quorum quinque ſpecies in litera explicãtur. Tertiò, presbyteros. Actio autem propter quam iſti incurrunt excommunicationem, eſt exire de clauſtro ad audiendum leges vel Phyſicam, id eſt medicinam, & hoc per duos menſes: ita quòd ſi aliquid horum trium in actione defuerit, non ſunt religioſi excommunicati. Oportet ſiquidem exitum ex clauſtro ad hoc ordinari, vel ſaltem durare, hoc eſt habitare extra clauſtrum, & auditionem interuenire, & perſeuerare ſic, vt intra duos menſes non redeatur ad clauſtrum. Ex quibus apertè patet nullam eſſe quæſtionem de religioſis euntibus ad honorandum medicum vel legiſtam principium facientem. Et ſimiliter de audientibus hæc in clauſtro: imò de audientibus hæc extra clauſtrum, ſic quòd lectio quidem auditur extra clauſtrum, ipſe tamen habitãt in ſuo clauſtro: quoniam iſti quotidie redeunt ad

clau-

clauſtrum à lectione,& nunquam exeunt clauſtrum, vt habitent extra clauſtrum: in qua ſignificatione textus accipit exire de clauſtro: vt patet ex hoc quòd duorum menſiũ dat ſpatium redeundi ad clauſtrum. Hæc de religioſis.

Quò ad presbyteros verò & alios clericos perſonatus habentes, omnia ſupradicta locum habent, niſi exitus de clauſtro, loco cuius non ponitur in litera exitus de domo, ſicut loco reditus ad clauſtrum, ponitur deſiſtere ab his, id eſt auditione legum vel phyſicæ intra prædictum ſpatium. Et propterea ad hoc vt clerici huiuſmodi & presbyteri incurrant, non requiritur exitus de domo (vt ſcilicet ex propriis domibus vadant ad habitandum alibi propter hoc ſtudiũ) ſicut in religioſis requirebatur dimiſſio clauſtri: ſed ſufficit quòd audiant leges vel phyſicam ita quod intra duos menſes non deſiſtant ab huiuſmodi audientia. Aduerte quoque appellatione plebanorum non comprehendi hoc in loco curatos qui parochiales obtinent Eccleſias, niſi Eccleſiæ illæ fuerint plebaniæ habentes ſub ſe capellas, in quibus inſtituantur clerici perpetui: vt declarauit Bonifacius VIII. in vi. cap. ſtatutum. ne Cle. vel monachi. Et ſcito quòd per alios clericos perſonatus habentes, intelligimus etiam illos qui ex quadam prærogatiua in Eccleſia honorificum ſtatum habent, etiam ſine iuriſdictione. In cuius ſignum ſpecificati ſunt cantores. Et eſt Epiſcopalis.

In quoſcunque communitatum poteſtates aut officiales, vſuras quibuſdam ſtatutis fauentes. CAP. LI.

Officiales ſtatuta in fomentum vſuræ condentes excõmunicationis nodo vinciuntur.

Quicun-

QVicunq; communicatum poteſtates, capitanei, rectores, conſules, iudices, conſiliarii, aut alii quicunque officiales, ſtatuta huiuſmodi de cætero facere, ſcribere, vel dictare, aut quòd ſoluantur vſuræ, vel quòd quum ſolutæ repetuntur, non reſtituantur plenè ac liberè, ſcienter iudicare præſumpſerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Eandem etiam ſententiam incurri, niſi ſtatuta huiuſmodi hactenus edita de libris communitatum ipſarum (ſi ſuper hoc poteſtatem habuerint) intra tres mẽſes deleuerint: aut ſi ipſa ſtatuta vel conſuetudinis officium eorum habentes quoquomodo præſumpſerint obſeruare. Clemens v. de vſur. in clement. i.

CAnonis iſtius materia eſt vſurarum conſeruatio. Et quò ad perſonas eſt particularis ligans ſolos communitatum officiales, quorum ſex ſpecies exprimit. Quò ad actiones verò punit ſex actiones. Primę tres ſunt facere, ſcribere vel dictare ſtatuta huiuſmodi, hoc eſt quæ vſuras exigi & ſolui non ſolum concedunt, ſed ad ſoluendum eas debitores ſcienter cõpellunt, ac repetitionem vſurarum impediunt vtendo variis coloribus & fraudibus &c. Quarta eſt inducere ſcienter alterum duorum, vel quod ſoluantur vſuræ, aut quod repetitæ non reſtituantur. Quinta eſt, non debere hactenus (hoc eſt tunc temporis) edita ſtatuta ſi poſſunt &c. Sexta eſt obſeruare quoquomodo ſtatuta ipſa vel conſuetudines vim ſtatuti habentes. Et eſt Epiſcopalis.

In clericos minores Epiſcopis vſurariam prauitatem in terris ſuis fouentes.

CAPVT LII.

Clerici Epiſcopu minores vſuras in ſuis locis ſuſtinentes excõmunicati cenſentur.

HAc perpetua constitutione sancimus, vt nec collegium, nec alia vniuersitas vel singularis persona, cuiuscunque sit dignitatis, conditionis aut status, alienigenas & alios non oriundos de terris ipsorum publicè fœnebrem pecuniam exercentes aut exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conducere, vel conductas habere, aut aliàs habitare permittant: sed huiusmodi vsurarios manifestos, omnes intra tres menses de terris suis expellant, nunquam aliquos tales decætero admissuri: nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocunque concedat. Qui verò contrà fecerint, si personæ fuerint Ecclesiasticæ, Patriarchę, Archiepiscopi, Episcopi suspensionis: minores verò personę singulares excommunicationis: si autem collegium seu alia vniuersitas, interdicti sententiam ipso facto se nouerint incursuros. Quam si per mẽsem animo sustinuerint indurato, terræ ipsorum quamdiu in eis iidem vsurarii commorantur, ex tunc Ecclesiastico subiaceãt interdicto. Cæterùm si laici fuerint, per suos ordinarios, omni cessante priuilegio, per censuram Ecclesiasticam compellantur. de vsuris. cap. vsurarum. lib. vi.

CAnonis istius materia est vsurariæ prauitatis fomentum. Et quò ad personas est particularis: ligans solos clericos minores Episcopis. Quò ad actiones verò punit actiones quatuor. Prima est permittere: secunda est, non expellere: tertia est, locare domos: quarta est, quocunque alio titulo concedere domos ad exercendum fœnus. Vbi pro clariori intelligentia nota quatuor casus, quibus incurritur hæc excommunicatio à clericis minoribus (vt dictum est) Episcopis. Primus est, si alienigenas & alios nõ oriundos de terra ipsorum, publice fœnebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes, permittant in terris suis vel domos conducere, vel conductas habere, aut aliàs

aliàs habitare ad hoc, id est ad vsuram exercendum. Secundus est, ſi huiuſmodi vſurarios manifeſtos, intra tres menſes de terris ſuis non expellant, deca tero non admiſſuri. Tertius est, quòd non locent eiſdem ad fœnus exercẽdum domos. Quartus est, quòd non concedant quocunque alio titulo eiſdem domum ad exercendum fœnus.

Vbi nota, quòd ad ſaluandam proprietatem vocabulorum & literæ, per alienigenas intelligimus alibi genitos & per alios non oriundos de terris ipſorum illos qui nec ipſi nec patres eorum orti ſunt ibi. Et ſi hæc clauſula non eſt ſuperflua repetitio, videtur litera corrupta: & vbi dicitur alios, legendum eſt aliàs. Et ſic eſt clauſura reſtrictiua alienigenarum, ita quòd non comprehendũtur omnes alibi geniti. ſed illi tantum alibi geniti qui non ſunt oriundi ex terra illa: ita quòd Ioannes natus Romæ filius Petri Florentini, quia eſt oriundus ex Florentia non comprehenditur inter alienigenas, reſpectu Florentiæ. Et hic ſenſus conſonat menti conſtitutionis, non ligantis indigenas: quoniam iſti oriundi ſunt ſicut indigenæ: & eadem eſt ratio de vtriſque.

Nota tertiò quòd tam primus, quam ſecundus caſus habet locum in clericis duntaxat qui ſunt domini terræ, vnde in vtroque caſu explicatur in litera expreſsè ly. in terris ſuis. In tertio verò & quarto quilibet clericus minor Epiſcopo incurrit excõmunicationem. Et hæc diſtinctio rationabilis mõſtratur ex eo quod tã permittere, quàm expellere, eius eſt qui poteſtatẽ habet, & non ſingularis perſonæ: locare aũt, vel alio titulo concedere, ſingularis poteſt eſſe perſonæ.

Aduerte quartò quod appellatione alterius tituli à titulo locationis, venit manifeſtè pignoratio, commodatio, & depoſitum, & huiuſmodi, in quibus non transfertur dominium. Et rationabiliter etiam ve

donatio seu venditio, si fiat ad hoc, hoc est ad exercendum fœnus. Et est Episcopalis.

In eos qui vrbis Romæ dignitates seu officia vsurpant. CAP. LIII.

Officia seu dignitates vrbis Romæ vsurpantes excommunicatione premuntur.

NVllus imperator seu Rex Romanorum vel alius imperator, Rex, princeps, marchio, dux, comes, aut baro, vel quicunque alterius notabilis potentiæ, præeminentiæ, potestatis & excellentiæ seu dignitatis existat, frater, filius vel nepos eorum, ad tempus, vel in perpetuum seu quiuis alius vltra annale spatium quouis modo, colore vel causa, per se vel aliam personam quomodolibet submittendam, in senatorem, capitaneum, patritium aut rectorem, vel ad vrbis Romæ regimen, seu officium nominetur, eligatur, seu aliàs etiam assumatur absque licentia sedis Apostolicæ speciali, per ipsius sedis literas concessionem licentiæ huiusmodi specialiter exprimentes. Quòd si secus factum fuerit, nominationem, electionem & assumptionem huiusmodi decernimus esse nullas. Et non solùm nominatores, electores & assumptores, verum etiam nominati, electi & assumpti, si homini nominationi, electioni & assumptioni consenserint, aut se de ipsis quomodolibet intromiserint, intendentes & obedientes eisdem, & in hoc dantes ipsis nominatoribus, electoribus & assumptoribus, aut nominatis, electis vel assumptis auxilium, consilium, vel fauorem, publicè vel occultè, cuiuscunque conditionis extiterint: ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Et infrà. Contemptores quoque seu violatores alicuius præmissorum, ab huiusmodi excommunicationis sententia (præterquam in mortis articulo)

tulo) absolui non possint, nisi per Rom. Pontif. vel de ipsius petita licentia & obtenta speciali, non obstantibus priuilegiis &c. De elec. cap. fundamenta. lib. vi.

CAnonis istius materia est vsurpatio dignitatum seu officiorum vrbis Romæ. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones principales, punit sex actiones. Prima est nominare: secunda eligere: tertia, assumere: quarta, consentire nominationi, electioni seu assumptioni de se factæ: quinta: se de ipsis quomodolibet intromittere; sexta est, intendere & obedire eisdē. Quò ad actiones verò accessorias ponit tres: auxiliari, consulere, fauere siue nominatis siue nominatoribus &c. Et omnes istæ actiones intelligūtur sine licentia Papæ in scriptis. Vbi pro clariori notitia aduerte quatuor genera personarum excōmunicari. Primò, nominatores electores seu assumptores. Secundò, nominatos, electos seu assumptos: tertiò, intendentes & obedientes eis: quartò, dantes consiliū, auxilium vel fauorem. Et considera nominatos, electos seu assumptos distingui, diuersimode coërceri: nam Reges principes, barones, comites, eorum fratres & nepotes &c. excluduntur totaliter: quia tam ad tempus quàm in perpetuum nominari non possunt, alii verò quicunque excluduntur ab huiusmodi officiis non totaliter, sed vltra spatiū vnius anni: ita quod illi (hoc est principes, comites, & fratres ac nepotes eorum &c.) sunt excommunicati, si huiusmodi officiis se intromittunt: isti verò, hoc est quicunque alii non sunt excommunicati, nisi vltra annum se intromittant ad huiusmodi officia. Verùm Romani duo priuilegia ex fine eiusdem decretalis habent. Vnum est quòd excipiuntur à numero fratrum nepotumque principium: ita quòd Romani etiam si nepotes, seu fratres vel filii principum fuerint, possunt

huiusmodi officia habere sicut alii quicunque, hoc est, non vltra vnum annum. Secundum est quòd excipiuntur à numero comitum seu baronum, si tamen comitatus, seu baronia non fuerit excellens, vt timeatur libertati: ita quòd Romani etiam si fuerint comites paruo comitatu, possunt huiusmodi officia habere sicut quicunque alii: scilicet non vltra annum. Et est Episcopalis.

In dominum aliosq; rectores & officiales ciuitatis in qua Rom. Pont. electio celebranda est, sibi iniuncta diligēter nō adimplentes, aut fraudem in eis committentes.

CAPVT LIIII.

Mandata Papalia contemnentes, vel in eis fraudem committentes excommunicantur.

SAncimus vt dominus, aliique rectores & officiales ciuitatis illius in qua Rom. Pont. electio fuerit celebranda auctoritate nostra & eiusdē approbatione Concilii (scilicet Lugd.) potestate sibi tradita prædicta omnia & singula plenè ac inuiolabiliter, & sine fraude & dolo aliquo faciant obseruari: nec Cardinales vltrà quàm præmittitur arctare præsumāt. Super his autem taliter obseruandis, statim audito summi Pont. obitu coram clero & populo vniuersæ ciuitatis ipsius ad hoc specialiter conuocandis, præstent corporaliter iuramentum. Quòd si præmissa diligenter non obseruauerint, aut fraudē in eis vel circa ea commiserint, cuiuscunque sint præeminentiæ, conditionis aut status, omni cessante priuilegio, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, & perpetuò sint infames &c. de elect. cap. vbi periculum. lib. vi.

Canonis

CAnonis istius materia est negligentia ac fraus circa seruãda in negotio electionis Papæ. Et quò ad personas est particularis, ligans tria personarum genera: scilicet dominum, rectores, & officiales ciuitatis illius in qua Rom. Pont. electio est celebranda. Quò ad actiones verò punit duas. Prima est nõ seruare præmissa diligenter: secũda est committere fraudem in eis aut circa ea. Aduerte hic quod Clemens sextus modificauit aliter tria præmissorum in constitutione hac scilicet de velis inter mediis inter cubicula cardinalium, de cibo post octo dies, & de numero seruitorum. Concessit siquidem simplex velamen intermedium, & vnum ferculum semper, & duos seruitores: vt in bulla recitata in ceremoniali habetur. Sed cum his omnibus considerandum esse puto, an omnia præmissa in constitutione hac Greg. x. sic moderata, veniant tam arctè seruãda, vt cuiuscunq; omissio excommunicatos reddat dominum seu officiales. Quod ideo dixerim, quia de facto non sic seruatur quandoq; quò ad velaminis vnitatem propter frigus: neque quò ad numerum seruitorum, quia cardinales volunt tres. Et fortè excusantur ex vsu, si coætus est memoriæ hominum, & à pluribus pontificibus sic electis non reprehensus. Et de seruando quidem ea quæ ad clausuram pertinent, & ea quæ post clausuram conclauis seruanda sunt, nescio, nisi ex altero dictorum capitum excusare, si non plenè seruent. De pluralitate autem seruitorum, & de tempore quo post elapsos dies decem conuenire debent, excusandos eos crediderim: quia totum collegium cardinalium decernit ex vsu vel abusu quot conclauistas quilibet habiturus sit. Et similiter tempus quandoque pro crastinat tali modo, vt difficile aut impossibile foret hodierno tempore eos compellere ad statim post dies decem ingrediendum conclaue:

ad quod tamen canon non ligat dominos & officiales, sed ad diligentiã suam adhibendam. Excusari præterea videtur minor cura officialium in terris Ecclesiæ subiectis antequàm præstent iuramentum in manibus cardinalium de seruandis præmissis, si ad hoc præstandum, non, nisi immediatè ante conclaue vocantur. Et est ratio excusationis, quia sunt subditi collegio Cardinalium. Et est Episcopalis.

In mittentes scripturam vel nuncium Cardinalibus in conclaui existentibus, vel alicui ipsorũ secrete loquentes. CAP. LV.

Cardinalibus in conclaui existentibus literas vel nuncium mittentes excommunicantur.

NVlli fas sit ipsis Cardinalibus vel ipsorum alicui (scilicet dum sunt in conclaui) nuncium mittere vel scripturam. Qui verò contrà fecerit scripturam mittendo vel nuncium aut cum aliquo ipsorũ secretè loquendo, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat. extrà de elec. cap. vbi periculum. lib. vi.

CAnonis istius materia est occasio differendi vel turbandi electionem Rom. Pont. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones verò ponit tres actiones. Prima est mittere scripturam: secunda est, mittere nuncium: tertia est, secretè loqui. Vbi duo nota. Primò, quod canõ iste est vniuersalis ad omnes existentes extra conclaue duntaxat: qui enim sunt in conclaui, loquuntur secretè vt volunt. Secundò, quod intelligendo ipsum vt sonat, non requiritur ad missionem scripturæ vel nuncii quod sit secreta, sed ad loquutionem tantùm. Multi tamen doctores intelligũt oportere missionem etiam esse secretam ad hoc vt sit locus huic pœnæ. Et est Episcopalis.

In

In religiosos mendicantes, immoderate habitacula acquirentes vel dimittentes.

CAPVT LVI.

Religiosi sumptuosa loca acquirere vel eis constituta deserere sub anathematis vincula prohibentur.

TRansgressores constitutionis quæ religiosis mendicantibus prohibet ad habitandum domos vel loca quæcunque de nouo recipere, seu hactenus recepta mutare, vel ea transferre in alios vsus, cuiusuis alienationis titulo quocunque, excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Bonifa. de excess. cap. i. lib. vi.

CAnonis istius materia est immoderata habitacu-li acquisitio vel dimissio. Et quò ad personas, ligat solos religiosos mendicantes. Quò ad actiones verò punit tres. Prima est, de nouo recipere: secunda, recepta mutare: tertia illa transferre in alios vsus alienando. Et referuntur omnes hæ actiones ad domos seu loca ad inhabitandum per ipsos religiosos mendicantes. vbi nota excommunicationem hanc in Clem. positam cadere super transgressores constitutionis in sexto positæ. cap. quũ ex eo. de excess. prælat. Vbi tres supradictæ actiones, non nudæ sed affectæ præsumptione inhibentur: ac per hoc transgressor constitutionis non est, nisi præsumat aliquid horum facere, & consequenter non est excommunicatus.

Aduerte quoque excipi in eodem vi. eos qui de licentia superiorum suorum habitacula in eremo acquiruntur, aut mutant.

Notandũ etiã est verbũ ad inhabitandũ: quoniam ponitur ad differentiã domorum quæ acquirũtur ad alios vsus: vt puta locandum, ad hospitandum &c.

Per nouas quoq; domos seu loca intellige domos seu loca in sua integritate. Et hoc ad differentiam domorum quæ acquiruntur de nouo ad augmentanda prohibita loca: hoc enim non prohibetur: ita quod etiam si vnum palatium magnum acquireretur de nouo ad augendum conuentum, non est locus huic pœnæ: quia non dicuntur acquirere ad inhabitãdum noua loca integra seu tota, sed augere antiqua loca. Et quia nihil superfluum lex continet, ideo quò ad mutanda loca comprehenduntur tantum loca olim accepta ante factam cõstitutionem, propter verbum hactenus seu hucusque: ita quòd si mutarentur loca post legem factam accepta, non esset locus pœnæ irrogatæ contra actum mutandi. Et est Episcopalis.

In scienter communicantes in crimine criminoso cum nominatim excommunicato, ei consilium impendendo, auxilium vel fauorem. CAP. LVII.

Communicans scienter cum nominatim excommunicato excommunicationis pondus sibi inducit.

SI quis nominatim excommunicato scienter communicat in crimine criminoso, ei cõsilium impendendo, auxilium, vel fauorem, quum ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnauit, ab eo vel eius superiore meritò delicti erit absolutio requirenda. Et infrà. Verùm si difficile sit ex aliqua iusta causa quod ad ipsum excommunicatorem absoluendus accedat, concedimus indulgẽtiam, vt præstita iuxta formam Ecclesiæ cautione quòd excommunicatoris mandato parebit, à suo absoluatur Episcopo vel proprio sacerdote. Innoc. III. de

sentẽ-

sententia excommunicationis nuper.

CAnonis istius materia est sacrilegium, quo Ecclesiæ claues in excõmunicato offenduntur. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones, punit vnam scilicet scienter comicare in crimine criminoso aliquo trium modorum (scilicet cõsiliando) vel auxiliando, vel fauendo cum excommunicato. Circa materiam huius canonis aduerte dupliciter contingere participare in crimine excommunicationis subiecto. Primò cooperantur ad illum criminis actũ per quem incurrit primò alter excommunicationis sententiam: vt si aliquis cooperetur ad hoc quòd religiosus temere habitum dimittat, aut quòd contrahat matrimonium, aut aliquid aliud propter quòd religiosus ille incurret excommunicationẽ. Et hoc modo non incurritur excommunicatio maior communicando in crimine, regulariter loquendo, ratione participii seu communionis, quia non communicatur excommunicato: quoniam non est adhuc excommunicatus quando interuenit huiusmodi cooperatio. Dixi autem regulariter, propter tres casus exceptos. Primus est, si excommunicatio esset lata in aliquem qui cum participibus suis vinculo excommunicationis subiiceretur, tunc enim participantes, sententiam maioris excommunicationis incurrent: vt patet in cap. quod in dubii. de sent. excom. Secunda est, quando excommunicatio fertur non solum in facientẽ, sed & in eos qui dant auxilium, consilium vel fauorem: vt in multis casibus inuenitur expressum. Tertius est, in casu manus violentæ in clericum: quoniam casus ille extenditur ad omnes cooperantes: vt suprà patet. Alio modo participatur in crimine excõmunicationi subiecto, postquam aliter incurrit iam propter crimen illud excommunicationem impendendo ei ad illud auxiliũ, consiliũ vel fauorem. Et sic communicando

M

in crimine criminoso excommunicato, incurritur excommunicatio maior. Et hoc tam si ille cui sic communicatur, est ab homine nominatim excommunicatus (vt in hoc canone habes) quàm si à iure vel à iudice est generaliter excommunicatus: vt habes cap. si concubinæ. de sentent. excommunic.

Aduerte quoque quod iste canon recitatus supponit participantem excõmunicatum, & circa absolutionem principaliter versatur: volens quòd ad iudicem excommunicatorem recurrat participans quantumcunq; non subditus. Et hoc ratione delicti: vt in litera dicitur. Et dixit hoc: quia regulariter ab excommunicatione iuris (qualis supponitur excommunicatio cõtra participantem) potest Episcopus absoluere, si conditor canonis non reseruauit absolutionem.

In clericos quos scienter & sponte participant tum nominatim excommunicatis à Papa & ipsos in officio recipiunt.

CAPVT LVIII.

Clerici excommunicatum scienter in suis negotiis vel officiis recipientes excommunicantur.

CLericos qui scienter & sponte participauerunt cum excommunicatis à nobis, & ipsos in officio receperunt, eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus inuolui: quos etiam pro absolutionis beneficio habendo ad nos volumus remitti. Clemen. iii. de sentent. excommun. cap. significauit.

CAnonis istius materia est sacrilegiũ, quo excommunicatus à Papa recipitur ad diuina. Et quò ad personas est particularis, quia ligat solos clericos.

Quò

Quò ad actiones verò, punit vnicam actionem: scilicet recipere ad diuina. Vbi aduerte sex conditiones requiri: quarum quinque habentur ex textu: sextam autem vsus apponit. Prima est, quod respicit solos clericos. Secunda, quòd sit participatio in diuinis: quia copulatiuè ponitur in litera participauerunt, & in officio receperunt. Imò si verba propriè interpretanda sunt non sufficit qualiscunque in diuinis participatio, sed requiritur participatio receptatiua: ita quod soli clerici qui recipiuntur ad diuina, nō autem clericus ille qui interesset ibi tanquam vnus de populo, excommunicantur: Tertia aut quarta, quòd scienter & sponte: hoc est quod sciat se participare in diuinis cum excommunicatis à Papa, & nec vi, nec metu hoc faciat, alioquin non sponte fieret. Nec exigitur metus cadens in constantem virum, sed quicunque metus contrariatur ad sponte, sufficit vt verba operentur quod significant. Quinta conditio est quòd sit excommunicatio à Papa. Et hæ omnes patent in litera. Sexta autem ex rationabili vsu accepta, est quòd sit excommunicatus nominatim, vel æquiualenter ad nominatim: alioquin quum omnes excommunicationes in iure positæ sint à Papa: & similiter omnes excommunicationes quæ in cœna Domini generaliter promulgantur, sint à Papa: sequeretur quod clerici recipientes ad diuina scienter & sponte tam à iure communi quàm in cœna domini generaliter excommunicatos incurrerent excommunicationem maiorem Papæ reseruatam: quod à nullo admittitur. Et est Papalis.

In fictionem seu fraudem committens, ad hoc vt iudex personaliter vadat ad mulierem pro testimonio.

CA-

CAPVT LIX.

Fraudem committens quatenus iudex pro testimonio mulierem adeat personaliter excommunicationem meretur.

CAsus huiusmodi (videlicet vt iudex vadat personaliter ad mulierem pro testimonio) non fingatur, nec fraus interueniat in hac parte: alioquin fictor huiusmodi vel fraudator ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. De iudic. cap. mulieres. in vi.

CAnonis istius materia est insidiari pudicitiæ mulierum. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones verò, punit duas actiones. Prima est, fingere casum: secunda est, fraudem committere. Vbi not. quod duo ad hanc censuram incurrendam requiruntur. Primò, quod fictio seu fraus fiat ad hoc vt iudex personaliter vadat ad mulierem pro testimonio. Secundò, quod sequatur effectus: vt talis pœna referatur ad opus sequutum, quod canon vitare intendit. Et quia opus subsequutum ponitur duplex (primum, quod subsequitur, si nullum adsit impedimentum: & hoc est iudicem ire personaliter ad mulierem pro testimonio: alterum, quod interueniente impedimento sequitur, & est mittere ad eas pro testimonio) quantum ex litera apparet, nisi sequatur effectus primus, scilicet quod iudex vadat personaliter, nam videtur habere locum excommunicatio ista: quia mittere ad mulierem pro testimonio, superius in hoc eodem canone concessum est: & ire personaliter, reperietur quum fertur sententia hæc. Et est Episcopalis.

In

In partem procurantem vel quod de aliis quàm de manifestis iniuriis seu violentiis conseruatores se intromittant, vel quod ad ea quæ iudicialem indaginem exigunt, suam extendant potestatem.

CAPVT LX.

Vsurpatio iudicialis vexationis per conseruatores, mulctam meretur excommunicationis.

DEcernimus, vt si conseruatores de aliis quàm de manifestis iniuriis & violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, ecipso per vnum annum ab officio sint suspensi: pars verò quæ hoc fieri procurabit: sententiam excommunicationis incurrat. A qua non possit absolui, nisi ei quem sic fatigauit indebitè, primis satisfaciat integraliter de expensis. extrà de offi. de leg. hac constitutione. lib. vi.

CAnonis istius materia est vsurpata iudicialis vexatio per conseruatores. Et quò ad personas est particularis, nam ligat solùm partem: hoc est illa quæ est pars huiusmodi vexatione. Quò ad actiones, punit vnam actionem, scilicet procurare alterum duorum, vel quòd de aliis quàm de manifestis iniuriis seu violentiis se conseruatores intromittant: vel quòd ad ea quæ iudicialem indaginem exigũt, suam extendant potestatem. Vbi not. quod hæc pœna habet locum duntaxat in purè conseruatoribus, qui à sede Apostolica conceduntur vt à manifestis iniuriis & violentiis tueantur: vt in principio huius canonis textus dicit. Vnde si dentur conseruatores ad tutelam ab omnibus siue manifestis siue immanifestis iniuriis,

iuriis, non habet locum hæc pœna. Et quia sola pars ligatur, si alii qui non sunt partes, hæc procurarent, non inciderent. Et quia procuratio ista debet esse consummata ad effectum subsequutum (vt patet ex eo quod absolui prohibitur, nisi satisfecerit lęsæ parti in expensis) ideo si quis procuraret, & conseruator non excluderet procuratorem vexando alteram partem, non incurretur excommunicatio. Et est Episcopalis satisfactione præmissa.

In religiosis temere habitum suum dimittentes, vel ad quæuis studia sine debita licentia accedentes & in doctores, qui religiosos, habitu suo dimisso leges vel physicam audientes, scienter docere, aut in scholis suis retinere præsumunt. CAP. LX.

Religiosus temerè suæ religionis habitum dimittens, vel mutans, excommunicatus habetur.

VT periculosa religiosis euagandi materia subtrahatur, districtiùs inhibemus, ne decætero aliquis quamcunq; religionem tacitè vel expresè professus, in scholis, vel alibi temerè habitum suæ religionis dimittat: nec accedat ad quæuis studia literarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui conuentus, vel maioris partis eiusdem, sibi eundi ad studium licentia primitus sit cõcessa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis, sententiam incurrat ipso facto. Doctores quoque siue magistri qui religiosos, habitu suo dimisso, leges vel physicã audientes scienter docere, aut in scholis suis præsumpserint retinere, simili eo ipso sint sententia innodati, ne cler. vel monac, vt periculosa. lib. vi.

Canonis

CAnonis istius materia est multiplex. Primò immoderatio habitus: secundò, curiositas gymnasiorum, tertiò, fomentem vtriusque. Et quò ad personas est particularis, ligans solos relioſos & doctores. Quò ad actiones verò punit actiones tres, in prima materia dimissionem habitus in secunda, accedere ad quæstus studia: in tertia, retinere in scholis suis.

Et pro primo quidem casu nota primò quòd dimittere habitum suæ religionis contingit dupliciter. Primò totaliter: & sic nunquam voluntariè dimittitur, nisi vel apostatando. Et sic manifestè incurrit hunc canonem: quia temere dimittit. Vel transeundo ad aliam religionem: & sic etiam si irrationabiliter transeat, non temere tamen dimittit suæ religionis habitum: quia non est amplius habitus suæ religionis Secundò ad tempus. Et sic ad incurrendum hunc canonem duę conditiones requiruntur. Primò, quòd dimittatur habitus religionis suæ: secundò, quòd dimissio fiat temerè. Et videtur posse addi tertium, quòd dimissio sit materia vagandi: quia hoc pro ratione Canonis in textu assignatur. Et dimissio quidem dupliciter inueniri potest vel totaliter non habendo habitum, vel non habendo in superioribus. Et si totaliter non habetur, nulla est ambiguitas. Si verò absconditus portetur habitus, varia est doctorum opinio. Mihi autem videtur considerandа qualitas occultationis, & distinguendum inter habitum sic occultatum, vt reputetur communiter à conseruatiuis tum eo qui eum aliter non nouerunt non religioſus. Et sic incurret hunc canonem: quia licet non dimittat materialiter vestem quæ est habitus: dimittit tamen formaliter habitum suæ religionis: quia dimittit ipsum habitum quo discerni potest & cognosci vt religioſus talis religionis. Et confirmatur hoc ex

textu: tum quia occultatus omnino habitus non subtrahit materiam vagandi, ex quo sic incedit superius vt non religiosus: tum quia nullus doctor videns religiosum sine habitu in superioribus esset certus quod religiosus dimisisset habitum: quoniam relinqueretur ambiguum, an dimisisset subtus: quum tamen textus excommunicet doctorem admittendum religiosum sine habitu, &c. Vel habitum sic occultatum, vt tamen à conuersantibus, quamuis non per omnibus prætereuntibus, videatur quod religiosus est talis religionis. Et sic non incurret hunc canonem: quia nec materialiter nec formaliter suæ religionis habitum dimittit ex toto: quamuis secundum quid aliqualiter dimittere dici possit. Et ex his sequitur primò quòd dimittens temerè suæ religionis habitum ad tempus, excommunicatus est: quia verè ac temerè dimittit. Et hoc significat litera per illud verbum, in scholis vel alibi, ex hoc enim significatur quod non requiritur Apostolica dimissio. nam scholæ non sunt perpetuæ, sed ad tempus. Sequitur secundò quòd si religiosus non transeundo ad aliam religionem habitum alterius religionis assumat, suum temerè dimittendo, excommunicatus est: alioquin frustra poneretur illud pronomen suæ. Sequitur tertiò quòd dimittens habitum ad horam ex leuitate, vel etiam per totum diem domesticè manendo, non est excommunicatus: tum quia propriè loquendo non est temeraria dimissio: tum quia cessat legis ratio expressa de materia euagationis. Pro secundo autem casu not. duo. Primum est, plus exigi ad licentiam eundi ad studiũ quàm eundi ad alia quamuis diuturnior negotia: quoniam sic iure disponẽs non sufficit licentia Prælati, sed requiritur consilium capituli ad licentiam eundi ad studium quodcunque, etiam Theologiæ, ad alia autem Prælati licentia sufficere videtur; & saltem

hoc

hoc est verum, quòd etiam si sine licentia fiant, non habet locum huius canonis sententia. Et mouit fortè conditorem canonis, frequens ac pronus religiosorum animus ex hac honesta occasione exempli ad manendum extra claustrum. Secundum est, quòd canon iste non habet locum in religiosis accedentibus ad alia loca religionis suæ vbi est studium: quia non accedunt propriè ad studia ipsa (hoc est ad manendum in studiis quæ extra claustra esse supponuntur) sed de claustro migrant ad claustrum, vbi commoditem habent studendi. Similiter non habet locum in religiosis, quorum licentia morandi extra claustrum non pendet à Prælato sui conuentus, sed à superiori Prælato: vt in religionibus mendicantium contingere videtur: in quibus si sola licentia supremi Prælati aut prouincialis consueuit sufficere ad manendum extra claustrum tam in studiis, quàm alibi, locum nō habet sententia ista. Et potest hoc accipi ex textu, dum loquitur de religiosis quorum introitus & exitus solitus est pendere à Prælato sui conuentus, per hoc enim discernuntur ab eis religiosis quorum introitus & exitus à superioribus consueuit disponi ita quòd nulla videtur in Prælato sui conuentus & illius capitulo authoritas remansisse circa religiosum illum nisi quum est in conuentu illo. Ac si contendat quis circa rigorem iuris, aduertat saltem ex consuetudine tales excusari: quum simplici corde iuxta morem suæ religionis actus suos disponant.

Quò ad tertiū demū casum, hoc solùm aduertendum censeo, quòd quatuor requiruntur conditiones ad hoc quòd incurratur. Duæ ex parte religiosorum (scilicet quod audiant leges, vel physicā, id est medicinā, & quod dimisso habitu) & duæ ex parte doctoris (scilicet quod sciecter & præsumptuosè doceat seu moneat tales religiosos. Et est Episcopalis.

In simplices monachos & canonicos regulares ad curias principum se conferentes, vt damnum aliquod inferant suis prælatis aut monasterio. CAP. LXII.

Religiosi principum curias ob sui status vel religionis persequutionem insequentes excommunicationis catena tenentur.

HOc dicto perpetuò prohibemus, ne monachi aut regulares canonici administrationem aliquam non habentes curias ad principum absque speciali Prælatorum suorũ licentia se conferant. Quòd si vt damnum aliquod inferant suis prælatis aut monasterio, se conferre præsumpserint, excommunicationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto. Prælatis eorum districtè nihilominus iniungentes, vt ipsos à curiarum prædictarum accessu, & aliis quibuslibet vagationibus & discursu diligenter compescere, aut super hoc non parentes eisdem, seuerè corrigere non omittant. extra. de stat. mon. cap. ne in agro. in Clem.

CAnonis istius materia est sacrilegium, contra monasterium aut Prælatum. Et quò ad personas est particularis, ligans solos monachos & canonicos regulares, non omnes, sed administrationem non habentes. Quò ad actiones verò punit vnum actum exteriorem affectũ vnica intentione interiori. Actus exterior est conferre se ad curias principum: intentio interior est animus damnificandi monasterium vel prælatum. An autem actus ille exterior requirat aliã conditionem, scilicet quod fuerit absque speciali licentia sui Prælati, glossa putat quòd non, quia non

reperitur

reperitur. Et certè si textus bene distinguatur, duæ sunt inhibitiones. Vna, in qua prohibetur ire ad curias principum sine speciali de hoc licentia absque excommunicatione. Secunda verò est ipsa excommunicationis sententia absque repetitione licētiæ habitæ vel non habitæ. Et propterea videtur solum substantiuum qualificatum subintelligi repetitum. s. monachi aut regulares canonici, non habentes administrationem. Et si pro quia hoc ad verum, non requiritur ad incurrēdum hanc excommunicationē, quod sine licentia speciali Prælatorum ad principum curias se conferant. Et est Episcopalis.

In monachos intra septa monasterij sine licentia Abbatum suorum arma tenentes.

CAP. LXIII.

Monachi in suis claustris absque Abbatis licentia arma tenentes excommunicantur.

PRæfatæ quoque sententiæ monachos intra septa monasterii sine licentia Abbatum suorum arma tenentes, decernimus subiacere. extrà de statu mon. cap. ne in agro. in Clem.

CAnonis istius materia est habere instrumenta rixarum. Et quò ad personas est particularis, ligans solos monachos. Quò ad actiones verò vnicam punit. s. tenere arma duabus adiunctis circunstantiis. Altera loci. s. intra septa monasterii. Altera licentiæ. s. sine licentia Abbatis. Et intelligitur tam de armis defensiuis quàm offensiuis. Nec vocatur tenere arma sine licentia Abbatis, qui ex oblitione aut ex ignorantia iuris nullo malo animo arma aliqua etiam in cella haberet: quia formaliter loquendo, talis non tenet sine licentia: quia non inten-

cione tenet sine licentia id ad quod si sciret requiri licentiam, nullo pacto teneret: sed tantum materialiter tenet sine licentia. Pœnę autem huiusmodi non tunc extendendæ, sed restringendæ. Et est Episcopalis.

In religiosos parochiale officium circa extremam vnctionem, Eucharistiam, matrimonium, & absolutionem vsurpantes.

CAPVT LXIIII.

Officij parochialis vsurpatio excõmunicationis pœnam meretur.

REligiosi qui clericis aut laicis sacramentum vnctionis extremæ vel Eucharistiæ ministrare, vel matrimonium solennizare, nõ habita super his parochialis presbyteri licentia aut quenquã excommunicatum à canone (prętercquã in casibus à iure expressis, vel per priuilegia sedis Apostolicæ concessis eisdẽ) vel à sententijs per prouincialia aut synodalia promulgatis, seu si à culpa & pœna absoluere quenquã præsumpserint excommunicationis sententiam incurrãt ipso facto à sede Apostolica duntaxat absoluendi, extra de priuilegijs. cap. religiosi. in Clem.

CAnonis istius materia est vsurpatio parochialis officij. Et quò ad personas est particularis: ligat enim solos religiosos. Quò ad actiones verò punit sex actiones: tres circa sacramenta tria: scilicet extremã vnctionẽ, Eucharistiam, & matrimoniũ. Et tres circa absolutionẽ: scilicet excommunicatorũ à canone, excommunicatorum à statutis prouincialibus vel synodalibus, & absoluere à pœna & culpa. Nota primò, quòd hi actus excommunicationi subiiciuntur quatenus affectu sunt pręsumptione: alioquin frustra appositum esset verbum præsumpserint. Et hinc habes quod si quis religiosus ex ignorantia vel sub rati-

habitus

habitionis ſpe aliquid horum faceret, non incurreret excommunicationem: quia in veritate non præſumeret. Nota ſecundò, quod ſi quis religioſus communicet alium religioſum exemptum, non eſt locus huic pœnæ. Quod ex duobus patet: tum quia hæc conſtitutio directè in fauorem parochialem presbyterorum facta eſt, quibus nihil in hoc caſu derogatur: tũ quia etiã in verbis ſtando, nullus eſt parochialis preſbyter à quo licentia ſit petenda, quoniã religioſi exempti non ſubſunt parochialibus presbyteris, ſed ſuis prioribus, Abbatibus &c. quos conſtat non venire appellatione parochialium presbyterorum. Nota rurſus quòd licet appellatione parochialis presbyteri non veniat cõmuniter Epiſcopus: conſuetudo tamen (quæ eſt optima legum interpres) in hoc caſu admittit tam Epiſcopum quàm etiam Vicariũ eius, & Vicarium parochialis presbyteri poſſe dare licentiam hanc: ſicut etiam admittit parochialem qui non eſſet presbyter, poſſe dare hanc licentiã. Nec eſt opus quòd licentia hæc ita ſit ſpecialis, vt oporteat ſcrupulum habere ex omiſſa aliqua dearticulatione: ſed ſufficit quod ita ſit ſpecialis, quòd æquiualeat ſpeciali. Et hoc ſemper eſt quandocunque ex verbis licentiæ communiter intelligitur concedentẽ dare hanc licentiam, etiã ſi non nominarentur hæc ſacramẽta in ſpecie. Nota demum quod abſoluere à pœna & à culpa hic excõmunicatũ, nihil aliud eſt quã id quod vulgò dicitur. Quòd in veritate importat plus quã indulgẽtiã plenariã. Importat enim quod reddat hominem mundũ ab omni culpa & fine debito alicuius pœnæ: quod eſt lõgè plus quã indulgentia plenaria. Et propterea meritò tales præſumptuoſi excõmunicantur, ſi aliquẽ quẽcunq; ſic abſoluerint. Cũ his tamẽ ſtat, quod ex ſimpliciter abſolutione confeſſoris, excellenter contritus ac confeſſus conſequatur à Deo

absolutionem à pœna & à culpa. Et est Papalis.

In religiosos qui in suis sermonibus vel alibi aliqua proferunt, vt audientes à solutione decimarum Ecclesiis debitarum retrahant. CAP. LXV.

Debitores decimarum ab earum solutione trahentes excommunicantur.

REligiosos, qui aliqua vt audientes à decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, in suis sermonibus vel alibi proferre præsumunt, excommunicationis sententiæ subiacere decernimus ipso facto, extrà de pœnis, cupientes. lib. vi.

CAnonis huius materia est nequitia sacrilega retrahens debitores à solutione decimarum. Et quò ad personas est particularis vtpote ligans solos religiosos. Quò ad actiones punit vnam actionem. s. proferre aliqua vt audientes retrahant à solutione decimarum Ecclesiis debitarum, vbi aduerte tres conditiones oportere concurrere ad hoc, vt quis per sua verba incurrat hanc sentẽtiam. Prima ex parte rei vt. s. agatur de decimis Ecclesiis debetis. Secunda ex parte intentionis: vt. s. intentio dicentis sit ad hoc vt retrahat audientes ab huiusmodi solutione. Tertia, vt sit religiosus. Et est episcopalis.

In religiosos qui ab officio prædicationis, quia confitentibus de soluendis decimis scienter conscientiam facere neglexerunt suspensi, dicta negligẽtia nõ purgata prædicare præsumũt. CAP. LXVI.

Prædicatores ob officio prædicationis ob negligen-

gligentiam, in confessionibus respectu decimarum solutionum commissam suspensi excommunicantur, si negligentia non purgata prædictis officium reassumpserint.

REligiosi, qui scienter postposuerint confitentibus conscientiam facere de soluendis decimis Ecclesiis debitis, ab officio prædicationis tandiu maneant ipso facto suspensi donec confitentibus ipsis (si hoc ipsum eis dicendi commodè facultatem habuerunt) conscientiam fecerint: excommunicationis incursuri sententiã ipso facto, si prædicare præsumpserint prædicta negligentia, vt præmittitur, non purgata. Ad religiosos tàmen monasteriorum, vel Ecclesiarum decimas percipientes nolumus hoc extendi, extrà de pœnit. cupientes. in Clemen.

CAnonis istius materia est sacrilegium negligentiæ primæ, primò circa debitas Eccle. decimas, & præsumptę postea prædicationis. Et quò ad personas est particularis, ligans solos religiosos. Quò ad actiones punit simul tres succedentes actiones. Vbi pro clariori intelligentia nota diligenter verba totius Decretalis, cuius hæc excommunicatio pars est & perspicere oportere ad hoc quod excommunicatio hæc incurratur, vltra hoc quod persona sit religiosa, concurrere res actus. Primus est negligere, facere, conscientiam confitentibus sibi de soluendis Ecclesiis decimis. Et hæc in curia modificatur in litera quod oportet quod interueniat scienter. Secundus est negligere post prædictam negligentiam eisdem facere conscientiã de dicto debito. & iste modificatur in litera, si hoc ipsum. s. eis dicẽdi cõmodè, facultatẽ habuerint.

Tertius est, si durante hac secunda negligentia

(quam comitatur ex litera suspensio ab officio prædicationis) præsumeret prædicare. Et hæc manifesta ex plano sensu literæ habētur. De quarto autē actu, quod.s. oportet huiusmodi religiosos esse præ re quisitos, fateor me non videre quò ad hanc negligentiā de qua loquitur circa audientiam cōfessionum: quoniam actus requisitionis in litera circa actum prædicationis in certis festiuitatibus apponitur, secundū planum literæ contextum. Et propterea si religiosus confessor non prædicet, nunquam incurret istam sententiam: quia pœnæ non sunt extendendæ vltra casus suos. Memento demum exceptionis in calce Decre. positæ: scilicet quòd excipiuntur religiosi monasteriorū & rectores Ecclesiarum quibus debentur decimæ. Et est Episcopalis.

In religiosos interdictum quod seruat matrix Ecclesia non seruantes.

CAPVT LXVII.

Interdictum matricis Ecclesiæ non seruantes excommunicationis vinculo obligantur.

CIrca interdictorum obseruantiam generalium authoritate sedis Apostolicæ vel à locorum ordinariis positorum, de fratrum nostrorum consilio districtè præcipiendo mandamus, quatenus religiosi quicunque tam exempti, quàm non exempti, cuiuscunque ordinis & conditionis existant, quam cathedralem vel matricem seu parochialem loci Ecclesiam illa viderint aut sciuerint obseruare (non obstantibus quibuscunque appellationibus anteà etiam ad eandem sedem vel aliud seu alios interiectis, & aliis obiectionibus quibuscunque) absque dolo & fraude, cum moderatione tamen Decretalis, alma, inuio-

inuiolabiliter ea obseruent. Alioquin non seruantes, excommunicationis sententiæ hoc ipso volumus subiacere. Quod etiam in interdictis & in cessationibus à diuinis interdictis per prouincialium conciliorum statuta, vel ipsorum authoritate volumus obseruari. In cessationibus verò generalibus à diuinis ciuitatum, terrarum, & aliorum locorum quas aliquando ex consuetudine vel aliàs capitula, collegia vel conuentus secularium aut regularium Ecclesiarum sibi vendicant, idem intelligimus obseruandum. Ipsi verò sint attenti, vt statuta Romanorum Pontific. prædecessorum nostrorum super his edita diligenter obseruent. Porrò sanctionem hanc ad pendentia trahimus non obstantibus priuilegiis, &c. de sentent. excommunic. cap. Ex frequentibus. in Clement.

CAnonis istius materia est sacrilegium in non seruando interdictum. Et quò ad personas est particularis, ligans solos religiosos. Quò ad actiones verò punit vnam: scilicet non seruare interdictum seu cessationem à diuinis quod seruat matrix Ecclesia, &c. Vbi nota conditiones in litera positas. Et primò ex parte interdicti seu cessationis à diuinis, quòd sit localis ac generalis: hoc est quòd tota illa ciuitas seu terra, aut villa sit interdicta, seu cessare debeat à diuiuis. Secundò, ex parte authoritatis: & ponitur quadruplex. Primò, si authoritate sedis Apostolicæ. Vbi nota quòd non dicit, si à Papa, sed si authoritate sedis Apostolicæ, comprehendit enim interdictum impositum à iudicibus delegatis Apostolicis: quia authoritate Apostolica imponunt interdicta tales iudices. Secundò, si ab ordinatiis locorum. Tertiò, si per prouincialium conciliorum statuta, vel ipsorum authoritate. Quartò, si per conuentus, capitula, vel collegia regularitee

vel

vel secularia ex consuetudine vel aliàs habentia hanc potestatem.

Tertiò ex parte effectus, quod huiusmodi interdictum seu cessatio à diuinis, seruetur à cathedrali seu matrice parochiali Ecclesia. Quàm disiunctiuam intellige respectiuè: hoc est à cathedrali, vbi est cathedralis vt in ciuitatibus, à matrice, vbi est cathedralis: sed est matrix Ecclesia vt in castellis, à parochiali, vbi nec cathedralis, nec matrix Ecclesia est, sed parochialis, vt in vilis. Quartò, ex parte modi seruandi, scilicet sine dolo & fraude: hoc est quod religiosi non latenter perforent ianuas vel fenestras vnde laici possint videre aut audire diuina: & breuiter syncerè seruent. Et est Episcopalis.

In eum qui in ciuitate seu diœcesi vbi sunt populi diuersarum linguarum habentes sub vna fide varios ritus vsurpat præsulatum. CAP. LXVIII.

Præsulatus officium vsurpans excommunicatur.

QVoniam in plerisque partibus intra eandem ciuitatem atque diœcesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus & mores, districtè præcipimus vt pontifices huiusmodi ciuitatum siue diœcesium prouideant viros idoneos, qui secundum diuersitates rituum & linguarum diuina illis officia celebrent, Ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne vna eademque ciuitas siue diœcesis diuersos Pontifices habeat tanquam vnum corpus diuersa capita, quasi monstrum. Sed si propter prædictas causas vrgens necessitas postulauerit, pontifex

locicatholicum Præsulem nationibus illis conformem prouida de liberatione constituta sibi vicarisi in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subiectus. Vnde si quis aliter se ingesserit, excommunicationis mucrone se nouerit percussum: & si nec sic resipuerit, ab omni ministerio Ecclesiastico deponendum: adhibito, si necesse fuerit, brachio seculari ad tantam insolentiam repellendam. Extra de offic. ordi. capi. quoniam in plerisque.

CAnonis istius materia est vsurpatio præsulatus. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones verò punit vnam, scilicet aliter se ingerere, quàm ex ordinatione Episcopi. Vbi aduerte quòd canon iste directè excommunicat illos qui vbi sunt, verbi gratia Latini & Græci, & Episcopus est Latinus, vsurpant sibi præsulatum, super Græcos, & sic de similibus. Horret enim canon iste duo capita in eadem ciuitate seu diœcesi, & propterea vult si necessitas vrgens postulauerit, quod Episcopus substituat sibi Episcopum super illos alterius ritus, vt suum vicarium. Hodie tamen canon iste parum aut nihil videtur seruari, quoniam Apostolica sedes prouidet quandoque in eadem etiam ciuitate habente Latinos & Græcos, de duobus Episcopis seu Archiepiscopis. Et est Episcopalis.

In eos qui propter legittimum impedimentum à sententia canonis vel hominis ab eo qui regulariter absoluere non poterat absoluti, contemnunt quàm primum commodè possunt ei à quo regulariter erant absoluendi se præsentare &c. CAP. LXIX.

Impœnitens in actu absolutionis ab incursa excom-

excommunicatione denuò excommunicationis vinculo regrauatur.

EOs qui à sententia canonis vel hominis quum ad illum quo aliàs de iure fuerant absoluendi nequeunt propter imminentem mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absoluuntur, si cessante postea periculo vel impedimento huiusmodi, se illi à quo his cessantibus absolui debebant, quàm citò commode poterunt contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis pro quibus excommunicati erant, humiliter recepturi, prout iustitia suadebit, decernimus in eandem sententiam recidere ipso iure. Idem statuimus de iis quibus quum à sede Apostolica vel legatis ipsius absolutionis beneficium à quibusuis sententiis consequuntur, iniungitur vt ordinariorum suorum vel aliorum quorumlibet suscepturi pœnitentiam ab eisdem, se conspectibus repræsentent, & passis iniuriam, seu iis quibus propter hoc legati existunt, satisfactionem exhibent competentem: si hęc quum primũ poterunt, non curauerint adimplere. De senten. excom. cap. 10s. lib. vi.

CAnonis istius materia est impœnitentia absolutorum à censuris in certis casibus. Et quo ad personas, licet sit absolutè vniuersalis, restringitur tamen ad eas quæ in talibus casibus tenentur se præsentare Prælatis seu ordinariis, &c. Quò ad actiones verò duas punit: prima est contẽnere, præsentare quã primũ cõmodè quis poterit illi à quo cessante periculo vel impedimento absolui debeat, secunda est, non curare adimplere iniunctionem de præsentando & satisfaciendo, quum primum commodè potest.

Vbi nota tres casus. Primus est eorum qui absoluti

ex

ex periculo mortis vel legitimo impedimẽto ab excõmunicatione lata à iure vel ab homine, ab eo qui non potest regulariter absoluere, si post hæc non se præsentant illi à quo regulariter fuerant absoluendi, &c. Secundus est eorum qui absoluti à Papa vel ipsius legato, si missi ad ordinarios vel aliquem alium pro pœnitentia, non implent iussionẽ. Tertius est si ipsi ipsimet iniunctum fuerit vt satisfaciant iniuriam passis, seu illis quibus propter hoc ligati existunt & similiter non curauerint adimplere.

Et pro secundo quidem & tertio casu stabis cum verbis canonis: vt scilicet locum habeat duntaxat quãdo absolutio & iniũctio sunt ab apostolica sede seu legato ipsius, ita quod si sunt à iudice delegato aut Episcopo, nõ ligat iste canon. Pro omni autem casu aduertendum est, quod tẽpus quamprimùm cõmodè poterunt, in foro iudiciali arbitrio iudicis decernitur: in foro autem conscientiæ, absolutus ipse testis est suæ conscientiæ: si fuerit negligens aut contemptor. Et quia lex ista non arctat ad præsentandum se personaliter, idcirco si quis per procuratorẽ ad hoc institutũ cum veritate satisfactionis compareret coram istis quã primũ posset, satisfacere videtur canoni: quũ nihil horũ quæ agenda sunt, exigat præsentiam personalem: vt patet discurrendo per singula. Et ista excommunicatio est Episcopalis, si illa à qua fuerat absolutus, erat Episcopalis, & similiter est Papalis, si prima erat Papalis: reincidit enim in eandem sententiam qua prius ligabatur.

In eos qui in locis in Christianorum corpora defunctorum ad alia loca transferenda exenterare, in fruſtra incidere, elixare, excutere carnes ab oſsibus, &c. præsumunt.

CAP.

CAP. LXX.

Crudelitatem in humana corpora exercẽs, præcipuè Christiana, excommunicatur.

SI defuncti exequutor vel exequutores, aut familiares eius, seu quiuis alii cuiuscunque gradus fuerint, aliquid contra nostri statuti & ordinationis tenorem præsumpserint attentare, defunctorum corpora sic inhumaniter & crudeliter pertractando vel faciendo pertractari, excommunicationis sententiam (quam ex nunc in ipsos proferimus) ipso facto se nouerint incursuros: à qua non nisi per Apostolicam sedem (præterquam in mortis articulo) possint absolutionis beneficium obtinere. Et nihilominus ille cuius corpus sic inhumanè tractatum fuerit. Ecclesiastica careat sepultura. Bonifa. VIII. in extrauag. detestandæ. de sepul.

CAnonis istius materia est crudelis immanitas in cadauera humana. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones verò cõprehendit actiones duas. Prima est, sic inhumaniter & crudeliter pertractare. Secunda est, facere sic pertractari. Apponuntur tamen quasi quatuor limitationes. Vna est, circa loca defunctorum: quia non ligat, nisi mortuus sit in loco vbi fidei cultus viget. Alia est declaratio ipsarum actionum, scilicet exenterare, incidere in frusta, elixare, excutere carnes ab ossib. & similes crudelitates. Alia est, circa qualitatẽ animi: scilicet quòd præsumpserint contra huiusmodi statutum & ordinationem. Quarta demum est, circa finem: quòd scilicet homini immanitas fiat vt transferantur corpora defunctorum ad alia loca. Et hæc quarta conditio elicitiuè ex textu à doctoribus sumitur: ex hoc quòd

casus

casus quem tollere intendit lex, est huiusmodi abusus propter transferenda corpora ad alia loca: pœnæ autem non sunt extendendæ extra casus suos. Et scito quod huiusmodi conciſiones & exenterationes cadauerum humanorum multipliciter considerari possunt. Primò absolutè: & sic habent quandam speciem mali, scilicet crudelitatis & feritatis, & propterea Bonifacius hoc considerans, fecit hanc legem contra quorundam consuetudines. Secundò possunt considerari in ordine ad aliquem finem: & sic iuxta qualitatem illius finis iudicandæ sunt. Nam si fiant ad iniuriam irrogandam, sub crimine bestialitatis cõprehenduntur. Si verò fiant ad scientiam acquirendam, sub medicinalibus actionibus comprehenduntur: vt in anatomiis patet. Vnde qui vsque hodie corpora regalia exenterant & excerebrant, vt multis diebus venerari sine fœtore à populo possint, nec feritatis rei sunt, nec contra canonem istum agunt: quia non exenterant vt tranferant ad alia loca, sed ne fœteant. Et sic de similibus. Et est papalis.

In omnes qui in terris suis noua pedagia imponunt, vel prohibita exigunt.

CAP. LXXI.

Pedagia prohibita vel insolita ab incolis suis exigentes excommunicationis mucrone veniunt feriendi.

EXcommunicamus & anathematizamus omnes qui in terris suis noua pedagia imponunt vel prohibita exigunt. In processu cœnæ Domini. Canonis istius materia est libertas humana ab oppressione illicitarum gabellarum. Et quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones, duas ligat actiones, prima

est, imponere noua pedagia: secunda est, exigere prohibita. Vbi aduerte canonem istum non facere mentionem de clericis plusquàm laicis, & loqui solùm de pedagiis: quoniam nullum aliud substantium in hac locutione reperitur. Et vbi tempore Mart. v. excommunicabantur duntaxat qui imponunt noua pedagia, postea adiunctum est, vel exigunt prohibita, proculdubio pedagia, de quibus erat sermo inchoatus: alioquin exigentes quæcumque prohibita essent ab hoc canone excommunicati: quod est ridiculum. Ex quibus sequuntur duo. Primum est, quòd imponentes nouas collectas seu taxas non incurrunt hunc canonē puniētē imponentē nonas gabellas. Secundum est, quòd exigentes prohibita pedagia, à quibuscunque exigant (siue laicis siue clericis) incurrunt hūc canonem, dūmodo exigant, quod importat coactionē quandā: siue coactio ista fiat imperio, siue arrestatione rerum vel personæ, siue minis, & breuiter quomodolibet fiat quòd inuitus soluat.

Et quia verba propriè intelligenda sunt, nec sunt in materia pœnali extendenda: aduerte differentiam inter exigere pedagia prohibita, & exigere pedagia non prohibita, sed à personis ptohibitis: qui enim exigit pedagia licita, sed à personis prohibitis (puta priuilegiatis, siue illi priuilegiati sint laici, puta milites, siue clerici) non incurrit hunc canonē, quia non exigit pedagia prohibita, sed licita, quanuis ab iis qui nō tenentur: alioquin exigentes licita in se pedagia à quibuscunque priuilegiatis, siue laicis siue clericis, incurrent hanc censuram: quòd non esse verum videtur manifestissimū. Sed ad hoc vt exigentes incurrāt hunc canonem, requiritur quod exigant pedagia in seipsis prohibita: qualia sunt omnia noua siue debita licentia imposita, & similiter ea quæ sunt imposita pro iis qui deferuntur pro vsu proprio, vel ad fiscum, vel

vel exercendi iuris gratia: quum hæc sint ex iure ciuili prohibita sub pœna capitis. Cum his tamen memento, quòd exigentes à clericis etiam licita pedagia, incurrunt excommunicationem ex alio canone: vt suprà patet. Et quia canon præsens est in cœna Domini, est Papalis.

In dantes & recipientes in simonia ordinis vel beneficij, item in eos qui quòd illæ fiat, mediatores extiterint seu procurauerint. CAPVT LXXII.

Simoniaci in beneficiorum collatione vel adeptione indubitanter sint excommunicati.

MVltæ contra simoniacam prauitatem iam olim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari, volentes igitur de cætero vt possumus attentius prouidere, sacro approbante concilio declaramus, quod ordinati simoniacè, ab exequutione suorum ordinum sint eo ipso suspensi. Electiones autem, postulationes, confirmationes, & quæuis prouisiones simoniacæ Ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personarum, officiorum & beneficiorum quorumcunque deinceps factæ: nulle sint ipso iure, nullumque per illas ius cuiquã acquiratur: nec promoti, confirmati, ac prouisi faciant fructus suos: sed ad illorum restitutionem tanquàm iniquè ablatorum teneantur percipientes. Statuentes insuper quòd dantes & recipientes, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiam si pontificali aut cardinalatus præfulgeant dignitate. Martinus v. in concil. Constancien.

Canonis istius materia est simonia. Et est quò ad personas vniuersalis. Quantum ad actiones verò duas excommunicat. s. dare & recipere: ita quòd tam dantes quàm recipientes in simonia ordinis vel beneficii, sunt excommunicati. Et tertiam addit Paulus secundus in extrauaganti quum detestabile. s. contra illos qui vt huiusmodi simonia fiat, mediatores extiterint vel procurauerint. Vbi nota quod licet huiusmodi Extrauagantes videantur prima facie ad omnes simoniacos se extendere propter quædam verba lata ibi contenta: quia tamen materia de qua agitur, est sola simonia in ordine aut beneficio (vt patet in tractatu & contextu eorundem) ideo communiter dicitur & rationabiliter quod soli & omnes simoniaci in ordine aut beneficio sunt excommunicati. Excommunicati autem simoniaci pro ingressu monasterii sub his non comprehenduntur, sed suo loco relinquuntur. Appellatione autem beneficii intellige non solùm illud quo aliquis dicitur habere beneficium, sed etiam prioratum, guardianatum, & similia quouis nomine vocentur, quæ sunt prælationes & officia pastoralia apud mendicantes: quoniam monasteriorum seu conuentuum sunt electiones, confirmationes, seu prouisiones huiusmodi, quamuis non computentur inter Ecclesiastica beneficia. Et est Papalis.

In singulares personas aliquid ex pacto dantes aut recipiētes pro ingressu religionis.

CAP. LXXIII.

Ingressum religionis emētes, aut pro ea aliquid recipientes excommunicationis incurrunt exitium.

Vniuersi

VNiuersis & singulis Abbatibus, Prioribus, Decanis, præpositis & magistris, necnon Abbatissis & Priorissis, aliisque Prælatis quouis nomine nuncupatis & eorum officialibus (quarumcunque etiam Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, domorũ & locorum quarumlibet religionum, ordinum etiam militarium tam exemptorum quam non exemptorum, quocunque nomine censeantur) ac capitulis & conuentibus & singularibus personis eorum tenore præsentium authoritate Apostolica, quamuis sit eis à iure inhibitum, districtiùs inhibemus, ne tam à maribus, quàm à mulieribus religionem eorum ingredi volentibus, Ecclesias, monasteria, prioratus, domos seu loca, in earundem personarum receptione aut ante vel post illam, quoscunque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, localia aut res alias, etiam ad Ecclesiasticum seu quemuis pium vsum alium deputata vel deputanda, de cætero directè vel indirectè petere vel exigere quouis modo præsumant: sed eas potius cum omnimoda pietate recipiant ac in victu & vestitu, sicut alias personas Ecclesiarum suarum monasteriorum, prioratuum, domorum, aliorumque locorum syncera charitate pertractent: illa duntaxat quæ ipsæ personæ ingredientes purè ac sponte & plena liberalitate omnique pactione cessante dare vel offerre Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus à locis huiusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi. Nos enim qui secus exegerint, si singulares personæ sint, tam dãtes quàm recipientes huiusmodi, excommunicationis: si verò capitulum seu conuentus fuerit, suspensionis sententiis eo facto decernimus subiacere. A quibus (præterquam in mortis articulo) absolui nequeant absque sedis Apostolicæ licentia speciali. Vrbanus v. in extrauag. sanè ne in vinea.

Canonis istius materia est simonia pro ingressu monasteriorum. Et quò ad personas comprehendit omnes quò ad actiones verò duas: scilicet dare vel accipere. Vbi nota quòd sicut in cæteris simoniis ab Ecclesiis punitis requiritur pactio, ita & in ista: ita quo ex pacto dantes vel accipientes sunt excommunicati. Si autem sine pacto darent vel acciperent, non essent excommunicati, quantumcunque intentio dantium & accipientium esset peruersa, sicut in cæteris simoniis contingit. Aduerte quoque Decretalem hanc pluries repetere edita iura contra huiusmodi petitiones, consuetudines & exactiones: quoniam hinc elici potest quod si aliqua petũtur vel exiguntur non contra alia iura edita exempta sunt sub hac excõmunicatione quæ adiuncta est prioribus iuribus: vt ipse conditor canonis testatur.

Et ex hoc capite excusantur omnes putantes se piè agere pro consuetudinibus antiquis seruandis, non vendentes ingressum religionis, sed exigentes, seruari laudabiles consuetudines, excusantur autẽ tantùm ab ista censura, quantũ excusantur à transgressione communis iuris: quamuis ex alio capite videãtur excusari. ex communi vt videtur, consuetudine: ex qua Decretalis hæc aut nunquam videtur recepta, aut sic interpretanda. Non desunt quoque verba Decretalis huius ex alio capite excusantia, scilicet ex præsumptione: quoniam præsumptione affectas supponit huiusmodi petitiones. Et propterea qui non præsumunt, sed imitantur prædecessorum vestigia, bona intentione, nõ incurrunt huiusmodi censuras. Quocirca moniales petentes solitas ibidẽ dari dotes & lectisternia, vestes & huiusmodi, & instantes ad hoc vt parentes puellæ faciant sicut alii (siue monasterium egeat, siue non) nõ sunt excõmunicatæ: quũ nulla hic interueniat pactio, sed instantia vt faciant sicut alii. Si verò

mona-

monasterium egeat, ita vt non possit sustentare recipiendã absque penitia, possunt licitè paciscivt portet secum quod necesse est ad sui sustentationẽ: quoniã hoc naturæ ius exigit. Et est Papalis.

In religiosos qui ex ordinibus mendicantium quorumcunque ad aliquem monasticum ordinem Carthusiensium excepto, absque sedis Apostolicæ licentia speciali cõuolãt: & eos qui ipsos recipiunt.

CAPVT LXXIIII.

Mendicans non potest absque censura excommunicationis ad alium ordinem sine speciali sedis Apostolicæ dispositione transmutari.

IN futurum nullus ex professoribus alicuius ex ordinibus mendicantium quorumcunque in aliquẽ monasticum ordinem (tam sancti Benedicti, quàm Cistercienſis. Camaldulen. Vallis vmbrosæ, Canonicorum regularinm sancti August. vel aliorum monasticorum ordinum) Carthusiensium duntaxat excepto, possit au debeat per quemcunq; recipi vel admitti virrute alicuius licentiæ vel indulti absque sedis Apostolicæ licentia speciali sub dictis pœnis (scilicet excommunicationis latæ sententiæ reseruatæ Papæ) quas tam recipientes quàm recepti ipso facto incurrant. Et nihilominus secus facta non teneant ipso iure Martinus. v. in extrauag. viam ambitiosæ.

CAnonis istius materia est ambitiosus seu mollis transitus de religione ad religionem. Et quò ad personas est particularis: quia ligat solos mendicantes & monachos, exceptis Carthusiensibus. Quò ad

actiones ligat duas recipi & recipere: hoc est transitū medicantiū ad religionē monachalē excepta Carthusiensi,& receptionē eorundē:ita quòd recipientes & recepti sunt excommunicati. Et est Papalis.

In eos qui bona Ecclesiastica alienant, & illos qui ipsa alienata recipiunt.

CAP. LXXV.

Bona Ecclesiastica alienans & alienata recipiens excommunicatur.

OMnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam,locationem, & conductionem vltra triennium, nec non infeudationem vel contractum emphyteoticum) præterquam in casibus à iure permissis,aut de rebus & bonis in emphyteosim ab antiquo concedi solitis, & tunc Ecclesiarum euidente vtilitate,ac de fructibus & bonis quę seruando seruari non possunt pro instantis temporis exigentia) hac perpetuò valitura cōstitutione præsenti fieri prohibemus. Si quis autē contra huius nostræ prohibitionis seriē de bonis eisdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio hypotheca,concessio,locatio,conductio & infeudatio huiusmodi, nullius sint momenti: & tam qui alienat,quàm is qui alienatas res & bona prædicta receperint sententiā excōmunicationis incurrat. Paul.rr.in Extrauag.ambitiosæ.

CAnonis istius materia est sacrilegium circa alienationem rerum Eccesiæ . Et quo ad personas excommunicatio est vniuersalis. Quò ad actiones, duæ in genere ponuntur.Prima est, alienare: Secunda est, alienata recipere contra constitutionem hāc. Vbi nota duo.Primò, tres casus explicitè in hac constitutione

stitutione concedi seu non prohiberi. Primus est locationis & conductionis intra triennium. Secundus est, emphyteosis habens tres conditiones. s. in casibus à iure permissis, & de bonis solitis ab antiquo dari in emphyteosim, & cum euidenti Ecclesiæ vtilitate. Tertius est, alienationis fructuum qui seruando seruari non possunt, vt frumentū vinū & huiusmodi. In his enim tribus casibus nulla incurritur excommunicatio secundum tutiorem sensum huius Decretalis. Nota secundò quod quia hæc Decretalis non est recepta vbique & alicubi videtur recepta non totaliter, sed quò ad aliquid. ideo vbi non est recepta, & similiter quantum ad illud in quo alicubi non est recepta, neminem damnes: eò quòd nisi consensu vtentiū lex fuerit firmata, pro non lege habetur. Esto ergo cautus confessor, vt scias consuetudinem patriæ quo ad hoc: scies autē illam à curia Episcopali.

Nota quoque quòd in rebus immobilibus minimis non reputatur Paulinam habere locum. Et est Episcopalis.

In sacerdotium officium vicecomitis aut præpositi singularis habentem, & post monitionem emendare volentem.

CAP. LXXVI.

Sacerdos seculare exequens officium excommunicatus habetur.

INhibemus sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat vicecomitis, aut prepositi secularis. Si quis autem cōtra hæc venire præsumpserit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat. extra ne clerici vel monachi, cap. clericis.

CAnonis istius materia est quoddam sacrilegium quo per indecens officium, sacerdotio iniuriam facit ipse sacerdos. Et quò ad personas, soli sacerdotes excommunicantur. Quantum ad actiones duę simul iunctæ excommunicationi subiiciuntur. Prima est habere officium vicecomitis aut præpositi secularis. Secunda est, post monitionem nolle emendare. Hæ enim duæ actiones si simul concurrant in sacerdote, excommunicationi ipsum subiiciunt. Aduertant hic Prælati qui sunt regnorum gubernatores seu viceregęs, quoniam appellatione præpositi secularis omnis huiusmodi præsidentia iurisdictionem habens secularem venire videtur. Et hoc intellige, quando huiusmodi præpositura est aduentitia personæ: nam si est annexa, vel etiam de nouo annecteretur Ecclesiasticæ dignitati (vt contingit in episcopis habentibus vtranque iurisdictionem) non habet locũ hic canon. Et similiter si quis dominus temporalis efficeretur sacerdos, non propterea perdit dominium suum seculare: sed potest illud exercere, quemadmodum Episcopus habens vtranque iurisdictionem. Secus autem esset, si quis habens officium vicecomitis aut secularis præpositi (puta potestatis aut huiusmodi) fieret presbyter: quia non potest retinere officium illud: quoniam inhibetur sacerdoti habere huiusmodi officiũ. Et est Episcopalis.

In confessores qui in xij. casibus hic enumeratis, & generaliter in casibus bullæ cœnæ Domini quemquam absoluere, aut quatuor excepta vota commutare attentant.

CAP. LXXVIII.

Sacerdos à casibus per sedem Apostolicam specia-

specialiter reseruatis absoluens excommunicatur.

AVthoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus, quod de cætero prætextu facultatum quantumcunque concessarium à nobis vel authoritate nostra, & quas concedi quomodolibet contingit in futurum etiam cum clausula quòd sola signatura sufficiat etiam in fauorem fidei & crutiatæ nullus confessor quemuis qui offensæ Ecclesiasticæ libertatis, violationis interdicti à sede Apostolica impositi, seu hæresis postquàm quis fuerit de ea sententialiter condemnatus, delatus seu publicè diffamatus, conspirationis in personam aut statum Rom. Pont. seu cuiusuis offensæ inobedientiæ aut rebellionis eiusdem Pontific. vel dictæ sedis, mutilationis membrorum vel occisionis cuiuscunque in sacris ordinibus constituti, offensæ personalis in Episcopum seu alium prælatum, inuasionis, deprædationis, occupationis, ac deuastationis terrarum Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiectarum, ac etiam inuasionis Romipetarum: seu quorumcunque aliorum ad Romanam curiam venientium, prohibitionis deuolutionis causarum addictam curiam, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, impositionis nouorum onerum, realium vel personalium Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis, simoniæ super ordinibus vel beneficiis consequendis in dicta curia vel extra eam contractæ quomodolibet reus foret, & generaliter in casibus contentis in literis quæ consueuerunt in die cœnæ Domini publicari, prætextu huiusmodi, facultatum absoluere, & per quosuis emissa peregrinationis vltramarinæ, visitationis liminum Apostolorum Petri & Pauli, in Compostella: & castitatis ac religionis

vota,

vota, nisi ex speciali licentia & certa scientia nostra (de qua demum constare censeatur, quum in signatura nostra desuper manu nostra scriptum, aut in literis nostris expressum fuerit nos ex certa scientia & de speciali gratia id concedere cum derogatione præsentis constitutionis, illius de verbo ad verbum inserto tenore, non autem per clausulas id importantes) vel in articulo mortis constitutum (& tunc in casibus vbi satisfactio fuerit impendenda, facta satisfactione, vel idonea præstita cautione) cõmutare præsumant. Et si aliqui confessorum contra præsentem constitutionem quemquam absoluere, aut excepta vota prædicta cõmutare attentauerint, absolutio & commutatio huiusmodi nullius sint roboris vel momenti: & contrafacientes eo ipso excõmunicationis sententiam incurrant. A qua (nisi in mortis articulo constituti) ab alio quàm à Ro. Pont. absolui nõ possint. Sixtus iiii. in extrauag. Et si dominici.

CAnonis istius materia est sacrilegium circa vsurpatam spiritualem iurisdictionem in absoluendo à casibus reseruatis, &c. Et quantum ad personas, confessores comprehenduntur. Quantum ad actiones verò duæ sunt in genere: scilicet absoluere à reseruatis, quæ hic enumerantur: & commutare vota hic reseruata. Et declaratur quomodo in articulo mortis agendum sit. Vbi nota casus huiusmodi dupliciter inueniri. Primò, vt non remanserit pœnitens obligatus ad satisfaciendum. Et tunc potest in articulo mortis quilibet absolui cũ promissione vel iuramẽto quod præsentabit se si euaserit, petenti legitimè absoluere: non pro absolutione, se ad standum mandatis Ecclesiæ. Si autẽ pœnitens remanserit obligatus ad satisfaciendum, si potest præmitti debet satisfactio: quod si non potest, tunc præstare debet idoneã cautionem antequam absoluatur. Et vocatur idonea cautio,

cautio, pignoratitia: quòd si hanc non potest, det fidei iussoriam: & si hanc etiã non potest, det iuratoriã. Et hoc aduertant bene confessores, ne illaqueantur. Et est Papalis non solùm hinc, sed etiam ex processu in cæna Domini, quantum ad absoluentes à contentis in bulla cœnæ Domini.

In eos qui asserunt tenentes beatam Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, hæresim aut peccatum mortale incurrere, &c. & eos qui affirmant contrariam opinionem tenentes in hæresim vel peccatum mortale incidere.

CAP. LXVIII.

Virginem Mariam asserentes originali macula fuisse contaminatam, aut oppositum tanquam hæreticum impugnantes, excommunicationis onere premuntur.

MOtu proprio assertiones quorumlibet prædicatorum qui affirmare præsumerent eos qui crederent aut tenerent Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut conceptionis officium celebrantes, seu sermones illorum qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant audientes, alicuius peccati reatum incurrere: vtpote falsas & erroneas æditosque desuper libros id continentes, quò ad hoc authoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus & damnamus: ac motu, scientia & authoritate prædictis, statuimus & ordinamus quod prædicatores

catores verbi Dei, & quicunque alii qui de cætero ausu temerario præsumpserint in suis sermonibus ad populum seu aliàs quomodolibet affirmare huiusmodi sic per nos improbatos & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant. A qua ab alio quàm à Rom. Pont. nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia & authoritate similibus simili pœnæ ac censuræ subiicientes eos qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes (videlicet gloriosam virginem Mariam cum originali peccato fuisse cõceptam) hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale: quum hoc nondum sit à Ro. Eccle. & Apostolica sede decisum. Sixtus. IIII. in Extra. graue nimis.

CAnonis istius materia est sacrilega, seu præceps assertio seu affirmatio cuiusdam ambigui in doctrina Christiana circa conceptionem beatæ Virginis. Et quò ad personas in vtroque casu excommunicatio est vniuersalis. Quò ad actiones verò, in vtroque casu actio est audere asserere seu affirmare hæc vel illa, prout in litera. Et adiungitur in primo casu habere quosdam libros pro veris quo ad hoc.

Nota confessor, quòd vbi de simplici corde aliquis errasset, non incurrit hunc canonem pro quanto defuit ibi audacia seu præsumptio, quæ non frustra in litera apposita est. Et est Papalis.

In impedientes legatos vel nũcios Apostolicos ne recipiantur & faciãt ea ad quæ missi sunt. CAP. LXXIX.

Apostо-

Apostolicæ sedis nuncios, quò minus suum exequantur officium impedientes, excommunicationi subjiciuntur.

ALiqui officium & potestatem Romani Potificis quam non ab homine, sed à Deo recipit, sub suo arbitrio redire molientes, legatos ipsius nisi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum transmissi, sibi terras subiectas (dicentes hoc sibi de consuetudine competere) ingredi non permittunt. Nos huiusmodi consuetudinem authoritate Apostolica penitus reprobantes legatos ipsos ab omnibus cuiuscunque præeminentiæ conditionis, aut status fuerint, debere admitti decernimus: nec eos prætextu cuiusuis consuetudinis impediri posse à quoquam Christiano nomine gloriante, quo minus regna, prouincias, terras quaslibet ad quæ ipsos destinari contigerit, ingrediantur libere, commissæ sibi legationis officium exerceant in eisdem.

Qui verò de cætero super prædictis dicto legatos aut etiam nuncios quos ad quascunque partes pro causis quibuslibet sedes ipsas transmiserit, præsumpserint impedire, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Ioan. xxii. in Extrauag. cap. super gentes.

CAnonis istius materi est sacrilegium in Apostolicam authoritatem. Quò ad personas est vniuersalis. Quò ad actiones, vna prohibetur. s. impedire legatos seu nuncios Apostolicos ne recipiantur & faciant ea ad quæ missi sunt. Et est Episcopalis, quantum est ex hoc canone.

In vocatos ad dirigendum moniales in electionibus, non abstinentes ab his vnde orirì

oriri vel nutriri posſit diſcordia in ipſis electionibus faciendis. CAP. LXXX.

Diſcordiam in actu electionis ſeminantes vel nutrientes excommunicantur.

HI quos ad dirigendas in electionibus moniales deinceps contigerit euocari: ab his prorſus abſtineant, per quæ inter eas ſuper faciẽdis ipſis electionibus oriri poſſint diſcordia, vel exorta nutriri: aliàs eo ipſo excõmunicationis ſententiæ ſe nouerint ſubiacere. elect. cap. indemnitatibus. lib. vi.

CAnonis iſtius materia eſt diſcordiæ occaſio in electione. Et quantum ad perſonas comprehendit omnes & ſolos vocatos ad dirigendum moniales in electionibus faciendis. Quantum ad actiones duas comprehendit. Prima eſt, non abſtineri ab his vnde poſſit oriri diſcordia in faciendis dictis electionibus. Secunda eſt non abſtinere ab his, vnde poſſit nutriri diſcordia exorta ſuper dictis electionibus faciendis.

Ex quibus bene conſideratis clarè liquet quod non vocati ad dirigendas, &c. quantumcunque ſeminent diſcordias & diabolicè agant, exempti ſunt ab hoc canone. Et ſimiliter illi qui diſcordias ſeminant ſuper electionibus factis, etiam ſi ſunt de numero vocatorum: quoniam pœnæ non extenduntur vltra caſus ſuos. Et eſt Epiſcopalis.

In eos qui ordini prædicatorum aut Minorum contumeliam ſeu iniuriam in ſeptẽ caſibus inferunt. CAP. LXXXI.

Iniuriam ordini prædicatorum vel Minorum

rum inferentes quibusdam casibus excommunicantur.

INtrantes monasteria monialium prædicatorum, siue seculares, siue Ecclesiasticæ personæ sint, in casu non concesso à constitutionibus earum, vel sine licentia magistri ordinis, aut alterius ab ipso magistro habentes super hoc potestatem, sunt ipso facto excommunicati. A qua excommunicatione nō possunt absolui (præterquam in mortis articulo) nisi à Papa vel magistro ordinis, vel ab alio habente super hoc specialem auctoritatem ab aliquo prædictorum. Et ista sententia est lata etiam per Papā in bulla ordinis.

Intrantes monasteria sanctæ Claræ seu monialium ordinis minorum, & in casibus non concessis in regula ipsarum, vel sine licentia eorum qui dare possunt, sunt ipso facto excommunicati. Et Papæ reseruatur absolutio, vel Generali ipsius ordi.

Quicunque libellos famosos in vulgari, vel literali sermone, necnon cantilenas vel rithmos edere, vel detinere, vel publicare præsumunt in infamiam status ordinis Prædicatorum vel Minorum, sunt excommunicati. A qua excommunicatione non possunt absolui, nisi personaliter sedi Apostolicæ se præsentent. Alexand. in priuilegio ex altero, & in alio, non sine multa.

Quicunque prædicare, docere vel defensare præsumunt quod prædicatores vel minores non sint in statu perfectionis, & quod non licet eis de eleëmosynis viuere, & quòd non liceat eis prædicare, vel confessiones audire de licentia summi Pontif. aliorum prælatorum inferiorum & rectorum Ecclesiarum aut sacerdotum parochialium consensu minimè requisito sunt excommunicati. A qua sententia non possunt absolui nisi personaliter sedi Apostolicæ se

præsentent. Alexander vbi suprà.

Idem Bonif. xi. in priuilegio sacræ religionis: vbi etiam excommunicantur omnes qui impediunt eosdem fratres ne possint in suis Ecclesiis celebrare, recipere eleëmosynas, vel prædicare. Quicũq; præsumũt in loco fratrum prædicatorũ violẽtiam damnabilem exercere, eoipso sententiam excõmunicationis incurrunt. A qua absolui nequeũt, nisi per sedem Apostolicam, vel per conseruatores ordinis prædicatorum deputatos. Clemens in quibusdam locis, & in alto.

Quicunque in monasterio vel Ecclesiis suis detinent apostatas ordi. prædicatorum, nisi eos eiecerint postquam eis per fratres dicti ordinis ne eos detineãt fuerit denunciatum: sunt excommunicati. Bonifac. in priuilegio, virtute.

Item fratres minores, qui præsumunt recipere fratres ordi. prædicatorum professos sine licẽtia summi Pont. faciente expressam de indulto huiusmodi mentionem, vel nisi prius suorum priorum licentia fuerit petita & obtenta, sunt excommunicati. Clemens ad minores, quos nos. Idem de eremitanis. Alexander ad eremitas, vestram.

Magistri, rectores artistarum, & scholares studii Parisien. qui publicè vel occultè fratres prædicatores vel minores à consortio vniuersitatis Parisien. excludere moliuntur, sunt ipso facto excommunicati. A qua excommunicatione absolui nequeunt: nisi personaliter sedi Apostolicæ se præsentent. Alexander. ex alto.

CIrca hos septem canones relatos à sancto Antonio in tertia parte suæ summæ, aduerte quod primus (scilicet de ingressu monasteriorum) dolum seu præsumptionem requirit: ita quod non solum excusantur ingredientes ex ignorantia quasi inuincibili (puta quia consueuerunt monasteria alicubi libe-

rum

rum habere ingressum,& nihil scitur de excommunicatione) sed etiam scientes excommunicationem,& existentes in locis vbi seruatur, si ingrediuntur in aliquo casu putantes sibi licere, excusantur: quia non præsumunt. Et in decretali prohibente ingressum in monasteria ordi. prædicatorum, ponitur verbum præsumat. In secundo quoque canone nota quòd non sunt excommunicati detrahentes huiusmodi religiosis,sed detrahentes statui: vt litera clare dicit.

Excommunicatio potest diuersimodè incurri: vltra canones consideranda.

PRæter has autem excommunicationes inueniuntur multæ aliæ, in tria distinctæ genera. Earum nanque aliquæ quamuis sint notæ, non tamen sunt consensu vtentium comprobatæ: quales sunt omnes contra non reuelantes simoniam, & contra dantes pro habēda gratia vel iustitia in curia Romana. Aliæ sunt communiter ignotæ:quales sunt multæ quæ dicuntur Ioan. xxii. quæ non possunt esse vtentium consensu firmatæ,ex quo vt ignotæ aut incertæ fuerunt & sunt. Vidit fortè quispiam vnam copiam,& scripsit: quòd ea facilitate reiicitur, qua proponitur. Has ego non retuli: quia nolo esse doctor similium. Et hæc duo genera non ligant:quia leges infirmę seu abrogatæ sunt. Aliæ sunt nouæ quidem, sed quia nouæ,& nescio an sint receptæ, ideo ambiguus sum:vt sunt illæ quæ in concilio Lateranensis vltimo sub Iulio secundo & Leone decimo continentur: quas glossare præsumere excommunicatum ibi est. Et vna est contra cardinales Roma. Eccle. reuelantes,aliquid in consistoria vetitum à Papa:alia est contra impressores librorum: alia contra prædicatores miraculorum. Quartum tenor est.

STatuimus ne quis cardinalium vota in consistorio data, & quæcunque ibi gesta aut dicta, quæ in odium aut præiudium aut scandalum alicuius redundare possunt verbo, vel scripto, vel quouis alio modo reuelet sub pœna periurii & inobedientiæ. Et quotiescunque à nobis & Ro. Pontif. pro tempore existente specialiter & expressè vltra pręmissa inductum fuerit super aliqua re silentium, si quis contra fecerit vltra dictas pœnas excommunicationis latæ sententiæ incurrat: à qua non possit absolui nisi à nobis vel præfato Roma. Pont. & cum expressione causæ, præterquam in mortis articulo. Leo x. in x. sessione concilii Lateranen.

STatuimus & ordinamus quod de cętero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem seu aliam quamcunque scripturam tam in vrbe nostra quàm aliis quibusuis, ciuitatibus & diœcesibus imprimere seu imprimi facere præsumat, nisi prius in vrbe per vicarium nostrum & sacri palatii magistrum, in aliis verò ciuitatibus & diœcesibus per Episcopũ vel alium habentem peritiam scientiæ libri seu scripturæ huiusmodi imprimendæ ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac inquisitorem hæreticæ prauitatis ciuitatis siue diœcesis in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria subscriptionem sub excommunicationis sententia gratis & sine dilatione apponendam approbentur. Qui autem secus præsumpserint, vltra librorum impressorum amissionem & illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricæ basilicæ principis Apostolorum de vrbe sine spe remissionis solutionem ac anni continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus existat. Idem ibidem in x. sessione.

Si qui

SI quis in suis prædicationibus ad populum miracula falsa aut incerta, vel prophetias quæ ex sacra scriptura non constant, prædicare seu Episcopis aut suis superiobus (scilicet Ecclesiæ Prælatis) detrahere ausi fuerint: vltra pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam (à qua nō nisi à Ro. Pontif. præterquam in mortis articulo constituti absolui possint) eos incurrere volumus. Idem ibidem in xi. sessi.

EXpeditis duobus (primo scilicet & quarto promissis superius de excommunicatione tractandis: scilicet in quibus casibus incurritur excommunicatio, & ad quem spectat absolutio cuiuscunque) occurrit tractandum secundū inter promissa: scilicet quæ sunt vetita excommuninato: quæ si faciat peccat.

Excommunicato plura sunt illicita, tam diuina quàm humana à quibus non abstinens peccato aggrauatur excommunicationis.

VBi scito quòd hæc sunt multa tam diuina quàm humana: excommunicatus siquidem excluſus est à participatione sacramentorum, & diuinorum officiorum communione: ita quod peccat mortaliter sacramentis participando actiuè vel passiuè. Et si clericus est, & actum alicuius ordinis sacri exerceat, aut ordinem susc̄ipit, efficitur irregularis. Et similiter peccat mortaliter orando cum aliis, siue dicendo, siue audiendo, siue interessendo ad hoc vt diuinis intersit: & hoc tā in Ecclesia quàm extra. Et ratio peccati mortalis in his casibus est præceptum Ecclesiæ sic communiter intellectum: quia excōmunicatio directè excludit à diuinorum cōmunione. Est quoque suspensus ab Ecclesiastico officio & beneficio. Et hinc est

quod non potest conferre beneficia, nec iudicare, nec alia quæ iurisdictionis sunt: imò nec facere fructus suos ex beneficio quod habet, quandiu est in mora petendi absolutionem. Nullum præterea potest acquirere beneficiū, nec potest eligi aut eligere, nec valent literæ per eum impetratæ à papa. Et est nihilominus excluſus à legitimis actibus, scilicet accusare, testificari, constitui in procuratorem, constituere procuratorem, nisi sit reus. Et gesta per eum ratione publici officii etiam ciuilis, non valent. Et demum à conuersatione humana excluditur: scilicet colloquutione, conuiuio, & huiusmodi, ita quòd excommunicatus contraria faciens peccat, quia contra rectam rationem legis Ecclesiasticæ facit. Non tamen peccat in quolibet prædictorum mortaliter, sed quandoque. Discerni autem hoc potest, distinguendo actus vetitos excommunicato in tria genera: duo extrema & vnum medium. Excommunicare siquidem separando à communione fidelium separat primò à sacramentorum & diuini cultus communione quod est primum commune fidelibus. Separat deinde ab Ecclesiasticorum actuum communione: quod secundum est in quo communicant Christiani. Separat demum ab humanorum operum communione: quæ communia sunt Christianis & non Christianis. Et quantum ad duo extrema spectat, clara est differentia, in hoc quòd contra primum genus agere, est peccatum mortale: vt prædictum est. Contra tertium autem non est peccatum mortale: quia excommunicatio directè excludit à communione hominum quatenus Christiani sunt, & per quandam extentionem à communione hominum. Et ideo illud contra, hoc præter inhibitionem Ecclesię agitur: illud mortale, hoc veniale.

Sed de medio genere, & de actibus legitimis ciuili-

buz,

bus, non vsquequaque clarum est. Rationabile tamen videtur, quod si in huiusmodi actibus non se immiscet aliqua iniustitia, aut aliquid aliud ex suo genere mortale, quod non peccetur mortaliter. Verbi gratia: si excommunicatus iudicat, est peccatum mortale ex suo genere: quia incidit in iudicium vsurpatum: quia potestas eius ligata est, sicut non potestas durante suspensione seu quasi suspensione. Vsurpatum autem iudicium est mortale ex suo genera: quia iniuriam facit per illum actum & illis quos iudicat, tanquàm potens actu super illos, & communitati cuius actum vsurpat. Similiter si excommunicatus electus acceptat: iustitiam enim manifestè incurrit. Et similiter si eligit, iniuriatur & electoribus, quorum numerum iniustè auget: & Ecclesiæ, cuius se quasi prouisorem agit. Et multò magis conferendo beneficia, & faciendo fructus suos in casu non confesso: & sic de similibus vbi iniustitia immiscetur. Vbi autem nec iniustitia nec aliud ex se mortale immiscetur (vt si excommunicatus pro veritate testimonium ferat in Ecclesiastico etiam iudicio, vel aliquid huiusmodi faciat) non video vnde peccetur mortaliter: quum ab eis non primò sed secundariò sit excluſus. Petere autem etiam exigendo debitum in matrimonio, non est magis peccatum quàm petere pecuniam à debitore, vtrunque enim potest excommunicatus, licet possit debitor excipere, allegando excommunicationem.

Participatio cum excommunicatis quibus casibus impunè permittatur.

CIrca tertium præmissorum (scilicet de peccatis participantium cum excõmunicatis) pro cõstanti habetur, quòd participantes in diuinis cum excom-

municato in casu non licito, peccant mortaliter: & quòd participantes in aliis in casu non licito, peccant venialiter. Casus autem liciti, extra diuina tamen continentur hoc versu: Vtile, lex humi e, res ignorata, necesse: Hæc quinque faciunt anathema ne possit obesse. Et exponuntur sic: Vtile, hoc est propter vtilitatem propriam: quia licitum est ab excommunicato & exigere & recipere quod mihi debet. Rursus propter vtilitatem animæ ipsius excommunicati: quia licitum est prouocare, monere, &c. ad salutem animæ suæ etiam si alia interponantur, vt facilius aut fructuosè agatur. Lex matrimonii, quia vxor licitè communicat maritò excommunicato, vt canon dicit.

Et eadem ratione vir communicat vxori excommunicatæ, saltem in iis quę debet illi. Humile propter subiectionem, & canon explicat filios, seruos, ancillas seu mancipia, rusticos seruientes, necnon omnes alios qui non adeò curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur: & intellige de iis qui erant antequam excommunicatus esset, in huiusmodi eius seruitiis & econtrariò superior communicat licitè subdito in iis ad quæ ei tenetur. Res ignota ignorantia facti vel iuris quando excusat, & hæc etiam excusset à participatione in diuinis. Necesse, in articulo enim necessitatis cessat peccati ratio. Sed quia multipliciter dicitur, necessitatis, scito necessitatem clarè excusare, primo violentiæ: vt si quis violenter tenetur etiam in diuinis cum excommunicatis, & talis deberet animo intendere non interesse diuinis: vt sic nullo modo agat ad communionem, sed patiatur quò ad corporalem præsentiam: cui & non consensu potest inferri violentia. Secundò, corporalis indigentiæ meæ: vt si non possum necessaria aliunde emere vel habere quàm ab excommunicatis: vt patet in cap. quoniam multos. xi. quæstio. iii. Tertiò, ratione necessitatis corporalis

talis ſubſtentationis ipſius excommunicati licet enim dare excommunicatis eleëmoſynam ad eorum ſuſtentationem: vt ibidem dicitur: & eadem ratione licitum eſt medicare in infirmitate, & huiuſmodi. Quartò ratione neceſſitatis damni vitandi ex contractu inito. licitum eſt enim cõtinuare cum excommunicato exequutionem contractus quem excommunicatus non vult reſcindere, ne damnum inde ego innocens incurram: vt patet in cap. ſi verè, de ſenten. excommunic. Quintò, ratione neceſſitatis ſpiritualis conſiliis pro me vel alio: vt quia non habeo alium ſufficientem ad quem in hac indigentia conſilii ſpiritalis recurram, ſi enim mihi licet pro ſalute ſuæ animæ excommunicato communicare, conſequens eſt vt etiam idem liceat pro indigentia animæ meæ. Sextus verò caſus, ſcilicet ratione metus, quãtum ad participationem in diuinis, reprobatur à canone cap. ſacris. de iis quæ vi metuſvé cauſa fiunt. quia participatio in diuinis eſt peccatum mortale, & pro nullo metu etiam cadente in conſtantẽ virum debet quis peccare mortaliter. Quantum verò ad communionem extra diuina, indubitatus eſt (loquendo de metu cadente in conſtantem virum) ex ratione iuris: quia ſi ſecundum iura licitum eſt communicare extra diuina ratione neceſſitatis damni vitandi ex contractu inito, multò magis ratione damni vitandi ex metu cadente in conſtantem virum: quem longè maius ſit hoc damnum quàm illud ex contractu inito.

Communicatio ſeu participatio cum excommunicato quibus caſibus omnino ſit illicita.

ILlicita autem cum excommunitatis, continentur hoc verſu,

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Si pro delictis anathema quis efficiatur.

Et exponuntur sic: Os, hoc est loquutio, siue coram, siue per literas, siue per nuncium. Orare: hoc est communicare in oratione & diuinis, quod fit simul cum eo orando, vel audiendo Missam vel officium diuinum quodcunque. Nec prædicatio tamen nec lectio quantumcunque theologalis computatur inter officia diuina in proposito. Valde: hoc est salutare: & loco salutationis dicitur ei, Deus te illuminet, aut aliquid huiusmodi. Communio: in quibuscunque actibus specialiter legitimis. Mensa: simul comedere, &c. Ita quod in huiusmodi non attenditur propinquitas aut etiam identitas loci, in quo vterque orat aut comedit: quoniam in eadē camera possunt ambo seorsum consedere & orare absque eo quod cōmunicent in comedendo aut in orando vt cōtingit quādo pulsatur ad Aue Maria. & singuli seorsum dicunt: quoniā non pulsatur ad orationem communem, sed priuatam. Et similiter in eadem Ecclesia si vnus audit Missam in vna capella, & excommunicatus audit in alia capella, non communicant. Communicarent autem si ambo interessent vesperis, aut vni Missæ aut vni processioni, etiam si vnus esset in capite, & alter in cauda processionis extensæ per duo milliaria. Et hinc fit, vt si excommunicatus transit per Ecclesiam, aut est ibi non vt interfit vesperis, sed propter negotium aliquod licet transeundo genu flectat: & oret priuata oratione, non propterea communicant dicentes vesperas cum illo, sicut nec ipse communicat cum illis; & ideo nullus in hoc peccat.

Excommunicatio minor diuersimodè consideratur.

EXcommunicatio minor (hoc est Ecclesiastica censura, qua homo excluditur à passiua tantūmodo par-

do participatione) sacramentorum, & ex consequenti à passiua electione canonica: quia ius sic disponit, extra de cleri. excommu. ante concilium Cõstantien. frequenter poterat incurri: sed post illud concilium in duobus tantum casibus participando cum excommunicatis, &c. incurritur. Primus, si participatio interuenit cum nominatim excommunicatis publicè. Secundus est, si cum excõmunicatis propter manum violentam in clericum notoriã. Et intellige in vtroque casu tunc incurri minorem excõmunicationem, quando participatio interuenit extra casus à iure permissos, in casibus enim à iure permissis etiam cum istis participatio non inducit excommunicationem minorem.

Tenor autem decreti Constantiensis relati à sancto Antonio Archiepiscopo Florentino, est iste: Insuper ad euitandum scandala & multa pericula quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus quod nemo deinceps à communione alicuius in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis vel extra prætextu cuiuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ à iure vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit in, vel contra personam, collegium, vel vniuersitatem, Ecclesiam vel locum certum vel certam terram à iudice publicata vel denunciata specialiter & expressè: constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque: saluo si quem pro sacrilega manuum iniectione in clericum sententiam latam à canone adeò notoriè constiterit incurrisse, quòd factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio

gio excusari, nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit: volumus abstineri iuxta canonicas sanctiones.

Excommunicatio minor quæ inducat incommoda.

PEccat igitur mortaliter peccato sacrilegii excommunicatus minore excommunicatione si se ingerit passiuè participationi cuiuscunq; sacramenti: quia excluſus ab Ecclesia, indignus accedit: sicut excommunicatus maiore ingerens se diuinis. Participantes autem cum excommunicato minore, nullam ex participatione incurrunt censuram, quia excommunicatio minor transit in tertiam personam. Et reseruatur absolutio ab excommunicatione minore sacerdoti proprio, hoc est sacerdoti qui potest absoluere à peccato mortali: non quia excommunicatio minor habet annexum peccatum mortale: sed quia est vinculum Ecclesiasticum, ac per hoc soluendum à ministro iurisdictionis Ecclesiasticæ: quam non habet quilibet sacerdos qui potest absoluere solum à venialibus ea ratione quia pœnitens se illi subiicit in materia non necessaria in sacramento pœnitentiæ: qualis materia est peccatum veniale, quòd homo non tenetur confiteri. Ex hoc enim quod pœnitens sola peccata venialia confitenda habet, obtinet vt possit se confitendo subiicere cui maluerit sacerdoti: quia nulli tenetur de illis confiteri. Sed ex hoc non est priuilegiatus vt possit à quo sacerdote voluerit absolui à vinculo Ecclesiasticæ censuræ: quia totum oppositum concurrit hic, quoniam tenetur de hac censura quærere absolutionem & obtinere eam ante absolutionem à quibuscunque peccatis, & cuiuscque sacramenti susceptionem: & propterea recurrere ad ministrum Ecclesiæ habentem aliâs potestatem iurisdictionis. Et posset

diaconus,

diaconus, imò simplex clericus habens iurisdictionem absoluere à minore excommunicatione multò magis quam potest absoluere à maiore: quoniam vtriusque absolutio non spectat ad potestatem ordinis, sed iurisdictionis.

Peccatum falsi multipliciter commutti potest.

FAlsarius tam monetæ, mensurarum & ponderum, quàm scripturarum seu literarum aut sigillorum, peccat proculdubio mortaliter: quia interuenit ibi factum pernicioſum ex suo genere. Posset tamē propter imperfectionem actus veniale tantum interuenire peccatum, vel ratione minimi nocumenti, vel quum ioci gratia alieno nomine qui fingit literas. Contingit quoque sine omni fortè peccato fingere alieno nomine literas officiosè, dum vriliter agitur alterius negotium, nec dubitatur quòd gratum eris illi cuius nomine scribitur. Et in huiusmodi priuatis literis alieno nomine fictis, ratihabitio à falsitate excusat.

Infamiam propriæ personæ negligenter non impediens, peccat in seipsum, & dicitur crudelis.

FAmam propriam falsò ereptam negligere tunc est peccatum, quum aliis hoc nocet seu nocere timetur: nam fama propter alios nobis necessaria est. Et in tali casu dicit Aug. Qui confidens conscientiæ, negligit famam, crudelis est: quia aliorum animas occidit, vel blasphemantium viam Dei audita bonorum infamia, vel imitantium malum quod factum putāt, excusando se super reputatos bonos. Verum iuxta occurrentis necessitatis casus & facultatem prouidendi, iudicādum est in singularibus de peccato hoc,

nam

nam quandoque melius prouidetur proximis nostris cum hilari patientia tolerando infamias quàm obsistendo: nec tunc negligit quis famam propriam, sed optimam curam habet eius offerendo illam Deo. Vnde nisi charitatis proximi impellat, melius tolerat ur infamia quàm pro fama laboretur.

Violatio festorum in honorem Dei sanctificatorum vitiosa est & punibilis.

FEstos dies in honorem Dei sanctificatos violare, peccatum est sacrilegii: quia iniuria fit tempori sacro quantum ad illud ad quod sanctificatum est. Et quia sanctificatum tempus festiuum est ad exteriorem cultum exhibendum Deo, & positiuè vacando diuinis, & negatiuè abstinendo ab omni opere seruili, & quibusdam aliis per Ecclesiam adiũctis, extrà de feriis. idcirco peccatũ violationis festorum trifariam cõmittitur, vel omittendo diuina pro tunc præcepta, vt faciendo opus seruile, vel committendo aliquid prohibitorum fieri in festo. Et quantum ad primum, quia sola Missa communiter est in præcepto, ideo sine rationabili causa omittere Missam in festo, peccatum mortale reputatur. Et hic esto prudens, admittendo pro rationabili causa omne motiuum rationi humanæ consentaneum, etiam si non fuerit vrgens: quoniam deficiente, & subsistente ratione quæ illius conditionis personas libẽter ad Missam euntes inducere videtur ad omissionẽ Missæ in tali casu non incurritur peccatum mortale: quamuis si minus sufficiẽs est ratio, peccetur venialiter. Et vniuersaliter sic est, quando quis bona fide putat se excusari ab auditione Missæ, & ideo omittit illam. Et simile est si præter intentionem ex aliqua negligentiola Missa omittitur. Et omnium ratio est: quia nõ formaliter agitur contra præceptum nec vsque adeò materialiter interue-

nis

nit trasgressio, vt redeat peccatum in naturam suæ formæ. Verbi gratia, irrationabilis causa omittendi Missam, est occupari in seruitio infirmorum custodire ea quæ custodia indigent, quandò oportet alterum omittere, potius enim omittēda est Missa, quàm seruitium infirmorum, quàm custodia rerum. Hinc enim excusantur puellæ non euntes ad Missam, quia sic est consuetum, & sic iubent matres, & mulieres per mensem luctus, & per purificationem post partum abstinentes iuxta consuetudinem patriæ à Missa: & sic de similibus. Ex hoc autem quod solus exterior cultus cadit sub hoc præcepto, non continetur sub hoc præcepto contritio peccatorum, nec vitatio aliorum peccatorum. Et propterea circunstantia festi diei non est circunstantia necessaria aliorum peccatorum commissorum in festo, nisi fiant in contemptum festi. Minus autem sufficiens sed rationem sapiens ratio est, matutinũ iter in festo absque vrgente necessitate aggredi, vt cum sociis quis eat tunc euntibus. putans enim propterea se excusari, contra præceptum non agit, quamuis male faciat.

Intelligitur autem Missa in festo præcepta Christi fidelibus, vt interfint sacrificio Missæ. interfint autem corpore & mente: hoc est animo vacandi Deo durante Missa. Et propterea si quis corporaliter præsens sit Missæ, sed mentem aduertenter à Missa diuertat ad alia, non satisfacit præcepto Missæ, quoniã ita ibi est acsi voluntariè ibi dormiret, paria namque sunt longè à Missa fieri per voluntariũ somnum & per voluntariam dormitionem mentis ad alia. Vnde sicut obligatus ad Horas canonicas, non satisfacit si ex proposito mentem ad alia diuertat ab officio: ita obligatus ad Missam non satisfacit si à Missa mentem ad alia aduertenter distrahit notabiliter: modicum enim pro nihilo reputatur. Vtrum autem

audiatur

audiatur vel non, vtrum sit Missa propria vel non, sub præcepto non cadit. Et quamuis dum sacerdos non auditur, aut non intelligitur, vel secreta dicit, liceat aliquam spontaneam orationē dicere ad habendam mentem Deo vacantem tempore sacrificii durante, non tamen videtur vsquequaque tutum prima facie in Missa de præcepto dicere præceptas Horas canonicas, aut iniunctam pœnitētiam, seu orationem ex voto debitam: quia duo diuini cultus debiti, debēt vt duo exolui: & non confundi sub vno tempore & vna actione. Si tamen de facto oppositum quis fecerit, non damno illum: quia licet fortè male fecerint, satisfecit tamen precepto vtrique quantum ad vitandum peccatum mortale omissionis vtriusque, ex eo quòd idem tempus compatitur vnumque simul persolui dum solo interiore actu, Missæ possumus attendere, aut quia secreta dicuntur, aut quia non auditur seu non intelligitur sacerdos. Dixi autem fortè malè fecerit: quia non oportet persoluentem intra tempus Missæ præceptæ alias de precepto quoque orationes, peccare: sed tunc tantùm quam impedimentum præstatur debitæ attentioni ad Missam. Videmus enim absque vllo scrupulo sacerdotem ipsum qui celebrat, dum chorus cantat, dicere cum ministris Horam aliquam canonicā, ex eo quòd dixit totum quod chorus cantat: quasi tempus illud ei vacet, licet in veritate sit tempus Missæ. Et similiter dum sonant organa, potest ab omnibus fieri eadē ratione semper militāte: quia scilicet nō impeditur debita Missæ attentio, sed vnus diuinus cultus alterum compatitur. Quò ad secundū verò, quia solum opus seruile seruilitate non mystica sed corporali (quod solum cōprehendit exteriora opera seruis propria, ad quæ scilicet seruos deputatos habemus) intelligitur ad literam, ideo exercere in festo opera seruili, peccatum mortale est.

Quod

Quod vt clarius percipias, scito exteriora opera trifariam distingui. Quædam enim sunt ex suo genere seruilia: & hæc sunt propria seruis vt opera mechanica, arare, fodere, suere &c. Quædam verò sunt ex suo genere libera: vt artium liberalium exercitia; vt pulsare instrumenta musica, disserere, scribere &c. Quædam verò sunt communia liberis & seruis: vt itinerari, curam sui agere &c. Sola prima sunt in festo prohibita. Reliqua sunt licita: & in tantum licita, vt etiam ipsa opera seruilia quãdo transeunt in communia fiant licita. Transeunt autem in communia dupliciter. Vel ratione necessitatis: quia scilicet occurrit necessitas eorum ad salutem corporis mei vel proximi: vt sunt opera prępatantium medicinalia, & seruitia infirmorum, & huiusmodi.

Vel ratione damni vitandi: vt quia segetes sunt in periculo, aut hostes timeantur, oportet laborare: & similia, quilibet enim siue seruus siue liber tenetur suę & proximi saluti consulere, & damnum vitare.

Quò ad tertium quum ab Ecclesia quatuor inueniantur in festo prohibita, quæ opera seruilia non sunt (scilicet fieri primò mercatum, secundò placitũ, tertiò iudicium ad mortem vel pœnam, quartò iuramentum nisi pro pace vel alia necessitate: vt patet in cap. omnes. extrà de feriis) secundum ac tertium intantum inhibentur, vt non solùm iudicialis strepitus conquiescat: nisi necessitas vrgeat, aut pietas suadeat, sed tam processus habitus, quàm sententia promulgata annulletur. in cap. conquestus.

Vt autem singula clarificentur confessoribus, aduertendum est mercati nomine duo posse intelligi. Primò nundinas quæ semel aut bis in anno alicubi iuxta diuersarũ patriarũ mores fiunt, seu quasi nundinas, quæ vulgariter dicũtur mercata, quæ semel aut bis aut etiam ter in hebdomada alicubi fiunt, dum

rustici &c. ad forum deferunt oua pullos, fructus, vinum &c. ad vendendum. Secundò, actum mercandi: hoc est emendi, & vendendi. Et si quidem nundinæ intelligantur, ius hoc contraria consuetudine prævalente, nullibi fortè locum habet. Et quia Prælati iamdiu viderunt & vident, nec reprehendunt, pro abrogato haberi potest vbi sic fit. Si verò quod vocatur mercatus intelligatur iuxta vulgare expressum, à consuetudine approbatur: & vbique quantum memini vidisse, mercatus qui die festo occurrit, in alterum transfertur diem. Si autem actus mercandi intelligatur, & sub actu mercandi omnis actus vendendi, locandi, conducendi, &c. tunc grano salis eget quoniam consuetudo populi Christiani in multis oppositum habet. Panis enim, vinũ, herbæ, fructus, carnes, & reliqua homini ad minutum (hoc est pro vsu illius diei) passim emuntur & venduntur vbi inueniuntur. Nec est dubium licitè fieri quodlibet horum & similium, nisi Episcopus aliquid horũ prohibeat aut reprehendat, vel per totum diem festum, vel vsque ad certã horam, puta vesperarum: quod laudabile est fieri, vbi obedientia speratur. Et hinc habes quid de tabernariis, hospitibus, laniis, piezicarolis, & similibus iudicare debes: scilicet iuxta consuetudinem non reprehensam à Prælatis. Placiti nominis iudiciales lites intelliguntur. Quæ duobus sunt tantùm casibus concessæ in festo, vel vrgente necessitate, vel suadente pietate. Et hinc excusantur iudices rurales ius dicentes rusticis iuxta patriarum aliquarum consuetudines, pietatis enim causa hoc fit, ne pauperes perdant diurnum laborem necessarium eis ad victum: & eadem ratione causis miserabilium personarum intendere licet. Vrget quandoque ad hoc necessitas: vt quia haberi postea non potest testis aut iudex, &c. Iudicium ad mortem vel ad pœnam, nisi in flagranti crimine repertus

pertus statim puniendus ob necessitatem sit: quia timetur, ne impediatur iustitia, si detinetur: vel quia latronum augmentum hoc exigit: vel quia temporis, puta belli conditio hoc requirit. Hoc enim quod pro reuerentia festi institutum est, non debet contra rectæ rationis iudicium dilationem vetantis, militare: quoniam spiritus sanctus est spiritus sapientiæ intellectus scientiæ & consilii. Iuramentum demum in festo prohibitum intelligo iudiciale: nisi pro pace aut necessitate, quæ rectæ rationi relinquitur iudicanda.

Sunt autem quinque circa hoc præceptum diligenter considerandæ, ne præceps detur sententia de peccato mortali.

Primum est commune huic & aliis præceptis vt perspiciatur si formaliter (hoc est ex intētione) commisit vel omisit quis vt festum violaret, seu non curās quod violet festum: nam hoc est peccatū mortale ex suo genere, siue id quod committitur, sit opus seruile, siue ab Ecclesia prohibitum, si verò nec intentio fuit violandi festum, nec tam effectus fuit commissioni aut omissioni vt non curauerit implicitè de violatione festi (rediret enim tunc actus in naturam suæ speciei) non incurritur peccatum mortale: quia nō propriè fit contra præceptum. Potest tamen grauius & minus graue & leuius in huiusmodi interuenire veniale peccatum iuxta excessus modum consideratis persona, notitia, ratione, & reliquis singularibus circunstantiis. Et hinc excusantur à peccato mortali infinitæ commissiones & omissiones, quasi bona fide non credendo agere contra peccatum patratæ. Secundum quoque commune est modicum pro nihilo reputari: ita quòd propter imperfectionem actus (hoc est violationis festi) non requiratur violatio: sicut propter imperfectionem nocumenti lædere

proximum in minimo, veniale est: vt patet in furto, detractione, & cõtumelia. Et hinc excusantur à mortali parum laborantes, vel suendo, tondendo, vel reparando aliquid, &c. & similiter ementes aut vendentes rem vnam, minimum tempus in hoc occupando, & similiter qui modicum quid Missæ omittunt. Qui verò communicato sacerdote, à Missa recedunt non expectata benedictione, peccant absque dubio, non tamen mortaliter: quia non omittitur pars notabilis, doctrina siquidem & sacrificium Missæ iam completum est.

Tertium est, quòd ex causis sex excusantur opera in festo illicita. Primò, ex diuino cultu. Hinc enim licita fiunt opera per se ordinata ad cultum diuinum, quæ scilicet sunt partes diuini cultus: vt gestare cruces, statuas sanctorum in processionibus: & quæ sunt præparatoria quasi simultanea cum diuino cultu: & pulsare campanas. Et quæ debuerunt prius præparari, si tamen tunc supersunt agenda: vt mundare & ornare templum, cõficere hostias pro Missis. Hæc enim debent ante festum fieri: sed si ex rationabili causa non potuerint fieri, possunt in festo fieri. Dixi autem per se ordinata: quia opera seruilia, quæ accidentaliter ordinari possunt ad cultum diuinum (vt fodere terram, colere agros, ædificare domos, & huiusmodi) non fiunt licita ex hoc quòd fiũt propter Ecclesiam: vt consuetudo Christiani populi testatur, & ratio exigit: quoniam hæc quia impediũt diuinum cultum, prohibita sunt. Quòd si alicui necessitas pauperculæ Ecclesiæ hoc facit licitum de consensu Episcopi, non damno: non tamen extendendum consulas, quum ipsi Ecclesiæ seruitores & rustici teneantur non minus quàm alii ab operibus seruilibus in festo abstinere. & si ipsi tenẽtur seruare, quomodo aliis licet propter ipsas Ecclesias non seruare?

Secundò,

Secundò, ex pietate. Et hinc licita sunt in festo iudicialia: vt decre. dicit. pro miserabilibus enim personis noluit Ecclesia hæc prohibere. Vnde & tolerantur iudices in villis ius rusticis dicentes causa pietatis, quia aliis diebus non possunt sine damno conueniri: & similia. De pietatis verò operibus, cum supradicta distinctione dicito opera per se pietatis semper esse licita: vt sepelire mortuum, seruire infirmo, & huiusmodi. Seruilia autem opera quæ accidentaliter possunt ad pietatem ordinari nequaquam ex pietatis ratione fiunt in festo licita, nisi necessitas exposcat: tum quia in iure non ceditur: sicut opus iudiciale quod esset in festo licitum, nisi ecclesia prohibuisset, quia non est seruile, tum quia opus religionis (quale est obseruare festum) non est præmittendum, occupando se in seruilibus propter pietatem cessante necessitate. Et ideo ex hoc capite nõ dicas quòd reficere põtes & vias, &c. licitum sit in festo propter pietatem. Et confirmatur: quia hæc nõ sunt licita propter consanguineos: ad quos vna eademque pietas est. Noli tamen damnare hæc facientes simplici corde, arbitrantes obsequium se præstare Deo: quia aliunde illis subueniri potest, scilicet ex consuetudine, vel auctoritate maiorum, vel ex necessitate. Tertiò, ex necessitate. Et hæc habet multos ramos: scilicet necessitatem proprii corporis, necessitatem corporis proximi, necessitatem vitandi imminentis damni tam in rebus propriis, quàm proximorum, & demum necessitatem publicæ vtilitatis. Ex his enim excusantur in primis non solum iudicialia (vt Decret. expressè docet dicens: nisi necessitas vrgeat) sed etiam opera quæcunque ad subueniendum infirmo opportuna, minutorum, aromatariorum, tonsorum, & breuiter omnium. Hinc quandoq; & lanii tempore æstiuo vel continuorũ festorũ, & similiter molitores & pistores

superueniente multitudine egentium pane, & similes excusantur. Hinc sub hasta vendere in castellis, auctoritate publica, ne dammum incurrant domini rerum, excusantur: quia aliis diebus non comparēt emptores occupati agriculturæ. Hinc bellare, fossas, aggeres, propugnacula facere quandoque, succurrere ruinæ, tollere fruges ab illuuione, ab igne, ab incursionibus, & similia opera, ferrare equos in itinere, cōtinuare muliones iter, excusantur. Et similiter artifices eorum quæ continuatam exigunt operam (vt decoctio laterum, saponū, calicis, & similia) possunt operas suas in festis cōtinuare. Et similiter qui sunt adeò indigentes, vt nisi laborent in festis, non possunt se suosq; filios substentare, magna vrgente necessitate ad laborādum in festo, & ideo excusantur, audita tamen Missa, secretò laborando ob vitandum scandalum. Præcepta siquidem Ecclesiæ, secundum id quod in pluribus inuenitur, intelligenda sunt ligare, communiter autem homines, communibus Ecclesię festis seruatis prouidere sibi suisque possunt, sed vbi aut tot sunt multiplicata festa, aut tanta vrget necessitas, vt non possit quis illa seruando sibi suisque prouidere, cessat legis vinculum: nisi quis dicat quod tenetur ille mendicare: quod est stultum. de violentia autem coactis ad laborandum in festo, distinguendum est: quoniam si violentia infertur ideo vt iniuria fiat festis, non est parendum, sed potius est moriendum: nam sicut tenetur quis mori potius quàm loco sacro iniuriam facere, ita tenetur quoque mori potius qui tempori sacro iniuriam inferre: vtrunque enim sacrilegii crimen est. Vnde Machabæi potius mori elegerunt quàm carnes porcinas comedere: quia ad hoc cogebantur vt contra legem facerent: tunc enim vrget CHRISTI communicatio: Qui meos sermones erubuerit coram hominibus &c. Si verò in-

fertur

fertur violentia non propter festi iniuriam sed propter exactionem operis,& nisi serui, famuli, subditi, aut quicunque sic compulsi pareāt, imminet eis damnum in persona vel rebus, tunc ex necessitate imminentis damni vitandi, possunt audita (si possunt) Missa laborare. Necessitas demum publicè vtilitatis rationabiliter excusat labores illos, qui nisi absque discretione dierum fierent, magnum respublica sentiret incommodum, in quo genere sunt cursores, qui non ob priuatum damnum sibi aut alteri imminens vitandum, sed quia ars sua est, omni tempore illam exercent, semper parati. Hos enim aut oportet damnare, aut ex hoc quod publica vtilitas huiusmodi exigit artem, excusare non solùm à labore, sed etiam ab omissione Missæ, in quam frequenter incurrere hos oportet. Et quoniam non damnantur aliæ licitæ artes, quæ festorum violationem inducunt (vt nauigatiua, & quæcunque continuum exercitium plusquam sex dierum inducunt) rationi consentaneum est, vt ars cursorum, siue peditum, siue equitum valde vtilis reipub. excuset dantes illi operam,& inde viuentes: præcipuè, quia non spectat ad eos quærere quanta & qualis est necessitas eundi, nec hoc est cōsuetum quærere. Vnde hos & similes ex necessitate publica excusat: ita quod ex cōsuetudine scita & non reprehensa à Prælatis excusatio compleatur. Quartò, ex occursu lucri transitorii. Indulsit enim Ecclesia (vt patet in cap. licet. de feriis) vt alecia quæ quodam tempore transeunt, capere liceat in festo. Et pari ratione non solùm alios pisces transitorios, sed quomodolibet repēte occurrat transitorium aliquod lucrum aggredi licitum est: tanquam huiusmodi lucrum cessans damnum reputetur. Sed memento moderaminis subiuncti: vt scilicet circumpositis Ecclesiis & CHRISTI pauperibus honesta lucri portio

detur. Quintò ex hoc quòd corporale opus est spiritalis actus exercitium. Et hinc scribere ad docendum, vel discendum, vel ad significandum alteri (vt fit per literas) consilium dare verbo vel scripto, & legere in scholis non solùm Theologiam, sed Philosophiam, & quamcunque aliam licitam scientiam, & concilia ac electiones facere studere, & reliqua quæ mentis opera ita sunt, vt non ad exteriorem perficiendam materiam sint, vt artium mechanicarum exercitia materiam perficiunt, formando lignum, ferrum, lanam, linum, &c. procul dubio licita sunt in festo: quoniam nihil horum est seruile opus, nec inter prohibita ab Ecclesia computatur: imò ex hoc capite excusari videntur ii qui diebus festis picturis inspiciendis vacant discendo & retrahendo, non vt pingant, sed vt discant: & archimagistri qui designant in charta quomodo aliquid sit fabricandum ad instruendum aliquem de futuro opere. Hæc enim spiritalis potius est exercitatio, non operis mechanici sed doctrinæ & disciplinæ. Sextò, ex consuetudine Christiani populi generali aut speciali in aliqua patria, scita, & non solum tolerata, sed non reprehensa ab Episcopis seu Prælatis. Hinc enim coquorum, tabernariorum, hospitum, nautarum in fluminibus, vendentium & ementium ad minutum comestibilia, conducentium equos aut operarios pro die crastina, mundinarum itinerumque exercitia, & similia consueta excusantur. Et meritò: quia sicut consuetudo potest facere de licito opere illicitum quantum ad tempus: ita econtrariò potest de aliàs illicito in festo efficere licitum. Quartum est, ne fallaris, iudicare volens opus licitum vel illicitũ in die festo ex hoc quòd fit vel non fit mercenariè: quoniam omne opus quod licitum aut ex se aut ex necessitatis articulo aut consuetudine & huiusmodi, in festo est, si venale est,

potest mercenariè in festo fieri, nec per hoc redditur seruile: vt in commentariis super secunda secundæ quæst. cxxii. diffusè declarauimus, vbi latius de festorum obseruatione disseruimus. Quintum est quòd licet cum abstinentia à seruilibus solius Missæ cultus sufficiat in festo ad euitandum mortale peccatum, tenentur tamē fideles diem expendere in diuinis laudibus, saltem eundo ad prædicationem & ad vesperas. vnde qui festos dies post Missam vanè consumūt ludendo, iocando, otioseque vagando aut venando, spectaculis intendendo, & huiusmodi, licet ex ipsis operibus, vtpote non seruilibus, mortale non incurrant: ex omissione tamen diuini cultus ad quem festa instituta sunt, grauiter peccant: quia non reddunt quæ sunt Dei Deo: & quia quantum in se est, ridiculo exponunt Christiana fest: iuxta illud: Viderunt eam hostes & deriserunt sabbata eius. Et hoc præcipuè tangit viros graues, & maiores, & dominos, cæteri nanque eos imitantur.

Festa populo Christiano indicta quæ sint.

QVæ sint festa ab omni Christiano populo seruanda, ex consuetudine discerne, Nam certa quidem sunt omnium dierum dominicarū, Natalis, Circuncisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duobus diebus seq. Ascensionisq; Domini, ac Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, & corporis Christi, quatuor solennitatum beatæ Mariæ semper virginis. Purificationis, Annūtiationis, Assumptionis, & Natiuitatis: natiuitatis Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum quò ad festa principalia (quod dicimus propter festa eorum secundaria: vt cathedra Petri, & similia) martyrum duorū Stephani & Laurentii & festiuitatis omnium sanctorū & Inuētionis sanctæ Crucis. De festis verò sanctorū Angelorum,

& præcipuè in Septembris fine : de ſancto Martino, Silueſtro, ac Innocentibus, & ſimiliter de dedicatione Eccleſiæ, & quibuſcunque aliis poteſt conformare ſe quiſque conſuetudini patriæ. Quod ideò dixerim, quia non videntur prædicta vbique ſeruari, quamuis præcepta dicantur.

Conſuetudo in feſtorum obſeruatione ſeruanda eſt.

CIrca principium & finem feſtorum, patriæ conſuetudo ſeruetur, ita vt licet communiter feſtum celebretur de veſpera in veſperam: ſi tamen ars aliqua (puta ſutoria aut tonſoria) conſueuit à media nocte in mediam noctem celebrare, ſeruari poteſt huiuſmodi conſuetudo : habetur enim pro approbata patriæ conſuetudine quantum ad illas artes quæ ſic conſueuerunt abſque Prælatorum reprehenſione celebrare feſta.

Filius poteſt tripliciter in parentes peccare.

FIlii peccata peculiaria ſunt tria. Primum eſt irreuerentia parentum, quæ ſi notabilis eſſet iniuriando, irridendo aut operando, peccatum proculdubio mortale impietatis eſt. Secundum eſt, inobedientia quò ad illa in quibus filius ſubiicitur patri : ſubiicitur autem & quò ad domeſticam gubernationem, & morum inſtructionem: eſt enim pater ex naturæ iure gubernator & inſtructor filiorum & domus, & ideo inobedientiæ crimen filius incurreret paterna præcepta contemnens. Tertium eſt omiſſio ſubuentionis: & hoc in caſu neceſſitatis : quoniam pater tenetur ſuſtentare filium, & non econtrario, niſi in caſu neceſſitatis: in quo filius peccat pluſquam mortaliter non ſubueniendo patri indigenti, iuxta vires prouidendo illi de neceſſariis. Impietatis enim hæc omnia crimina ſunt : quia pietas parentibus cultum obſequiumque

quiumque præbet,& sunt cõtra primum præceptum secundæ tabulæ.

Concubitus soluti cum soluta semper est peccatum.

FOrnicatio (hoc est concubitus naturalis solutī cum soluta) peccatum mortale est: dicente Apostolo quòd excludit à regno Dei. ad Gal. v.

Fraus an semper in peccatum inducat.

FRaus peccatum sonat, sicut & mendacium sed mortale vel veniale iuxta materiam. Nam fraus ad damnum proximi tendens pernicioſa est, nisi circa minimum versetur. Si verò iocoſa aut officioſa est, venialis est, quia non contra dilectionem Dei aut proximi militat. Excusatur quoque fraus nociua à mortali, si præter intẽtionem accidit: sed quum illam percipit, tenetur damnum resarcire, & famæ suæ consulere, ne scandalum sit de eo tanquàm doloso.

Ablatio rei cuiuscunque inuito domino semper peccatum est.

FVrtum (hoc est occulta acceptio alienæ rei inuito domino) peccatū est mortale ex suo genere: quia iustitiam violat contra charitatem proximi: potest tamen esse veniale propter imperfectionem actus, vel ex parte primi motus vel ex parte paruitatis rei: quia modicum pro nihilo reputatur, non enim reputatur quis læsus in rebus ex parua re ablata.

Sunt autẽ quatuor circa furti peccatum aduertenda. Primũ est, de animo furandi, ne erres intelligendo quod si quis surripuit pomum peccet mortaliter, quia habet animum illud pomum furandi. Error est iste: quoniam animus furandi importat animum inferendi nocumentũ proximo: non vocatur autẽ nocumentum si est nocumentum secundum quid, quale est

est nocumentum in re minima. Et propterea per animum furandi, intellige solummodo animum surripiendi aliquid notabile. Et ideo si quis surripit aliquid minimum, hominis animum non surripiendi aliquid notabile excusatur à furto mortali. Si autē paruum surripit, ita quod si posset, notabile etiam aliquid acciperet, proculdubio animo furandi accipit, & peccat ex furtiuo animo mortaliter. Et hinc habes vnde furta famulorum famularumque excuses, quum comestibilia domi surripiunt vt comedāt: sunt enim communiter peccata venialia. Et signum animi non furtiui est quando non æstimat quis accipere, quia modicum est, aut pro modico æstimat quod accipit. Secundum est, de inuito domino: quoniam intelligitur respectu rei ad hoc quod sit furtum. Potest siquidem dominus rei esse inuitus dupliciter. Vel quantum ad rem quæ surripitur: vel quantum ad solum modum accipiendi, puta, quia displicet ei quod occultè accipiatur, & non quòd res tollatur: vt sæpe contingit in furtis domesticis inter patrem & filium. Non enim committit furtum filius occultè surripiens res patris volentis filium res illas habere, sed nolentis quod occultè acciperet: quoniam tunc propriè loquēdo non inuito, sed non vidente domino accipit. Et hinc multas occultas acceptiones domesticas excusare potes, dum præ verecundia aut respectu tolluntur res occultæ nō inuitis dominis quò ad rem, venialia siquidem sunt omnia hæc.

Tertium est de re aliena, intelligitur nanque in proposito res alienas nō solum quantū ad dominum: quia scilicet res est alterius, sed etiam si tantummodo sit alterius quantum ad custodiam seu detentionem: ita quod si quis rem propriam quam alius tenet, vel in pignus, vel in depositum, vel etiam quia furto illam subtraxit furtiuè accipit, furti crimen incurrit: quia

rem

rem alienatam quantum ad custodiam occultè accipit custode inuito: debet enim iuris ordine seruato rem suam repetere, & non sibiipsi ius dicere, est autem aduertendum quòd licet ita sit regulariter: in casu tamen quo quis non potest iuris via rem suam recuperare, aut propter paupertatem, aut propter excellentiam detinentis, aut propter defectum iudicis vel probationem, aut propter scandalum &c. absque scandalo potest quis secretè rem suam recuperare: non creditur reus furti: quia tunc non propriè ius sibiipsi dicit: sed exequitur naturale ius circa rem suam, ex quo ius ciuile impeditum est ei. Tenetur tamen efficere, vt qui detinebat, sciat se non teneri ad restitutionem illius rei: ne si ad pœnitentiam conuersus fuerit, damnum incurrat ipse aut eius hæres iterum restituendo.

Quartum est quod inter aliena computantur inuenta: tenetur enim inuentor non sibi sed domino reddendam accipere rem inuentam si bona conscientia accipere vult illam, alioquin furtum committit. Et si quidem dominus scitur aut diligentia præmissa inuenitur, reddatur illi. Si autem dominus non inuenitur (quia fortè viatori cecidit) debet illi reddi in bonis spiritualibus, ex quo non potest in temporalibus reddi. At si inuenta domino carent, sunt inuentoris: sicut quæcunque in nullius bonis sunt, occupantis sunt. De thesauris tamen vbi ius ciuile disponens in obseruantia est, seruandum est. Naufragorum verò bona iuxta leges quorundam litorum confiscata ex hoc ipso quod ex naufragio sunt, nescio qua iustitia occupentur, nisi illa qua afflictio additur afflicto. Vnde non leges, sed legum corruptiones ac tyrannides sunt. Nec excusantur seruantes illas: imò (vt patet extra de rapto. cap. excommunicationi.) nisi ablata restituant, excommunicationi se nouerint

rint subiacere, qui Christianos naufragium patientes spoliant.

Inanis gloriæ appetitus an semper in peccatum inducat.

GLoriæ humanæ appetitus licet malus non sit (nam ita licitum est cupere & quærere humanam gloriam, sicut licitum est cupere & quærere alia bona humana, scilicet pecunias, agros, & huiusmodi, est enim gloria vnũ inter bona humana non paruũ) inanis tamen gloriæ appetitus peccatum est: quia à recta dissonat ratione omne vanum. Est autem gloria vana non solum quando de falsis est, sed etiam quando de trãsitoriis, aut à transitoriis expetitur, quia non solùm de falsis vana est gloriatio (vtpote de his quæ non sunt) sed etiam quum transitoria tanti fiũt, vt de illis aut ab illis quæratur gloria, vanitas est. Sufficere debet homini à transitoriis gloria transitoria vt sic, & non quasi gloria absolutè: illa enim parui fit, si cognoscitur, dum autem magni fit, quia vt gloria absolutè æstimatur, vanè appetitur: quia reuera magnum quid non est. Non est autem semper mortale peccatum: sed solùm quando amor gloriæ repugnat charitati, vel quantum ad illud de quo est gloria, vel quantum ad intentionem appetentis gloriam. Et primo modo solùm peccat mortaliter, qui gloriatur de aliquo quod est peccatum mortale, quicquid sit illud. Secundo verò modo, qui ponit suum finem vltimum in gloria humana, hoc est, qui tantum afficitur gloria, vt illam præferat obseruationi præceptorum: vt est ille qui ob amorem gloriæ consequendæ, vel timorem gloriæ perdendæ incurrit aliquod peccatum mortale: vt Lucretia elegit adulterium ne infamaretur: cuius oppositum elegit Susanna, præferens diuina præcepta gloriæ humanæ & vitæ.

Gula

Gula quid dicatur, & an semper sit peccatum.

GVlæ peccatum consistit non in hoc quod cibus delectabilis delectabiliter sumitur: quoniam hoc nullum peccatum est: nisi quis sit adeo insipiens, vt putet omnem voluntariam delectationem sensibilem esse peccatum. Sed consistit in hoc quòd inordinate delectatio cibi appetitur aut habetur: puta quia plus aut prius &c. quàm deceat delectatione cibi afficitur homo.

Et tunc solum est mortale quando delectationem cibi habet quis pro vltimo fine, iuxta illud, Quorum Deus venter est. Hoc autē cognoscitur ex hoc quòd homo ob delectationem in comedendo non curat transgredi præceptum Dei aut Ecclesiæ: vt sic propter hoc furetur, aut contemnat ieiunare &c.

Frequenter autem est mortale: & quandoq; valde graue: vt cùm delectatio cibi alicit ad comedendum vsque ad vomitum, aut alia inconuenientia & similiter quñ inducit ad alia peccata, puta ad nimium sumptum, vel ad nocendum propriæ sanitati, & ad quæcunque alia peccata: quæ secundum se sunt iudicanda quanta sint.

Mutatio habitus debiti & conuenientis vitiosa est, nisi causa rationabilis interueniat.

HAbitus debiti omissio vel occultatio, nisi rationabilis causa excuset, peccatum est: quia contra aut præter rectam est rationem. Quinque autem habitus differentias debitas in communi conuersatione humana inuenimus. Prima est, circa differentiam maris & fœminæ. Et constat peccatum esse marem in habitu fœmineo, aut econtrario

conuersari, & in Deuteronom. cap. xxii. prohibetur vt abominabile domino, & in decretis dist. xxx. anathema sit mulier virilem induens vestem. Verùm hæc intelliguntur, quando pro superstitione aut luxuria fiunt. Vnde si in laruis aut comœdiis hæc fiant, transire possunt. Sed in continua conuersatione non est permittendum: quia contra bonos mores & custodiam castitatis communis est. Et nisi ab episcopo moniti sub pœna excommunicationis desistant, excommunicandi sunt & ejiciendi de conuersatione humana. Secunda est, circa differentiam clericorum & laicorum. De qua vide suprà in verbo, clericus. Tertia est, circa differentiam religiosorum & aliorum. Et quantum ad religiosorum dimittẽtium habitum, peccatum, vide infrà in verbo, religiosus. Quantum ad aliorum peccatum, qui religioso habitu in laruis vtuntur, distinguendum est an fiat laudabilis repræsentationis gratia: quia tunc non est peccatum, aut in religionis vel religiosi ludibrium: & tunc ratione iniuriæ notabilis est peccatum mortale, aut sola vanitate: & tunc vana transire potest, si secundum veritatem non irrogatur iniuria alicui notabilis.

Quarta est circa differentiam Christianæ fidei ab aliis festis: puta Iudæis, Mauris, &c. Nam si differentia certa distinctiua Christianorum & aliorum est, ita vt quilibet vtens tali habitu fateatur suam fidem: mortale esset peccatum Christiano deferre habitum Iudæi aut Mauri. Nec sic erat tempore quo beatus Sebastianus sub militari habitu degebat, ita quòd ex eius exemplo non licet ex causa quacunque in casu proposito contrauenire, puta Christianũ deferre super vestes characterem O, ex aliquo timore, vbi hoc est proprium signũ Iudæorum, quoniã hoc nihil aliud est quàm ex timore fateri se Iudæum. Nec est simile de clerico qui ob timorẽ iter agit in habitu

laicali

laicali: quoniam etiam explicitè tunc negare se clericum, non nisi officiosum mendacium est.

Quinta est, circa differentias statuum personarum, nobilium vel ignobilium, &c. Et huius violatio ad immodestiam pertinet. De qua infrà in verbo, ornatus.

Peccatum an possit in hastiludio committi.

HAstiludium (quo pro exercitatione bellica, aut pro solennitate festiuæ alicuius iucunditatis regiæ armati equites duo contra se inuicem currunt cum lanceis) ex suo genere peccatum mortale non est: quia in eo cùm interuenit vt in pluribus mors, aut mutilatio, aut quodcunque notabile personæ nocumentum: huiusmodi enim ludi ex hac sola causa pernicioſi sunt scilicet ex nocumento personali. Et propterea si verũ est quod supponimus (scilicet quod vt in pluribus non accidat homini nocumenti periculum) hastiludium & quicunque alius ludus militaris habens talem conditionem damnandus non est: quoniam actus humani ex eo quod vt in pluribus inuenitur, iudicantur. In cuius signum torneamenta damnantur, quia sæpe inde mortes proueniunt: vt patet extrà de torneamentis. cap. felicis.

Peccatum infidelitatis quibus modis committatur.

HAEresis crimen est infidelitatis, ex tribus constans: scilicet errore in iis quæ sunt Christianæ fidei pertinaciter. Et aduerte primò diligenter, quòd tertia conditio requisita ad hæresim (scilicet obstinatio) non sic requiritur, tanquam non sit hæreticus, nisi qui sit inflexibilis & immutabilis: sed sic exigitur quòd homo vult in iis quæ sunt fidei sic credere, non obstante quod Ecclesia oppositum decreuerit quantum ad manifesta, aut decernere quantum ad ambigua,

bigua. Verbi gratia, quantum ad manifesta: si quis vult deliberatè credere quod spiritussanctus nō procedit à patre & filio, aut quod non erit resurrectio mortuorum, aut quòd mortuo corpore moritur etiam anima, non eget alia obstinatione quia iam est hæreticus ex hoc quòd non dubitat hæc esse contra fidem sanctæ matris Ecclesiæ, & tamen ipse voluntate deliberata credit: hæc est enim satis pertinax qui eligit nō captiuare intellectū suū sacræ scripturæ sanctæque matri Ecclesiæ. Quantum verò ad ambigua, si quis ignem inferni aut aquas quę super cœlos sunt, credat esse vel non esse similes istis igni & aquæ existentibus apud nos, non propterea est hęreticus quia neutra pars clarificata est à scriptura vel Ecclesia. Sed si sic adhæreat vni parti, vt etiā si sancta mater Ecclesia decerneret alteram esse necessariò affirmandam, ipse nihilominus vellet deliberate credere suam partem, hæreticus esset propter hanc pertinacem animi præparationem adiunctam. Aduerte secundò quòd licet hæreticus purè mentalis sit verè & perfecte hæreticus, nō tamen excommunicatus sed ad hoc quòd sit excommunicatus, exigitur aliquis actus exterior: quia Ecclesia non iudicat actum interiorem nudum secundū seipsum. Vnde talis posset absolui à peccato liberè. Sed si etiā sibiipsi dixit exteriori loquela, iam est excommunicatus in cœna domini, &c.

Histrionatus exercitium an & quando peccatum.

HIstrionum peccatum non consistit in exercitio histrionatus: nam licitè potest officium suū exercere, hoc est vacare vt gestibus, verbis, nouis adinuentionibus delectationem aliis præbeat, seruatis debitis circūstantiis. Sed pręcipuè consistit in materia, vel inhonesta vtēdo scilicet actibus aut verbis inhonestis.

Vel

Vel diuina ponendo res fidei aut Ecclesiæ in locum. Vel iniurioſa, deſpiciendo alios. Aut adulatoria, &c. Peccant quoque ſecundum locum, tempus, negotia & perſonas: dum horum aliquid non conſiderant aut paruifaciunt. Peccant & tertiò ex fine, nimis placere cupientes hominibus. Quando autem in huiuſmodi peccatum mortale interueniat, non facilè dixerim: quia iocosè hæc dicuntur & fiunt. Veruntamen in iis quæ ex ſuo genere ſunt mortalia (vt iniuriæ diuinorum & hominum, & ſimilia) niſi paruitas offenſæ excuſat, quia modicum pro nihilo reputatur, peccatū mortale incurritur: quia licet iocoſitas excuſet à tanto, non tamen à toto. Propterea huiuſmodi autem annexa hiſtrionatui, ab Aug. tantopere damnantur hiſtriones & dantes eis: vt habes in decretis, diſtin. lxxxvi. c. donare, &c. qui venatoribus. el primo.

Peccatum homicidii dupliciter poteſt incurri.

HOmicidium (hoc eſt illicita hominis occiſio) peccatum mortale eſt, contra iuſtitiam & charitatem. Et quia occidere hominem dupliciter contingit (vel per ſe, hoc eſt intentione occidendi: vel per accidens, hoc eſt præter intentionem) ſi eſt ex intētione, eſt illicita ex triplici capite. Vel ex parte hominis occidendi, quia non meretur mortem. Et hinc ſemper occidere innocentē eſt illicitū: niſi per accidens iudex excuſetur in caſu in quo oportet ipſum ſecundum allegata & probata damnare innocentem ad mortem. Et ſimiliter per accidens excuſatur, carnifex exequens ſententiam iniuſtam, non continentem errorem manifeſtum. Et ſimiliter excuſantur milites ſubditi in bello occidentes, ex obedientia ad bellum reputatum iuſtum, quanuis ſecundū ſecretam veritatē ſit iniuſtum, accidentes: iuxta illud Auguſt. contra

Manichæos: Vir iustus si fortè etiam sub Rege & homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est vel vtrum sit, certum nō est: ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperādi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiēdi. xxiii.q.i. quid culpātur. Vel ex parte occidentis: quia scilicet publicam authoritatem nō habet supra illius occidendi vitam. Et hinc semper est mortale occidere ex intentione hominem absque publica authoritate: nec vllam noui exceptionem. Hinc enim homicidii rei sunt non solùm ex vindicta, rixa, &c. occidentes, sed etiam qui se ipsos defendendo, alios occidunt: hoc est ideo se defendunt vt occidant vel non sunt defensione contenti nisi occidant: quum solummodo in foro conscientiæ liceat eis occidere per accidens, hoc est ideo occidere quia se defendunt, quia non possunt aliter se defendere nisi occidant. Iuxta hoc caput (scilicet ex parte occidentis) peccatum accidentaliter interuenit, si mala sit occidentis intentio, vt quamuis iusta sit occisio, occisor tamen ex odio vindictæque liuore mandat aut exequitur. Hoc enim accidentale omnino est: quia ex mala intētione etiam opera misericordiæ polluuntur, & non solum hæc iustitiæ opera.

Vel ex parte modi occidendi: quia scilicet non seruato iuris ordine, scriptū est enim: Iustè quòd iustum est exequeris. Deuteronom. xvi. Et hinc homicidii sunt rei occidentes veneno vel aliàs secreto de mandato dominorum non citatos, non auditos, non damnatos, etiam si læsæ maiestatis dicerentur rei. Nec excusat authoritas principis, etiam si constaret principi, vt personæ priuatæ quòd meretur quis mille mortes: quoniā scientia & potestas currūt pari passu: hoc est quod oportet potestatem publicam moueri à

scienti

scientia publica, & secundum illam regulari. Nec hoc est de iure positiuo vt possit princeps legibus solutus non seruare, sed est iuris naturalis: exigit namque naturæ actus publici (qualis est iusta occisio hominis ex publica potestate) vt sit ex publica voluntate, & publica scientia alioquin nec causæ sunt subinuicem commensuratæ (dum potestas est publica, & scientia est priuata) nec adhibentur causæ commensuratę effectui dum actio potestatis publicæ ponitur exire à scienta priuata. Sunt igitur homicidæ & principes & consulentes & exequentes occisiones hominum indemnatorum ex publica scientia.

Nec excusat (quam alligaret princeps) ratio scandali vitandi, aiunt enim persuadere necem conantes, quod illum mortem mereri constat clarissimè: sed vt honor illius & familiæ, & dignitates seruetur, & vt scandalum vitetur, oportet ipsum sine iudicio occidere cum dexteritate, sunt enim diabolicæ artes ad excusandas excusationes in peccatis. Nec propterea damnamus iudices qui repertos in flagranti crimine notorio (vt latrones in viis & huiusmodi) statim suspendi iubẽt, interuenit siquidem ibi notorium facti, loco accusatoris & testium, faciens publicam sententiam, & excitans publicam voluntatem & potestatem ad publicum iustitiæ actum. Et hinc videre potes non excusari officiales & sub dominos quibus à regibus iubetur vt aliquem inauditum sine vllo crimine notorio capiant ac decapitent, si iussa perficiũt. debent siquidem obedire quantum ad capturam & custodiam (quia hoc ex rationabili causa potest Rex iubere) sed non quò ad occidendum: quia hoc non potest Rex absque scientia publica iubere: scientia autem publica non est nisi tripliciter, scilicet vel ex propria confessione iudicialia, vel ex probatione iudicialia, vel ex notorio facto. Vnde vbi nullus inter-

uenit actus iudicialis nullumque extat notorium crimen, non est exequendum principis mandatum, ad necem proximi. Nec excusat obedientia tanquam in dubiis, quia non est subditi discernere superioris iudicium: quoniam hoc habet locum in iis in quibus princeps potest benè & malè iubere non autem in iis in quibus certum est eos esse homicidas, quale est mandatum propositum.

Hinc quoque mortaliter peccant iudices, qui non seruato iuris ordine damnant ad mortem aliquos etiam si morte sunt digni: si tamen aliquid de substantialibus omittitur, puta sufficientia testium: est enim tunc iudex ipse homicidii reus, quoniam occidit hominem non vt ius seruans & dicens. Ex his demũ clarè habes quod occidere seipsum, semper est illicitũ: quoniam occiditur homo contra naturalem charitatem suipsius, & contra iustitiam quum nullus sit suipsius iudex nec propriæ vitæ dominus, & quilibet sit pars ciuitatis, & solus Deus sit qui occidit & viuere facit.

Hominis occisio accidentalis dupliciter considerari potest, ad hoc vt in peccatum occidentem inducat.

OCcisio autem hominis per accidẽs (hoc est præter intentionem) illicita ex duplici capite inuenitur, vel ex immoderata actione, vel ex negligentia. Et ex primo quidem capite, infiniti sunt modi iuxta plurima immoderata opera ex quibus potest occisio hominis prẽter intentionem operantis euenire. Nam & immoderata sui aut proximorum, aut rerum defensio, illicitam reddit inuasoris occisionem: quæ si moderata esset, non ei ad peccatũ imputaretur mors inuasoris: nam non solũ seipsum, sed proximum) vt Ambr. in primo de officiis testatur: & habẽtur xxiii. quæst.

quæst.iii.in cap. fortitudo. & cap. non inferenda.) tuendo licet occidere iniuriam ignorantem, & pari ratione tuendo libertatem membrorum suorum, ne scilicet turpiter patiatur: & similiter integritatem, ne mutiletur aut vulneretur: & similiter necessaria ad vitam & virtutem ne perdat res suas aut suorum. Quæ si vis, vide diffusè in cõmentariis nostris super secunda secundæ. quæst.lxiiii. art.vii.ad secundum. Et notabis verba Ambrosii, quæ vniuersaliter de iniuria loquuntur. Immoderata quoque venatio seu sagittæ emissio, equitatio seu relaxatio equorum calcitrantium, aut animalium malignantium, & quorumcunque lædere valentium, culpabilem reddit mortem inde sequentem. Immoderata demum medicina tantò magis homicidã medicum reddit quantò minus est præter intentionem: quia non debet tentare medicinarum vim cum periculo vitæ alienæ: nec vbi certa notitia morbi deest, potest exhibere periculosam de vita medicinam: de cuius medicinæ viribus non potest se excusare, qui professionem facit medicinæ. Comprehenditur sub hoc quoque genere oppressio tenellorũ paruulorum in lecto, ex hoc quòd tenentur simul ad dormiendum: quum hinc facilè possit talis oppressio sequi. Hoc autem intellige communiter: posset enim in particulari casu hoc licere, in quo scilicet secundum sensatorium iudicium non exponitur infans oppressionis, periculo. Propter frigus autem non video licere: quia non sunt facienda mala, vt euitetur aliud malum, sed potest aliter prouideri: puta ponendo tabulam aliquam intermediam, ne possit infans opprimi, & huiusmodi: & tantò plus quantò ætas illa patiens est frigoris. Ex secundo verò capite (scilicet ex negligentia) infiniti sunt modi, iuxta infinitos casus in quibus huiusmodi negligentia interuenire potest. Colligendo ta-

men ad genera , distinguitur negligentia eorum qui possunt & debent ex officio prouidere, à negligentia eorum qui possunt,& debent ex articulo occurrentis necessitatis prouidere:nullus enim negligit,qui licet possit , non tamen debet . Exigit enim negligentia tria :scilicet posse, debere, & non facere. Imputatur igitur homicidii peccatum dominis & officialibus, si ex eorum negligentia occiditur homo. Et hoc siue in casu inuasionis particularis occurrat:siue in casu quo publicis viis non prouidetur, siue in casu quo ciuitas sine iustitia aut quasi sine iustitia regitur: & quasi cuilibet licet impunè occidere, mutilare,ob fauores aut pecuniam aut ignauiam, &c. omnium enim malorum huiusmodi rei sunt, qui tenentur custodire iustum publicum. Sub hoc quoque genere comprehenditur negligentia medicorum, qui curam ægri alicuius susceperunt,quum ob eorum negligentiam in studendo, visitando,&c. perit, quoniam ex susceptа cura tenentur. Imputatur denique homicidii crimen iis qui possunt & ex articulo necessitatis occurrente tenentur occurrere , si non occurrunt. Primò, si non pascit quis fame morientem: iuxta illud Ambros. Si non pauisti, occidisti. Secundò,si nō occurrit ad tuendum proximum inuasum, si potest cum moderamine inculpatæ tutelæ: iuxta illud Ambros. Qui non repellit à proximo iniuriam si potest, tam est in vitio,quam ille qui facit, vterque enim casus est extremæ necessitatis. Tertiò, si non reuelando,aut retrahendo aut &c . prouident ne aliquis ex sibi noto tractu aut proposito &c. interficiatur: quia tenentur adiuuare & eruere quantum in se est à morte proximos . Ad hæc enim tria videntur omnes negligentiæ casuum necessitantium ad occurrendum ne quis pereat,reduci.In primo enim mors naturalis,in secundo mors violenta manifestè,in tertio

mors

mors violenta occultè imminens cogit proximum vt occurrat si potest.

Circunstantiæ quinque in canonicarum horarum celebrationis omissione considerandæ.

HOrarum canonicarum omissio exigit ad sui discretionem peccati, vt tractentur quinque: scilicet qui, quid, qualiter, quando, vbi. Et quantum ad primum (qui. s. teneantur ad horas canonicas) quamuis ex præcepto in iure contento soli presbyteri expressi inueniantur: communiter tamen tenentur, quod quicunque in sacro ordine constitutus absque rationabili causa (quæ semper subintelligitur) omittit, peccat mortaliter. Et similiter beneficiati, siue sint in sacris siue non, obligati dicuntur. In his tamen exceptio rationabilis videtur, vt scilicet excipiantur nihil percipientes de fructibus beneficii: ita tamen quod ex parte sua non desit percipere fructus: quia cessat ratio obligationis, tenetur enim beneficiatus ad officium diuinum, quia stupendium habet Ecclesiasticum. Et secundū hoc beneficiatus non appellatur quis quantum ad vinculum diuini officii si non potest habere possessionem ac fructus beneficii, nisi fructus ei postmodum dandi sint: quia tunc constat beneficium ei fructificare, quamuis actualis perceptio fructuū pro tunc sit impedita. Dicūtur & tertiò obligati religiosi professi. Et certè nisi cōsuetudo illos obliget (de qua nihil scio) non tenentur ex professione: vt patet ex hoc quod monachorum ordo contra regulares clericos distinguitur, ex eo quod isti diuinis ministeriis horarum canonicarum & missarum mancipati sunt, illi ad contemplationē abstrahēdo ab huiusmodi diuinis ministeriis. Hinc enim patet esse professos monachos in Dei Ecclesia absque horis canonicis. Vide

si vis S. Thom. in vlt. q. secunda secundæ. art. vii. ad secundum. & Hier. xvi. q. i. cap. alia. & cap. sic viue. & ca. si. clericatus. Vnde nec conuersi: quia ad seruitia clericorum in religionibus recipiuntur, nec professi in habitu clericali donec in sacris sint constituti, tenentur ex iure aut ratione ad horas canonicas. Victus nanque religiosis debetur ex eo quod totaliter Deo dicati in illa religionis obedientia sunt, non minus quàm debetur à temporalibus dominis & hospitalibus victus illis qui eis per totam vitam in ministerium adscripti sunt. Et de professis clericis, vt dixi, sta consuetudini: de conuersis non dubites. Tertia, nos verò & similes longè ab hoc vinculo esse scito: quia modus tantum quidam viuendi est eorum vocata religiositas.

Nec propterea de conuersis & tertianis fluctues quia in eorum regula seu statutis decernuntur illis quædam orationes pro horis canonicis: quoniam hinc fit quidem vt teneantur ad illas orationes sicut ad alia mandata regulæ, non autem vt teneantur ex Ecclesiæ præcepto ad horas canonicas. Hæc de primo.

Horæ canonicæ sunt iuxta Ecclesiæ propriæ ritum celebrandæ, & de iure septem sunt.

QVo ad secundum (scilicet quid dicere tenentur) ex iure quidem solum inueniuntur septem horę canonicæ præceptæ. Ex consuetudine autē quilibet debet iuxta suæ Ecclesiæ, seu religionis consuetudinem id dicere pro horis quod ibi consueuit pro horis diei. Et idem reputatur iudicium de adiunctis, siue suffragiis, siue psalmis, siue horis beatæ virginis &c. Discernendo tamen consuetudinem habentem vim præcepti, à consuetudine simplici: ita quod con-

ſueta ſecundum vim prȩcepti ſoluantur vt præcepta, & conſueta vt conſueta: non eſt propterea reus mortalis peccati commutans qualitatem horarum: puta ſoluens de ſanctis quas deberet ſoluere de feria: & ſimiliter ſoluens iuxta ritũ Romanæ Eccleſiæ, qui deberet ſoluere iuxta monachalẽ ritum: & ſimiliter cõmutans ordinem horarum, puta dicens ſextam prius, & poſtea tertiam. Et horum & ſimiliũ ratio eſt, quia ſubſtantia præcepti conſiſtit in hoc quod canonicæ horæ dicãtur, & nõ in qualitate aut ordine. Grauiter tamẽ peccant qui abſque rationabili cauſa huiuſmodi mutationes ad libitum faciunt. Hæc de ſecundo.

Diuinum officium deuotè & attentè & integrè celebrandum eſt.

QVo ad tertium (ſcilicet qualiter horæ dicendæ ſunt) quamuis diuerſi diuerſa ſentire videantur, plenus tamen ſenſus textus, in cap. dolentes. de cele. Miſ. manifeſtat ſub præcepto cadere modum dicendi: quoniam & verba hoc ſignificant clarè, dum dicitur: Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnũ pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent pariter & deuotè. Et ratio textus cõfirmat: quia iam tũc erat officium diuinum præceptum & in modo exoluendi illud errabatur: & cunſtitutio illa ad corrigendũ defectum quũ in modo exoluendi cõmittebatur facta eſt: vt ipſa de ipſa teſtatur. Non ergo aditerandum præceptũ de dicendo officio diuino, ſed ad præcipiendum modũ dicendi, nouũ præceptum factum eſt: vt ſcilicet ſtudioſè & deuotè quãtum Deus dederit, exoluatur. Nec propterea quia Eccleſia non iudicat de actibus interioribus, ſtudioſitas & deuotio referuntur ad exteriora tantum: quoniam verum quidem eſt ad Eccleſiæ iudiciũ non ſpectare actus interiores ſecũdum ſe, hoc

se, hoc est nudos: sed non est verum Ecclesiæ iudicium subterfugere actus internos: vt sunt ratione actuum exteriorum. Excommunicat namque Ecclesia eos qui odio vel amore inquirunt, aut mittunt inquirere hæreticos: vt patet cap. multorum de hæret. in cle. Sic autem est in proposito, quod licet internã studiositatem & deuotionem nudam Ecclesia non præcipiat, præcipit tamen vtranque, internam vt rationem exterioris cultus. Nec propterea laqueus iniectus est animabus: quoniam facillimum est huic præcepto obedire, nam nihil aliud exigit, nisi quod quis animo vacandi Deo horas inchoet, & in contrarium animus iste non mutetur dum exoluit diuinũ officium. Mutari autem in contrarium est impossibile ex inaduertentia: quoniã non voluntariè ab officio vagatur qui inaduertenter vagatur. Et ideo si quis aduertit se cogitare hæc vel illa quæ debent esse extranea, tunc à meditatione sua, sed non aduertit quòd ab officio diuino distrahitur, quamuis voluntariè illa meditetur, non tamen voluntariè animus ab officio diuino distrahitur: ac per hoc animus vacandi Deo à principio officii habitus non est mutatus in contrarium: quia nunquam iste habuit animũ recedendi à vacãdo Deo in illo officio: oportet enim recessum humanum à termino à quo, fieri per se, hoc est ex intentione. Tantò autem facilius hoc monstratur, quanto non vna, sed quatuor viis potest quis officio diuino attendere. Vel quantum ad verba, ne scilicet dicat vnum verbum pro alio, nec confundat aut colligat verba, vt distinctè ac reuerenter dicat. Vel quantum ad censum verborũ, vt percipiat mente, & applicet affectum ad id quod verbis significat, vel quantum ad gratiam petitam: puta: castitatem, humilitatem, fidem, spem, diuinam amicitiã, cœlestem patriam, & alia huiusmodi: quę sola (vt patet intuẽti)

petuntur

petuntur communiter in diuino officio. Vel quantũ ad ipsum Deum, seu Iesum Christum crucifixũ, &c. Et hæ omnes, secunda excepta, communes sunt doctis & indoctis, maribus & mulieribus: nisi quod in prima ignorantes possunt materialiter errare: sed nõ refert ad propositum. sat enim est quod quis attendit ne erret. Et quia vna istarũ attẽtionum sufficit, ideò inexcusabilis est quisquis officium diuinum dicit non cum animo quantum ex se est vacandi Deo, Qui enim cũ hoc animo inchoat & nõ mutatur in cõtrarium (hoc est in voluntatem non attendendi diuino officio) celebrat diuinum officium ex parte sua studiosè & deuotè, exspectans quantum Deus det in prosequendo tam attentionis quæ spectat ad studiositatem applicatiuam intellectus, sensus ad attendendum, quàm cuiuscunque sanctæ affectionis, quæ spectat ad deuotionem oblatiuam promptæ voluntatis ad ea quæ Dei sunt. Sicut igitur contra Ecclesiæ præceptum agit, ex occultissimo interiori odio omittens inquirere, &c. ita contra Ecclesiæ præceptum agit ex occulto interiori proposito instudioso, & indeuoto dicens officium diuinum.

Qui verò saluo animo vacandi Deo inuolutariè vagatur, non peccat. Qui verò negligenter se habet circa exequutionem attentionis & deuotionis, venialiter peccat. Nunquam enim interuenit transgressio præcepti, quamdiu immutatum manet primum propositum vacandi Deo. Hæc de tertio.

Tempus qualiter sit in horarum canonicarum celebratione considerandum.

QVo ad quartum de tempore, distinguendum est: quia priuatum dicendo officium tempus est totus dies inchoans à vespere præcedentis diei

dei vsque ad mediam noctem sequentis diei, ita tamen vt solas matutinas liceat vesperi præcedenti dicere. Graue tamen est peccatum sine rationabili causa retardare multum horas : vt dicere primam hora nona, vel vesperarum. Præuenire tamen vt quietius ac deuotius dicatur, consulitur à iure in c. presbyter. vt scilicet manè dicantur horæ usque ad vesperas inclusiuè. Tempus autem publicæ celebrationis horarum, est iuxta laudabilem cuiuslibet Ecclesiæ ac patriæ consuetudinem. Et licet sancitum sit in iure, vt horis debitis in Ecclesiis cathedralibus & collegialibus horæ dicantur, nullum tamen ego cognosco peccatum mortale in huiusmodi, etiam si quandoque negligentia magna interueniat, dummodo cummuniter seruetur consuetudo: quia in huiusmodi circonstantiis non puto incurri mortale peccatum sine contemptum, quoniam non spectãt ad substantialia materiæ preceptæ. Hæc de quarto.

Diuinũ officiũ quocunque in loco priuatim celebrari permittitur: publicè autem vel iura iubent in Ecclesia tantum.

QVo ad quintum de loco, nullus est locus in quo non liceat priuatè diuinum exoluere officium. Publicè autem in Ecclesia celebrandũ esse iura iubent à deputatis ad illud: ita quod deponendi à clerici consortio sunt qui castigati nolunt interesse, vt in Decretis dist. xcii. cap. vlt. decernitur. Vbi tamen contemptus deest, & propter meam absentiam non notabiliter leditur diuini cultus officii: & Prælati dissimulant, parum de iis quæ Dei sunt curantes, nõ incurro mortale peccatũ ex hoc quòd desum horis canonicis in Ecclesia mea: quia contra præceptum iuris positiui propriè non venio, nec notabile damnũ infero diuini cultui. Grauiter tamen pecco, si sine rationabili

nabili causa me debitis horis subtraho: quia grauis est ratio diuini debiti.

De totalitate autem diuini officii nocturni pariter & diurni Ecclesiis cathedralibus & collegialibus tam singularibus quàm regularibus debita secundum iura, & minimè soluta in tot huiusmodi Ecclesiis, dicendum est quòd vbi tenuitas census in causa est & fuit semper quantum est in memoria hominum, excusantur collegiales seruantes consuetudinem: puta dicendo Missam maiorem, & vesperas in Ecclesia, vel aliquam horam, prout ibi moris est antiqui: quoniam derogatum ibi videtur iuri communi ex rationabili Prælatorum tolerantia. vbi autem sufficientes habent prouentus, & extant tẽpla, ac deputati ad huiusmodi cultũ percipiẽtes suas portiones, & partũ aut nihil exoluũt diuini cultus in ipsis Ecclesiis ex introducto abusu, ipsi viderint si vinculo iuris derogatũ est.

De illo autem qui in choro versus sui chori submissè sibi tantum dicit, alterius autem chori versus audiendo tantum exoluit, ratio dictat, quod non satisfaciat: quia communis exolutio communicantium est: iste autem per se loquendo non cõmunicat alterĩ choro. Et ita alibi scripsimus. Si tamen intelligerem quod viri timorati consueuerunt sic facere, dicerem quod consuetudo bonorũ optima est legum interpres: & charitas quæ omnia cõmunia reddit, & efficit vt versus auditus sit communis omnibus audientibus, tantò magis quantò maiores in choro non debent cantare, sed meditari quæ ab inferioribus cantantur. Hæc de quintò.

Peccatum hypocrisis dupliciter incurritur.

HYpocrisis (qua homo simulat personam iusti vel iustioris) peccatum est: quia mendacii vim habet. Incurritur aut dupliciter. Vel formaliter.

hoc

hoc est ex intentione: vel materialiter. Sed hypocrisis formaliter non est vna, sed diuersificatur iuxta diuersa intentionis obiecta. Inueniuntur enim in hypocrisis peccato duo mala, scilicet defectus bonitatis & simulatio illius. Et propterea hypocrisis altera est quæ intendit vtrunque malum: vt quum homo intendit esse malus & simulare se bonum. Et hæc est perfecta hypocrisis excludens à regno cælorum. Altera intendēs vnum malum tantum: scilicet simulare se bonum, vel meliorem, quàm sit: vt quū homo scit quidem non esse bonum, aut esse malum, non tamē hoc intendit aut contemnit, sed solummodo intendit simulare se bonum seu meliorem quā sit. Et hæc hypocrisis si nuda sit. licet nō sit peccatū mortale, est tamen peccatum, quia mendacii vim habet. Si verò hæc hypocrisis sit vestita aliquo alio malo fine, ex illo iudicanda est. Si enim finis ille sit contra charitatem, est peccatum mortale.

Si autem finis illa sit vana gloria, non tamen ita quòd in ea ponatur vltimus finis, peccatum est veniale quidem, sed duplicatum. Si tamen finis ille sit bonus (puta ad ædificationem aliorum) nihilominus peccatum est: quia non sunt facienda mala vt eueniant bona.

Hypocrisis verò materialiter est, quum homo facit opera naturaliter significantia interiorem bonitatem, aut meliorem bonitatem, & tamen intus nō est nec homo intendit per illa opera simulare illam interiorem dispositionem bonam: quū quis quasi eleemosynaliter aut quasi liberaliter dat alicui rem quā ex debito ei dare tenetur, non quòd intendat simulare se liberalem aut eleemosynarum, sed vel occultare se debitorem, vel aliquid aliud. Et sic de similibus. Vnde scito quod ille qui opera ad Dei seruitium naturaliter ordinata (vt sunt ieiunium, oratio, eleemosyna)

syna) facit ex intentione non seruiendi Deo, sed ob gloriam humanam,&c. hypocrisis peccatum incurrit formaliter, implicitè tamen: quia facit opus significãs intentionem seruiendi Deo, quæ in ipso non est,& intendit reputari eleemosynarius vel deuotus,&c. Vnde conuincitur quòd intendit simulare intentionem rectam quæ non est in eo, quantumcunque explicitè non intenderet simulare, sed gloriam ex opere illo acquirere humanam: redit enim hypocrisis actus in naturam suæ formæ ex tot concurrentibus. Vnde Matth. vi. hypocritas hos appellat. Quum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut faciunt hypocritæ.

Peccatum iactãtiæ, sex circumstantijs quale sit, agnosci potest.

IActantia (qua quis verbo plus de se, quàm sit, aut apparet eleuando dicit) sex habet capita, ex quibus discerni quantum peccatum sit, potest. Primum est mendacium: est enim species mendacii. Et hic discerne, si interuenit iactando mendacium pernicioſum, aut officioſum, aut iocoſum. Secundum inclusa laus: non enim iactator purè narrat: sed tanquam laudans narrat. Et similiter hic discernere oportet si laus est pernicioſa, officioſa, aut iocoſa. Tertium est, arrogantia, quando est illius iactantiæ efficiens causa. Et hic oportet discernere si est pernicioſa. Quartum est, inanis gloria, propter quam quis se iactat. Et hic oportet attendere si ponitur in ea finis vltimus. Quintum est, lucrum propter quod quis quandoque se iactat. Et hic oportet inspicere si est in damnum proximi. Sextum est, vanitas ex qua multi se iactant, & hoc constat esse veniale.

Transeo autem hæc sub breuitate, ne repetantur quæ de mendacio, arrogantia, & inani gloria in lo-

eis propriis dicuntur. Laus quoque perniciosa sicut adulatio, & inanis gloria discernitur, si scilicet laudatur seu approbatur aliquid cõtra Deũ aut proximũ: vt quodcunque peccatum mortale. Ex his enim habes, quòd nisi pernicioſa sit iactantia, ex intentione aut materia contra Deum aut proximum, venialis est, & frequens humani generis labes.

Idololatriæ crimen plusquàm mortale dicitur.

IDololatria (quia scilicet alteri quàm Deo, diuinus cultus exhibetur) peccatum est mortalissimum: quia quantum in se est, æquiparat creaturam creatori.

IEiunii Ecclesiastici omissio multiplici eget consideratione, vt sanè iudicet. Et ad quatuor capita cuncta reduci possunt. Primum est quidem de necessitate ieiunii. Secundum, qui sunt dies ieiunii. Tertium, qui tenentur ad ieiunium. Quartum, quali vinculo adstringamur ad ieiunium.

Ieiunij necessitas tria includit necessaria.

QVò ad primum, de necessitate ieiunii, sunt tria: scilicet qualitas ciborum, hora competens, & vnica comestio. Exigit quippe omne Ecclesiæ ieiunium abstinentiam ab esu carnium. Sed inter quadragesimam & alia ieiunia hoc interest, quòd quadragesima requirit etiam abstinentiam ab ouis & lacticiniis: in aliis autem ieiuniis potest quisque vti ouis, & lacticiniis vbi consuetudo est: vbi autem non est consuetudo, non licet. Quòd si alicubi in quadragesima consuetum sit vti butyro, excusantur: ex quo tanto tempore Prælati sciunt & non reprehendunt. Horam conuenientem ad comedendum intantum exigit ieiunium, vt ab hora nomen acceperit: vt patet

ex eo quod dicimur ieiunare vel vsque ad nonam, vel vesperam, quasi tota vis ieiunii consistat in prorogatione inediæ vsque ad horam tardiorem. Et verè sic esse testatur Ecclesiastica obseruatio. Propter quod quantò plus tarda hora comeditur, melius ieiunatur: non enim præcepit Ecclesia manducari hora nona: sed negatiuam, scilicet non manducari ante. Et hora quidem conueniens antequam non est comedendum, est meridies grossa æstimatione. Sed vbi communiter non seruatur à ieiunantibus, potest quis comedere illa hora qua communiter ieiunantes ibi cõmedunt. Et hoc ideo dico: quia paulatim detractum multum videtur horæ: nã trecẽtis annis adhuc nõ sunt ex quo hora prandii in ieiunio erat hora tertia post meridiem: vt patet in diui Tho. scriptis. Nũc autem religiosi etiã multũ ante meridiẽ æstiuo tempore in quadragesima videtur comedere. An autẽ antequàm comedat, dixerit clericus nonã aut vesperam, ad officii magis quã ieiunii horam refert: ad neutrius tamen spectat necessitatem. Vnica demũ comestio nisi ad ieiunium necessaria sit, metitur Greg. à quadragesimali ieiunio, dies dominicos subtrahentes: quoniam inter dies dominicos tunc & alios tantum vna vel multiplici comestione abstinentiã distinguere experimur. Et hoc testatur Ecclesiastica obseruatio. Accedit tamen circa hoc quæstio, tum de vespertino ientaculo vocato collatione vespertina, tum de dimittentibus prandium, tum de propinã seu credentiã facientibus dominis, tũ de pluries bibẽtibus cũ aliqua confectione, tũ de comedentibus aliquid propter superuenturam tarditatem prandii, tũ de sumentibus manè ientaculũ, seu collationẽ serotinã, & prandiũ differentibus ad noctem: videntur enim omnes hi pluries comedere, & tamen non frangere ieiunium. Sed quædam horum facilè patent non aduersari vnicæ co-

meſtioni intentæ ab Eccleſia. Interpretantur ſiquidem comeſtionem per ſe, hoc eſt ex intentione comedendi: ita quòd ſolus ille vltra ordinariam comeſtionem manducat, qui ideo manducat vt manducet. In quorum numero nō cōputari conſtat facientes credentiam, ſumentes aliquid ne potus noceat, & hoc modo ſumentes ientaculum ſerotinum, & pari ratione diuidentes prandium: puta quia præaccipiunt aliquid ſeruitores aut lectores menſæ: vel quia ſurgūt à medio prandio ad aliquid occurrens, & poſtea redeunt ad terminandum prandium. In his non eſt ex intentione niſi vnica comeſtio: quia per accidens diuiſio illa accidit. Præſumentes autem aliquid manè propter præuiſam longam occupationem retardaturam à prandio, ex eodē capite videntur excuſari. Sed quia hora non videtur admittere quod ad vnitatem prandii ſpectet quod manè ſumitur, ideo ex debilitate iſti excuſantur quando excuſantur: quia ſcilicet ſi hoc non facerent, quaſi deficerent & inepti eſſent ad id quod interim facere oportet. Sumere verò ientaculum ſerotinum ad ſuſtentationem naturæ, eſt proculdubio iterum comedere: quia directè manducare ad naturæ ſuſtentationem ordinatur, vnde apud religioſos manducatio vocatur refectio: & locus manducandi, refectorium: quia religioſi non debent vti cibo niſi ad reficiendum. Sumere autem dictum ſerotinum ientaculum ex conſuetudine, quia ſic conſuetum eſt, piè interpretandum eſt: vt ſcilicet fiat ne potus noceat. Sumere autem ipſum vt conceſſum ex cōſuetudine etiam ſine ſiti tolerabile videtur: quamuis verè ſecundam inducat comeſtionem paruulam: ſed quaſi pro nihilo habetur, conſuetudine ſuffragante. Verum ſerotinum ientaculum manè ſumere, & prandium in veſpertinum tempus differre, nulla video ratione licere: quia nec conſuetudo excuſat,

sat, nec ius concedit. Posset tamen persona aliqua vel sic complexionata : vel propter occupationes diurnas, &c. dispensari in hoc (sicut & in aliis rationabilibus casibus, vt dicetur) ab Episcopo. Nec sumere in ientaculo serotino parum panis, frangit ieiuniū quia ad hoc videtur serotinum ientaculum reductum, vt non referat quid quisque sumat, si modum non excedit & rectè sibi quisque consulere videtur qui illud sumit quid suę complexioni plus prodest, ex quo medicinæ causa conceditur. Hæc de primo.

Iura dies ieiuniorum statuerunt & consuetudo.

Dies ieiunii noti sunt ex consuetudine magis quā iure. Et propterea constat & quadragesimam, & quatuor tempora, & vigilias natiuitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis beatæ Virginis, & omniū sanctorum & Apostolorum (nisi Ioannes euangelistæ ac Philippi & Iacobi) natiuitatis Ioannis Baptistæ, ac beati Laurentii & non plures cōmuniter esse ieiunio celebrandas: nisi alicubi antiqua consuetudo aliter obtinuerit in aliquo dictorum dierum: quoniā consuetudo derogare potest iuri, sicut fecit ius præcepti in ieiuniis quatuor temporum paschalium & vigilia Pentecostes, quorum nullum ex iure apud diuum Thomam est in præcepto : quia est ieiunium exultationis. Hæc de secundo.

Ieiunium quib. personis inexcusabiliter sit obligatorium.

Quo ad tertium (qui scilicet tenentur ad ieiunium) quum hoc sit præceptum generale commune toti populo Christiano, omnes tenentur quos rationabilis causa non excipit aut excusat. Rationabilis autem causa in proposito vocatur

tam vera quã æstimata, quàm authorizata: ita quòd non solũ quæ verè ac euidenter est causa rationabilis, vt infirmitas, sed etiam quæ à ieiunare debente creditur absq; fraude quod sit causa rationabilis (puta dolor aut debilitas talis, quod putat se quis excusari à ieiunio) & rursus causa dubia an sit sufficiens ad frangẽdum ieiunium, si authoritate Episcopi fulciatur, pro rationabili habenda est. Igitur sub verè rationabili causa comprehenduntur tria, scilicet impotentia, necessitas & pietas melioris boni.

Ex impotentia siquidem excusantur pueri & adolescentes vsque ad finem tertii septennii, in quo communiter finit ætas augmenti: quia egent nutrimento multiplicato propter augmentum. Excusantur senes: quia senectus morbus est incurabilis. Sed ætas qua incipit senectus, non est determinata: quia naturaliter aliqui trigesimo anno senescunt, aliqui quadragesimo, alii quinquagesimo, prout habent naturaliter longiores ætates. Communiter tamen qui sunt sexaginta annorum, senes sunt: quia scriptum est, Dies annorum nostrorum septuaginta anni. Vnde in hac ætate, nisi euidenter constat ex robustiore complexione posse absque læsione ieiunare, non tenentur ad ieiunia: quia ex quo de ætate constat, & de robore est ambiguum, non est expectandus casus amplior virtutis: quæ quum manifestè deficere incipit, irreparabilis est.

Excusantur infirmi & debiles manifestè, aut iussa medicorũ habentiũ timorẽ Dei, mulieres prægnantes & lactantes, quia egent alimento multiplici, sicut illi qui crescunt. s. pro se, & pro fetu seu prole. Et hos quidem excusat impotentia naturalis: illos autem qui hora prandii non possunt habere sufficientem refectionem, excusat impotentia habendi panem, &c. Ex necessitate excusatur quis quandocunque aliquid impe-

impediens ieiunium oportet facere quod est necessarium ad salutem seu sanitatem corporis vel animæ vel ad statum temporalem, vel ad vitandum damnum, vel ad acquirendum aliquid de rarò contingentibus: vt si oportet aliquem quantum potest laborare, cum quo non stat ieiunium (quia aliter non potest se suamq́ne familiam alere, vestire, dotare, tenere filium in studio, &c.) non tenetur minuere laborem vt ieiunet. Et hinc excusantur non solum laborantes in agricultura, sed in quacunque arte, qui aut vix sic, aut nec sic acquirere possunt omnia necessaria, sibi familiæq́ue suæ, &c. si cum huiusmodi exercitio non possunt simul ieiunare. Excusantur quoque omnes ex necessitate cuiuscunque debiti operis, si cũ exequutione debiti operis non potest quis ieiunare: quia lex ieiunii sicut non impedit necessaria opera, ita non impedit opera debita. Et hinc fit, vt quum longum iter debitum est impediens ieiunium, absoluat à ieiunio. Similiter si vir non potest ieiunando debitum vxori reddere, non tenetur ieiunare. Et similiter si vxor non potest se gratam viro seruare (puta quia ptopter ieiunium macilenta aut pallida despicitur à viro) non tenetur ieiunare. Et vniuersaliter non tenetur homo, omittere opus aliquod ad quod tenetur, ob præceptum ieiunii.

Ex pietate autem maioris boni excusantur à ieiunio quicunq; alicui maiori bono incumbunt, quod non possunt ieiunãdo efficere: quia ieiuniũ præcipitur vt promotiuũ ad bonũ, & nõ vt impeditiuũ maioris boni. Et hinc excusantur, qui pietatis seu misericordiæ corporalis aut spiritualis operibus vacãt, si cũ his non possunt ieiunare: quoniam opera vtriusque misericordiæ meliora sunt quàm ieiunii: iuxta illud Apostoli, Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia valet. Verum quia peregrinatio

grinatio sub genere est corporalis exercitationis pluſquã ieiunium (quia ieiunium est actus virtutis. ſ. abſtinentiæ seu temperantiæ: peregrinatio verò nullius importat virtutis actum, sed à religione imperatiuè assumitur in peregrinatione ad loca sancta) non audeo excusare à ieiunio propter peregrinationem nõ necessariam ad loca sancta, nisi in duobus casibus. Primus est, si illius personæ peregrinatio ad locum illum esset valde vtilis ad diuinum honorem: puta quia est persona authoritatis, ex cuius peregrinatione multorum augetur communis deuotio, & ille non potest simul ieiunare & peregrinari. Secundus est, si feruor deuotionis sic accendit ad peregrinandum, vt vtilius animæ peregrinantis sit peregrinari sine ieiunio, quàm ieiunare sine tali peregrinatione. Et vtriusque ratio est vna: quia ieiunium non debet esse impeditiuum maioris boni, in primo autem casu impediret maius bonum commune: in secundo verò maius bonum proprium. Hæc de causa excusante à ieiunio verè rationabili & sufficiente. De rationabili autem causa æstimata sufficiente ab ipso debente ieiunare, vel à suadentibus illi, quamuis in veritate sufficiens non fuerit: dicendum est quod si absque fraude aliqua credit quis se excusari ob aliquem laborem, vel dolorem, vel occurrentiam, & propterea frangit ieiunium, ita quod non frangerent illud nisi crederet se in casu illo excusari à peccato violati ieiunii, non est talis transgressor præcepti: quia nec per se agit cõtra præceptum (quia ex intentione non prætexit obedientiam nec abstinentiam) nec per accidens seu materialiter sic operatur, vt redeat peccatum in naturam suæ formæ: quia nihil hic ponitur interuenire faciens hanc reductionem: quum nec scandalum nec nocumentum aut aliquid huiusmodi admisceri ponatur. Et ex hoc capite innumerabiles personę timo-

tatę

tatæ excusantur sæpissimè à transgressione præcepti de ieiunio dum vel ex multis reputatis secundum ipsos rationabilibus causis soluerunt ieiunium, aut collationem excessiuam putarunt sibi licere absque solutione ieiunii propter debilitatem, propter somnum habendum &c. omnium enim huiusmodi vna est quam diximus ratio excusans. Et cane ne sis imprudens, & nimis sapiens in oculis tuis, dicendo quod omnino isti soluunt ieiunium &c. & sis causa quod isti non ieiunent iuxta suum posse: nam ipsi sic vt dictum est agendo, non agunt contra præceptum Ecclesiæ, & forte qnandoque nec venialiter peccant: & ex tua sapientia agent fortè postmodum contra præceptum: sicut ieiunantes ter in hebdomada in quadragesima, audientes à doctis stultis quod qui vnum diem non seruat, reus est totius quadragesimæ, omittunt etiam illorum trium dierum ieiunium in damnationem vtrorunque, si enim cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadunt. Satisfacit enim Ecclesiæ præcepto, qui impotentem se putans ad ieiunium totius quadragesimæ, alternis diebus ieiunat, aut bis aut semel in hebdomada iuxta vires suas. Et similiter qui ientaculo serotino eget pro sustentatione naturæ, & cum illo potest pertransire, non est propterea licentiatus vt cœnet: moralia enim præcepta moraliter sunt interpretanda in exequutione, vt mos bonus intentus in exequutione quantum fieri potest seruetur. De rationabili demum causa authorizata, sciendum est quod optimum refugium dubitantibus ac timētibus est superioris authoritas. Nam qui causam aliquam habet rationabilem quidem sed iudicio suo non sufficientem aut dūbiam, exponat negotium suum fideliter superiori, & illius arbitrium potest sequi. Superior autem debet non puro cōsilio, sed authoritatē suā interponendo dispensare,

si videtur sufficiens causa, aut commutare in aliquam eleemosynam, vel orationem, seu aliquod aliud opus pium, si de sufficientia causæ dubitat, aut causam minus sufficientem absolutè cognoscit, sed supplendam per commutationem iudicat in tali casu. Verbi gratia, persona suis commoditatibus assueta, iter aggressura est, & difficillimum sibi fore cognoscit ieiunium cum conditionibus itineris, submittit se superiori: & videtur superiori expedire animæ illius in hoc casu dispensationem: & propterea supplendo commutat in aliud opus pium, & præcipuè eleemosynæ. Vocatur autem superior in huiusmodi casibus Episcopus: & si causa facilis est, aut Episcopus non potest commodè adiri, proprius curatus, & apud religiosos suus Prælatus, quia pro his minimis nulla ratio suadet oportere passim Papam adire. Nec solum hæc potest Episcopus, sed etiam potest & debet transferre ieiunium occurrēs in magno festo in antecedentē diem: vt ieiunia Christiani populi consonent iuris dispositioni: vt si vigilia Ioannis Baptistæ occurrerit in die corporis Christi, debet populus mandare Episcopo ieiunare in vigilia corporis Christi & in die corporis Christi vesci carnibus sicut in die dominico: & in hoc eodem debent religiosi conformari, quantū ad ieiunii translationem. Idem est autem iudicium si in festo solenni patroni ciuitatis vigilia aliqua occurrerit.

Notantur autem loquor de ieiunio vigiliæ: quia ecclesia fugit vigilias fieri in festis, & propterea Ioannis Euangelistæ vigiliam non facit in festo sancti Stephani. Non horrent autem ieiunium quatuor temporum in festis: vt patet de festis sanctorum Thomæ, Matthæi apostolorum, quæ sæpe in ieiuniis quatuor temporum celebrat. Hæc de tertio.

Vincu-

Vinculum ad ieiunium astringens, quale sit.

QVo ad quartum) quale scilicet est vinculum quo tenemur ad Ecclesiæ ieiunia) ex communi interpretatione videtur vinculum præcepti obligantis ad mortale transgressores ex obedientia vel contemptu: quia contra obedientiam directè ageretur: & hoc habetur pro certo, vel sine rationabili causa vera aut æstimata, vel authorizata, non habita generali aut speciali gratia summi pontificis: quia tunc scienter ageretur cõtra opus præceptum. Et hoc ego non audeo ex iure scripto asserere: quia nullibi scio scriptũ esse præceptum obligans ad mortale non ieiunantẽ quãuis inueniatur præceptũ, hoc est statutum, obligans: hoc est, inuenitur præceptum vt distinguitur contra consiliũ, & non præceptũ antonomasicè, quòd solũ obligat ad mortale: vt in verbo præceptũ, habes infrà, & propterea quantũ ast ex iure scripto, nullũ cognosco interuenire mortale peccatũ in fractione ieiunii Ecclesiæ, si desit contemptus. Dixi autem generali gratia summi Pont. propter consuetudinem refectorii seu tinelli in curia Romana: ex eo enim quod cum pontificum tam diuturna scientia sic seruatur, curiales qui tenello sunt contenti, non frangunt ieiunia, quamuis panem cum acetario seu salatitio comedãt vesperi, prout ibi dari consueuit: sed ieiunant more curiæ. Frangens autẽ ieiunium aliquo die, non toties quoties comedit, de nouo peccat, quia post quã illud fregit, non facit contra præceptũ, quod impossibile est amplius obseruari. Et quia quolibet die potest quis seruare præceptum ieiunium illius diei: ideò de nouo quotidie peccat peccato omissionis, qui quotidie omittit ieiunium quadragesimæ, &c. Hæc de quarto, & tota materia ieiunii, quã si amplius scrutari vis, videre potes commenta-

ria

ria nostra super quæst. cxlvii. secunda secundæ.

Ignorantia quo casu vertatur in peccatū.

IGnorantia tunc tantum peccatum est quum quis potest & debet scire aliquid siue iuris, siue facti, & non facit quod in se est, vt sciat illud. Tenetur quilibet scire communia, & fidei & iuris, quæ communiter à fidelibus Christianis communiter instructis à parentibus & prædicatoribus & conuersatione Christiana sciuntur: vt articuli fidei, decem præcepta, præcepta de confessione, communione, & ieiuniis Ecclesiæ. Non quod teneantur scire verba symboli, aut numerare decem præcepta: aut scire discernere præcepta: sed quod nouerint fide esse vnum Deum omnipotentem, & Iesum Christum filium, & quod natus ex Maria virgine, &c. similiter sciāt quod solus Deus adorandus est, nō esse periurandū, seruāda esse festa, honorandos parentes, &c. Hoc enim est nosse & credere in actu exercito ea quæ quis tenetur scire. Et nō consistit in scire verba hæc vel illa quæcunque sint. Præter hæc autem quilibet tenetur scire illa quæ debet ex suo officio aut gradu aut voto, &c. facere: quū aliter non nisi à casu recte se habere possit in occurrentibus. Est autem ignorantia tunc tantùm causa peccati, quantum si quis sciuisset, peccatum illud non feciſſet. Nec excusat à peccato, nisi sit inculpabilis. Minuit tamen peccatum quia minuit voluntarium, nisi sit affecta: quia tunc auget voluntarium.

Superstitiosa imaginum obseruatio damnabilis est.

IMaginibus purè astronomicis vti ad affectus subiectos cœlestibus corporibus, nullū peccatum esse videtur: quia vt res purè naturales habentur, nec debemus secreta naturæ præsertim cœlestis influxus,

nostri

nostri ingenii viribus metiri, vt priscis astrologis non deferamus. Dixi autem purè astronomicos, vt nulla superstitiosa obseruatio sit adiuncta, aut suffumigationũ, aut characterum: quoniã hæc constat nõ pertinere ad cœlestas influxus, sed ad secretos intellectus, quorum societas nobis est interdicta.

Sermo indiscretus in peccatum inducere potest proferentem.

IMmunditia in sermone morali generale peccatum est, quod immundus redditur operans illud. Vsurpatur tamen primò specialiter pro peccato inordinatæ seminationis humanæ cuiuscunque præternaturalis: ex hoc enim homo maximè immundus fit. Et sic constat esse peccatum mortale: de quo pluries Apostolus loquitur, docens: immundos excludi à regno Dei. Vsurpatur secundò pro peccato inordinatæ omissionis superfluorum: vt cibi per vomitum, & similiter ex gula procedentiũ. Et sic ponitur filia gulę. Frequenterque est peccatum veniale: vtpote nec contra Dei nec proximi dilectionem: turpe tamen, vtpote etiam corporalem immunditiam inferens.

Corporalis indecentia respectu status potest in peccatum quem inducere.

IMmunditia corporalis pro quanto humanã dedecet vsum, peccatum est: quia rectè dissonat rationi. Est autem in profanis venialis. Sed in sacris si notabiliter offendit, peccatum est mortale, pro quanto ad diuinam irreuerentiam spectat: & tantò magis quantò à Canonico etiam iure sub præcepto prohibetur huiusmodi immunditia, extrà de custod. euchar. cap. relinqui. Vbi non solum sacra vasa, corporalia, & vestimenta ministrorum, sed oratoria ipsa præcipiuntur munda & nitida (hoc est absque macula) seruari.

Aduertant

Aduertant hæc qui sordidis vtuntur in Missarum sacrificio, ita vt abominabili sit tangere & videre.

Libertati Ecclesiasticæ violatio semper peccatum est.

IMmunitas Ecclesiasticæ violatio mortale peccatum est formaliter loquendo: hoc est ex intentione facta: vt scilicet illam quis violet: quia iniuriam infert Ecclesiæ in priuilegio Ecclesiasticæ libertatis, vel quo ad locum, vel quo ad personas, vel quo ad bona mobilia vel immobilia. Propter imperfectionē tamen actus inuenitur hic veniale peccatum sicut in cæteris.

Immunitas Ecclesiastica multis modis offenditur.

ET scito hic sex. Primò, quòd Ecclesiasticam violare immunitatem non est aliqua vna peccati species, sed est tanquam generale peccatum ad omnes sacrilegii species. Violatur siquidem Ecclesiastica libertas, iniuriam inferendo & personis & locis, & rebus sacris: ita quòd violare Ecclesiasticam immunitatem sonat quendam generalem actum vitii, quod sacrilegium vocamus. Secundò, quòd in hoc peccato est aliquid formale, & aliquid materiale. Habet enim se vt forma, ex intentione agere contra libertatem Ecclesiasticam: materia autem est illa res in qua Ecclesia læditur, aut dehonoratur. Verbi gratia: cum clericus iudicatur à laico, quum extrahitur ab Ecclesia qui saluus in illa esse debet, quum bona Ecclesiæ vsurpantur ab aliis, formale in omnibus est quod tenditur contra id in quo Ecclesiastica persona seu Ecclesiasticus locus, aut Ecclesiastica res debet esse libera, materiale autem est exemptio clerici à laico, salus confugientis ad Ecclesiam, quòd res seu bona

Eccle-

Ecclesiæ sint Ecclesiæ,& sic de aliis. Tertiò,quod crimen hoc potest referri vel ad pœnas iuris,vel ad naturam ipsius peccati . Et si referatur ad pœnas iuris, non est violator Ecclesiæ liberaatis qui agit contra priuilegium concessum alicui particulari Ecclesiæ: puta si agit contra libertatem concessam Ecclesiæ Mediolanensi,aut ordini prædicatorum, &c. sed oportet quòd agat contra libertatem communem Ecclesiæ. Et hoc non sic intelligas vt oporet illum agere contra totã Ecclesiam : sed quòd quicunque homo, aut quæcunque res,aut quicunque locus offendatur: oportet quod offendatur in illa libertate non quã habet ex proprio, sed quã habet ex priuilegio communi toti Ecclesiæ , ad hoc vt incurrat pœnas iuris latas contra violatoras. Sed si ad naturam criminis spectetur,ita peccat mortaliter qui violat libertatem peculiariter concessam alicui Ecclesiæ sicut qui violat libertatem communiter concessam toti Ecclesiæ, nam vtriusque peccatum,sacrilegium est, violans personã, rem aut locum cultui diuino deputatum. Quartò, quòd huiusmodi libertates seu immunitates Ecclesiasticæ quæ particulariter sunt alicui concessæ, non subiacent scientiæ,nec confessor de his debet esse solicitus:quia ex specialibus priuilegiis pendent,quæ debent promulgare illis quorun interest. Sed immunitates communes continentur in iure. Et locales quidem immunitates valde multæ sunt : præcipuè tamen sunt , quòd secularia placita (hoc est iudiciales processus) & sententiæ seculares, & maximè in causa sanguinis conclamationes,seditiones,impetus publica parlamenta , vniuersitatum conuocationes , negotiationes nundinarum & fori, non possunt in loco sacro fieri:nec possunt ibidem reponi supellectilia,vel hospitari , nisi necessitate cogente , Nec potest illi violentia inferri , aut aliquis

vel

vel aliquid violenter aut furtiuè inde abstrahi, aut in confinibus frangi: exceptis casibus à iure permissis, excipiuntur siquidem publici latrones (vt piratæ in mari, & similes in terra) & nocturni populatores agrorum, & occidentes vel mutilantes in Ecclesia sub spe vt ab Ecclesia saluentur. Et idem videtur etiam, si hoc vel quodcunque aliud enorme fiat in Ecclesia etiam sine spe quòd ab Ecclesia defendatur: quia frustrà legis implorat auxilium, qui in legem committit. Personales autem immunitates manifestæ sunt, quòd Ecclesiasticæ personæ sunt exemptæ à iudicibus secularibus, quod sunt liberæ à manibus violentis suadente diabolo, & à pedagiis & angariis. Reales autem immunitates sunt quod Ecclesiasticę personæ exemptæ sunt à gabellis pro rebus suis vel Ecclesiæ, quas non causa negotiationis deferunt, quod Ecclesiæ possessiones non possunt pro alienis debitis obligari, &c.

Quintò, quod violare Ecclesiasticam quamcunque immunitatẽ contingit dupliciter. Vel formaliter: hoc est ex intentione agendi contra Ecclesiasticam libertatem, seu contra talem Ecclesiasticam immunitatẽ. Et sic proculdubio est peccatum mortale violare quamcunque immunitatem Ecclesiasticam, vt dictũ est: quia committitur sacrilegium. Vel materialiter: hoc est non animo faciendi contra iura ecclesiastica, sed ex aliqua passione seu ratione. Et tunc oportet aduertere, si actus ille qui fit, sit talis aut fiat taliter quòd redeat in naturam suæ formæ: quia si sic esset, licet non committeretur sacrilegium ex intentione, nihilominus incurreretur sacrilegium formaliter, & esset peccatum mortale, sicut cõtingit in cæteris vitiis materialiter cõmissis. Si autem actus ille non rediret in naturam suæ formæ, esset peccatum veniale propter imperfectionem actus. Discernẽdum est autem

hoc

hoc in propoſito ex duobus. Primò ex natura, quantitate, qualitate, &c. iniuriæ ſeu damni illati. Secũdò, ex vinculo prohibitionis præcepti. Nam ſi opus ſit notabiliter iniurioſum aut nociuum, non euadit ſacrilegium. Vnde qui in Eccleſia fornicatur non animo iniuriandi immunitati Eccleſiæ, ſed caſu quantũ ad locum, non excuſatur à ſacrilegio: quia dum non curauit continere in illo loco ob reuerentiam loco debitam, redit actus tantæ irreuerentiæ in naturam ſacrilegii. Et ſimile eſt in aliis notabiliter iniurioſis aut nociuis. Similiter ſi opus eſt prohibitum ſub tali vinculo, vt appareat vinculum eſſe ligans ad mortale peccatum (vt eſt excommunicatio) non euaditur ſacrilegium: vt ſi quis exigat gabel as à clericis, dum enim non curat exactor incurrere excommunicationem vt ſuæ vel alienę ſatisfaciat voluntati in exigendo à clerico, ſacrilegium incurrit, etiam ſi illud non intendat. Et per oppoſitum quando opus non eſt notabiliter nociuum ſeu iniurioſum, & arcto vinculo præcepti non ſubeſt, licet ſub immunitate Eccleſiæ contineatur, ſi deſit contemptus, nõ eſt mortale peccatum: quia nec formaliter (quia non ex intentione) nec materialiter ſacrilegium inuenitur redire, vt dictum eſt: ſed velut imperfectum quid in hoc genere relinquitur peccatum veniale. Et de horum numero ſunt comedere in Eccleſia abſque neceſſitate, confabulari, conſilia facere, hoſpitari, nautica ligna ibi ſeruare, & ſimilia. Ex quibus parua videtur irreuerentia haberi, in nullius iniuriam, aut damnum.

Vnde ad quæſtionem de venditione candelarum in Eccleſia aut cœmeterio, dicitur quòd aliud eſt ibi manere vendentes ad vendendum, & aliud eſt ibi fieri ſolam venditionem. Primum eſſet abuſionis, nec ſcio à peccato excuſare: quum dominus eiecerit vendentes ea quæ opportuna erant ad

sacrificia: & non propriè de templo, quia templum propriè non introibāt, sed de atrio templi: quod templum appellatur ab Euangelista, existens enim populus in atriis templi, dicebatur esse in templo. Secundum autem si auaritia desit, & vt satisfaciat deuotioni populi fit, non vitupero, videns hoc à personis religiosis & doctis seruari. Nec propterea primum damno peccati mortalis sed venialis, si in cœmiterio fiat (quod non est domus Dei, sed fidelium defunctorū) ex quo pontifices sciunt nec reprehendunt, & nō pro notabili habetur irreuerentia. Si autem in templo fieret, nisi imperfectio actus excusaret, non auderem à peccato mortali excusare: quia licet Matthæi xxi. dominus eiiciendo vendentes de templo, allegauerit iniuriam maximam, dicens: Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Ioan. tamen ii. allegauit irreuerentiam negotiationis, dicens: Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Et quia hoc dixit vendentibus minima, scilicet columbas (vt ibi patet) consequens est vt declarauerit negotiationem omnem in templo iniuriosam esse domui Dei, non ex positiuo sed diuino iure. Nota tamen id quòd imperfectio actus in proposito non attenditur penes imperfectionem venditionis, sed penes imperfectionem sacrilegii, quo iniuria fit loco sacro: ita quòd perfectus actus est qui completè irreuerens est templo Dei. Et hic esset quum venditor vteretur templo Dei tanquam officina negotiatoria seu ad vendendum: puta si haberet in templo locum ad vēdendum quasi in officina. Et hos insinuant verba domini dicentis, Nolite facere domum patris mei domum negotiationis. non enim dixit, Nolite vendere aut negotiari: sed, Nolite facere domum negotiationis. Significauit enim per hoc quod ita vendere vt fiat domus negotiationis, est sacrilegium perfectum: ven-

dere

dere autem citra hoc quod fiat domus negotiationis, quum de genere prohibitorum sit, imperfecti est sacrilegii. Vnde ex hac imperfectione excusantur à mortali tam pauperes qui deferunt vænales candelas per Ecclesiam, quam ii qui propter accidentem tunc pluuiam suas bancas cum candelis vænalibus trahunt intra templum, neutri siquidem faciunt domum Dei, domum negotiationis: sed quasi per accidens ibi vendunt.

Sextò, quod confundendo vocabula immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ, hæc & similia intelligenda sunt. Sed quum ad discernendum censuras sacrorum Canonum & casus reseruatos deuenitur, serua proprietatem nominũ, & distingue inter Ecclesiasticam immunitatem & Ecclesiasticam libertatẽ. Et per immunitatẽ Ecclesiasticam intellige exemptionem loci sacri, per libertatem verò Ecclesiasticam, intellige exemptionem personæ Ecclesiasticæ, non solùm in sua persona, sed in omnibus quibus per liberum arbitrium vtitur, & quæ possidet: ita quod si quis iniuriam loco sacro facit, non est reus violatæ libertatis, sed immunitatis Ecclesiasticæ: nec incurrit censuras latas contra violatores Ecclesiasticæ libertatis. Qui autem iniuriatur personæ libertatem eius impediendo vt non vtatur suis &c. violat Ecclesiasticam libertatem. Vnde Benedictus xi. in Extrauag. inter cunctas. ponit distinctos casus, violationem libertatis, & violationem immunitatis Ecclesiasticæ.

IMpedimenta matrimonii vide infrà in verbo matrimonium.

Impius in parentes vel alios quoscunq; vitiosus est & peccator.

IMpietas (qua parentibus & patriæ, consanguineis & conciuibus debitus cultus subtrahitur, aut iniu-

ria irrogatur) peccatum ex suo genere mortale ac valde graue est, contra primum præceptum secundæ tabulæ. Potest autem sicut & similia peccata dupliciter incurri scilicet formaliter, vel materialiter. Appellatur autem & est impietas formaliter, quia ex intentione contra patrem vel patriam &c. omittitur vel committitur: vt quum quis inhonorat patrem vt inhonoret, hoc est animo inhonorandi patrem aut nocet consanguineo vt noceat consanguineo, hoc est animo nocendi consanguineo, offendit conciuem vt offendat conciuem: detrahit patriæ beneuolo, vt detrahat patriæ beneuolo. Et hoc est propriè crimen impietatis, & est mortale ex suo genere: vtpote contra dilectionem debitam parentibus & patriæ. Contingit tamen peccatum hoc esse veniale propter imperfectionē actus: vel ex parte primi motus, ad omittendum vel committendum contra patrem aut patriam. vel ex parte materiæ: puta minimæ omissionis aut commissionis, tanquam pro nihilo computatæ.

Alio modo incurritur impietas materialiter, quando scilicet offenditur pater vel patria, aut consanguineus, aut conciuis, sed non contemnendo beneficium seu vinculum sanguinis & patriæ. sed propter alias passiones, vt accidit. Et sic impietas materialiter inuenitur in multis generibus peccatorum, quibus proximi offendi possunt. Et est circunstantia illius peccati, quo consanguineus aut cōciuis offenditur, mortalis vel venialis iuxta naturam commissi vel omissi, ita quod si commissum in consanguineum est mortale, ipsa quoque materialis impietas est mortalis. Spectat tamen hæc circunstantia ad speciem illius peccati quo offenditur ille qui est cōsanguineus &c. quia habet idem motiuū. Et ideo fac de hac circunstantia iudicium, quod est de ingratitudine: quia eadem est vtrobique ratio.

Pecca-

Peccatum impudicitiæ diuersis actibus committi potest.

IMpudicitia, qua homo actibus, tactibus, oſculis ſeu amplexibus vacat libidinosè, hoc eſt delectationis ſenſibilis quæ ibi ſentitur cauſa (etiam ſi nullum intendatur aliud opus) peccatum eſt, quia huiuſmodi delectatio ad generationem ordinata eſt: ſicut & cæteri actus venerei: & propterea niſi propter generationem fiant, peccatum incurritur, ob priuationem proprii finis. Sed ſi horum aliquid ſic fiat à non coniugibus, peccatum eſt mortale: dicente Apoſtolo ad Galat. v. quod impudicitiam agentes regnum Dei non conſequẽtur. Et ratio eſt: quia huiuſmodi actus impudici eiuſdem ſunt moris cuius eſſet coitus conſummatus inter illos: ita quòd ſi fiant inter ſanguine iunctos, ſpectant ad inceſtum: ſi inter ſolutos, ad fornicationem: & ſic de aliis. Et propterea inter coniuges veniale eſt: quia concubitus ipſe inter eos propter delectationem venialis eſſet. Ratio autem quare ſunt eiuſdem moris cum actu conſummato, eſt: quia hæc ſic accepta (ſcilicet vt ſunt delectabilia ſecundum ſenſum tactus) ſunt ordinata naturaliter ad actum conſummatum, multò vicinius, quàm delectatio morоſa in ſola mente conſiſtens, quantò exterior tactus propinquior eſt conſummationi venereæ. Oſcula autem & amplexus quæ fiunt ex beneuolentię ſigno, licita ſunt: quæ autem ex leuitate iocoſa, venialia ſunt. Et ſcito non eſſe ſimile iudicium de tactu & viſu. Delectari enim in viſu pulchræ mulieris, nullum peccatum eſt, niſi otiosè aut ad concupiſcendum videatur. Et ratio diuerſitatis eſt: quia tactus ſuapte natura ordinatur ad concubitum, viſus autem minimè. Hinc enim fit; vt conſentire in delectationem ſenſibilem quæ eſt ſecundum tactum: ſit conſentire

in delectationem veneream. Voluntariè autem delectari de persona quacunque pulchra visa, licet non sit venereum secundum genus suum: potest tamen & facilè fieri venereum ex affectu videntis illecto, tentato &c.

Dæmonis inuocatio manifesta, quæ propriè incantatio dicitur, peccatum est grauissimum.

INcantatio omnis, peccatum est mortale ex suo genere: quia inuocatio est dæmonis manifesta vel tacita ex aliqua superstitione adinuenta ad nonnullum dæmonis cultum. Et propterea non excusatur exercens incantationem quamcunque à mortali peccato, nisi propter imperfectionem actus ex parte hominis, non per se (hoc est ex intentione) sed per accidens dæmonem inuocantis: puta quia nescit interuenire ibi dæmonum inuocationem, & bona fide credit se dare operam rei licitæ.

Sed bene nota hanc ignorantiam tacitæ inuocationis habere locum in personis idiotis, quandiu non sunt moniti vt deserant. Nam post monitionem non excusantur amplius: quia cessat bona fides: & inde conuincuntur quod non per ignorantiam peccant, qui postquam sciunt aut dubitant de inuocatione dæmonum, nihilominus faciunt. Et similiter non excusantur de præteritis ignorantes, qui si sciuissent, nihilominus feciissent: quia ignorantia non fuit causa peccati.

Deprehenditur autem tacita inuocatio dæmonum ex multis specialiter ex septem.

Primò, ex adiuncta aliqua conditione vana vt necessaria: vt si ponatur virtus in verbis sacris, dum tamen scripta sint in pelle, aut tali hora: & similia quæ nec ad Dei cultum spectant, nec ad rectam rationem.

Hæc

Hæc enim vana diabolus apposuit vt sua sacra. Secũdò, ex adiunctis rationalibus vt naturalibus: vt si ad effectus naturales adhibeantur characteres significatiui: referuntur enim huiusmodi characteres ad dæmones intelligentes ipsos. Tertiò, ex adiunctis nominibus ignotis, vel absolutè, vel ad quid pertineãt: hoc enim dæmonum est opus quasi manifestum.

Quartò, ex excellentia effectus sperati, quia scilicet excedit virtutem naturalium agentium: vt nosse secreta cordium, sanari statim hominem aut equum, & huiusmodi. Et hoc intelligi quò ad medicinalia seu naturalia. Quintò ex vanitate effectus: puta quia quædam sacra verba dicta mouent annulum super filum: & similia vana. Ex hoc enim ipso quod vanus est effectus, cõstat quod nõ est virtus diuina, sed diabolica, non assistẽs verbis sacris, sed assistens sacrificio quod sibi fit, honorãdo ipsum illis verbis: gaudet enim honorari verbis & rebus sacris. Et sciant lectores, quod volui non experiri, sed conuincere huiusmodi diabolicam institutionem ad effectus vanos propter vtilitatem fidelium. Accepto namque filo & annulo, protestatus sum quòd versum illum sacrum Deo vero (cui à Psalmista dirigitur) dicebã, & non tanquam institutum ad mouendum annulum: & sic dixi versiculum illum, & annulus non est motus: vt hinc cognoscant omnes, quòd tunc diabolus mouet annulum quando versus ille dicitur ei vt ipse instituit. Dicit autem ei tacita intentione quicunque dicit etiam iocando illum. vt habentem vim ad mouendum annulum: quia vim illam non habet nisi ex pacto olim inito cum dæmone aliquo. Et de similibus idem fac iudicium.

Sextò, ex falsis adiunctis: puta quod Christus habuit febrem aut spasmũ neruorũ, & homini, est enim diabolus pater mendacii; Deus autem nõ eget men-

dacius noſtris. Et huic modo propinquus eſt ſeptimus, quando adiungunt apocrypha ſeu incerta. Mirum eſt enim quod homini incerta habeant à Deo virtutem, & certa non. Et rurſus quod ſanctis viris quibus Deus credidit ſecreta ſapiẽtiæ ſuæ & virtutem potentiæ ſuæ in miraculis & ſacramentis, & curam animarum, quibus promit notitiam omnis veritatis, ſecretas has ſacrorum virtutes negauerit, & vetulis ac perſonis qualibuſcunque hæc communicauerit. Vnde homini incerta ſunt ſaltem vt ſuſpecta cauenda. Et ſi non vis falli, nulli in materia incantationum credas: quia impoſſibile videtur vt non interueniat aliqua ſuperſtitio ſaltem in modo dicendi: puta dicere Pater noſter ad aures equi. hoc enim ſuperſtitioſum conſtat eſſe, & ſic de aliis.

Crimen incendiarij voluntariè commiſſum mortale eſt, & ciuili pœna mulctandum.

INcendiarius (hoc eſt malo animo comburens) manifeſtum damnum infert, & periculo reliqua exponit. Vnde à crimine maximo non excuſatur ſi ex intentione facit. Si verò præter intentionem ex negligentia, iuxta modũ negligentiæ reus eſt apud Deum. Quòd ſi abſque omni ipſius culpa contingat ab eo incendium proceſſiſſe, nullum peccatum eſt: ſicut abſque culpa tempore ſtatuto communiter incenduntur campi in fine Auguſti, vel &c. iuxta patriarum conſuetudines diuerſas. Sunt autem incendiarii excommunicandi. Et ſi denunciati fuerint excommunicati, non poſſunt niſi ab Apoſtolica ſede abſolui: vt habetur extrà de ſent. excom.

Coitus carnalis inter conſanguineos commiſſus damnabilis eſt, quia

natu-

naturalem deſtruit honorem.

INceſtus (quo inter conſanguineos ſeu affines carnalis fit commixtio abſque diſpẽſatione matrimoniali) peccatum eſt mortale inter grauiora, propter naturalem reuerentiam naturaleq; fœdus violatum. Et ſicut ad inceſtus crimen ſpectat etiam ſine opere conſenſus in conſanguineam ſeu affinem: ita ad inceſtus ſpeciem ſpectant impudicitiæ & carnales commixtiones impuberum perſonarum, ſi conſanguinitate aut affinitate ſunt iunctæ: quoniam & ſunt huiuſmodi actus vt via ad conſummatum inceſtum, & multò propinquius quàm cogitationes ad inceſtum, ordinantur quantum in ſe eſt conſummandum licet ex impotentia ætatis non conſummetur.

Imprudentiæ peccatum ex inconſideratione inductum negligentiæ poteſt attribui, & ideo damnabile eſt.

INconſideratio agibilium humanorum quantum ad eas conditiones quas poteſt & debet homo talis conſiderare, peccatum eſt imprudentiæ, ſiue ſit voluntaria ex intentione, quia ſcilicet noluit conſiderare, ſiue ex negligentia, quia non adhibuit ſuam diligentiam ad conſiderandum illa quæ conſideranda erant. poteſt autem eſſe peccatum mortale, quando ſcilicet eſt reſpectu eorum quæ ſunt de neceſſitate ſalutis facienda, dicenda, appetenda, cauenda &c. Veniale autem quando reſpectu aliorum. Et hæc intelige de conſideratione cõſummata: hoc eſt procedente ad voluntarium actum malè conſideratum, in quo eſt inconſideratio contrariè: vel non conſideratum, in quo eſt inconſideratio priuatiuè.

Aduerte tamen, quod ſi contingat aliquem ex ſola

inconsideratione actuali facere opus aliquod quod scit esse prohibitum, & si tunc actualiter aduerteret ad id quod scit, non faceret, excusatur à mortali: vt si quis non considerãs hodie esse festum, emit aut vendit: vel non cõsiderans esse diem ieiunii, comedit &c. aut non aduertens contractum esse vsurarium, facit illum &c. Et ratio horum & similium est: quia non videtur esse in potestate nostra occursus omnium, quæ scimus in iis quæ quasi sine discussione operamur. Et multò magis excusatur ille, qui meditatus quantum bona fide credit oportere, inuenit se post factum opus aut datum consilium considerationem omisisse, peccatum enim mortale præter intentionem valde difficile, contra intentionem verò impossibile est accidere: in proposito autem & præter intentionem manifestè est, contra intentionem videtur esse.

Actus inconstantiæ vitiosi sunt & damnabiles.

INconstantia (qua homo à bono ac debito proposito recedit non exequendo illud) peccatũ est: quia à rectæ rationis ordine declinat. Est autem mortale vel veniale peccatum iuxta materiam subiectam: nam si inconstans omittit ea quæ sunt de necessitate salutis, peccat mortaliter: si verò aliàs debita, peccat venialiter. Et si inconstans ex inordinata aliqua passione amoris vel rancoris omittit propositum prius bonum aliquod supererogationis, peccat quoque venialiter, quia inordinatè desistit à bono proposito.

INcontinentia (qua homo rectam habens intentionem vincitur à concupiscentia delectabilium carnalium aut honoris, aut iræ) peccatum manifestè, est personarum non omnino malarum, quæ habituatæ sunt in malo luxuriæ, ambitionis, iræ & huiusmodi;

modi: nec omnino bonarum quæ habent huiusmodi passiones domitas. sed mediocrium, quæ habent rectam intentionem circa castitatem, mansuetudinem &c. & tamen vigent in eis passiones vtpote non domitæ habitibus virtutum. earundem enim personarum est continentia & incontinentia. Contingit autem dupliciter. Vel ita quod passio huiusmodi præueniat rationem pugnantē rectè sentiendo, ita quod antequam pugnet, cedit: vt sæpe accidit cholericis propter velocitatem choleræ, & melancholicis propter vehementiam impetuosi motus. Vel ita quod ratione inde (hoc est ex parte superiore) & passione hinc (hoc est ex parte inferiore) pugnantibus tandem multiplicata & augmentata passio vincit. Vtroque autem modo si ad consensum deliberatum alicuius (quod est peccatum mortale) puta vindictam, fornicationem, &c. homo trahitur, peccatum est mortale huiusmodi incontinentia: aliter peccatum veniale. Et licet Aristoteles in mulieribus nolit continentiam & incontinentiam recognoscere, quia quasi pueri sequuntur facile absque pugna passionis: in mulieribus tamen Christianis propter lumen fidei quo spiritus concupiscit aduersus carnem, ac per hoc pugnat contra carnem, recognósco continentiam, quam spiritus vincit, & incontinentiam quum spiritus vincitur.

Peccatum indignationis membrum est superbiæ: quapropter damnabile & mortale dici debet.

INdignatio (qua ex ira homo afficitur proximo tanquam indigno sua affabilitate, conuersationem & huiusmodi, peccatum est propter inordinatam passionem: & cōiter veniale, procedens ex eo quòd indignum reputat se à tali nunc &c. pati seu tractari.

Potest

Potest tamen esse sine peccato, quando scilicet ex iusto rationis iudicio procedit: iuxta illud Greg. Indignantur iusti, sed non dedignantes hoc est, non habentes affectum inordinatum. Potest & esse peccatum mortale quando vsque ad subtrahendū aliquid de necessitate salutis impendendum proximo procederet, aut vsque ad deliberatum contemptum aut odium proximi creſceret.

Contemnens auditum verbi Dei infidelis dicitur, & peccator mortalis.

INfidelitas Christianę fidei opposita priuatiuè sumpta (hoc est illius qui natus est habere fidem quia est homo, non tamen habet) tunc tantum est peccatum, quum negligit auditui fidei credere: iuxta verbum Domini, Si non veniſſem & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent infidelitatis. Contrariè autem sumpta, peccatū semper est maximum. Et distinguitur in tres generales species: scilicet paganorum, hoc est eorum qui nullo pacto fidem susceperunt Christianam: Iudæorum, qui profitentur in veritate nostram fidem in figura, & negant illam in seipsa iam claram: & hæreticorum, qui sunt baptizati, sed pertinaciter errant in fide.

Et quamuis infinitæ sint hæresum species, iuxta infinitas erroneas sententias, quæ contra fidem possunt esse: de his tamen non oportet solicitum esse confessorem quātum ad peccati notitiam, sed solum quantum requirit medicina adhibenda: vt non remaneat in aliquo errore, vt sanus fiat totus, vt non facilè redeat ad vomitum &c. Incurritur autem infidelitatis peccatum tripliciter. Primò, ex intentione: vt quum quis in his quæ ad fidei necessitatem spectare nouit, ab Ecclesia dissentit, deliberatè credendo oppositum.

Et tunc

Et tunc est peccatum mortale maximum. Et si Christianus est, vocatur peccatum hæresis: & est excommunicatus, si in interiorem aliquē actum etiam coram seipso solo extiterit: & reseruatur absolutio Papæ cum reliquis de cœna Domini. Secundò, per primos seu imperfectos motus: vt quum quis ob tentationes aut rationes auditas &c. quasi vacillat in iis quæ sunt fidei, non tamen ad deliberatum cōsensum discernendi peruenit. Et hoc est peccatum infidelitatis quidem sed veniale propter imperfectionē actus. Et licet modò sit grauius, & modò minùs graue iuxta modum negligentiæ: semper tamen est graue propter genus arduum: & ideò statim abhorrendum est quum aduertitur quicquid contra fidem occurrit dicendum, aut audiendum, aut cogitandum &c. Tertiò, propter ignorantiam ex parte materiæ: vt quia vel scit materiam spectare ad fidem, sed nescit se errare in illa, vel nescit materiam spectare ad fidem, quæ tamen ad illam verè pertinet: & in vtroque casu putans se rectè sentire, nimis tenet, affirmat atque asserit errorem quem non videt esse errorem, infidelitatis peccatum materialiter incurrit: vt contigit sancto Cypriano martyri, qui cum octoginta Episcopis (vt habes xxxii. dist. cap. præter hoc.) appellauit baptisma hæreticorum lauacrum diaboli: quos beatus Augu. redarguit. Et quia in huiusmodi materialiter tantum erratur in fide, & non formaliter (hoc est ex intentione: quia omnino intendunt tales stare in fide sanctæ matris Ecclesiæ, imò pro illa pugnare, & intellectum in illius obsequium captiuare) non incurritur mortale peccatum. Sed tamen peccatur propter nimiam adhæsionem: quòd in Cypriano excusabilius fuit ex sententia tot Episcoporum, & martyrii tandem charitate omnino deletum.

Infidelium conuersationem habere in humanis occupa-

occupationibus quamuis peccatum non sit absolutè, cauendum tamen est vt occasio peccandi, & scandali pusiliorum, vbi scandalum timetur. De Iudæis autem in verbo Iudæi, dicetur.

In iis autem quæ ad infidelitatis cultum spectant, nullo pacto communicandum est. Vnde non licet commodare aut donare aut vendere illis aliquid pro vsu suorum sacrificiorum, & huiusmodi, quoniam particeps esset quis criminis, vtpote adiuuans illos ad exequendum infidelitatis suæ cultum.

INfidelitas vt est violatio promissionis, tractatur infrà in verbo, perfidia.

Gratias pro acceptis beneficiis non referens, aut referre contemnens, peccatum incurrit ingratitudinis.

INgratitudo (qua homo pro accepto beneficio gratias non refert opere pro loco & tempore, aut non agit lingua, laudando &c. aut non habet animo, recordando, recognoscendo & affectum beneuolum habendo) peccatum proculdubio est: quia contra rectam est rationem, violatur enim morale debitum: nam pro beneficio accepto debetur statim gratus animus, gratáque lingua, & gratum opus pro loco & tempore. Et multò magis ac maius ingratitudinis peccatum est, si aut animum malum rependat quis, aut vituperet, aut offendat illum à quo beneficium accepit. Committitur autem ingratitudinis peccatum dupliciter: scilicet formaliter, & per se, hoc est ex intentione: vt quum quis adeò ingratus est, vt vices non reprehendat, aut malas vices reddat beneficio seu benefactori vt sic. Et hoc est propriè peccatum ingratitudinis, quod est speciale peccatum ab aliis distinctum: & hoc est esse ingratum ex interiori contemptu beneficii. Et est peccatum mortale ex suo

genere;

genere: quoniam contemptus beneficii est contemptus non tam effectus quam boni affectus benefactoris & contrariatur directè dilectioni debitæ benefactori. Contingit tamen hoc esse veniale propter imperfectionem actus, & propter primum motum ad contemnendum, & propter beneficium minimum: quia minimum tanquam nihilum: ita quòd inde fiat vt contemptus non sit perfectè contemptus propter imperfectionem materiæ: sicut furtum rei minimæ non est perfectè furtum propter imperfectionem materiæ.

Materialiter autem incurritur ingratitudinis peccatum, quando vel omittitur aliquid necessarium ad gratitudinem, vel committitur aliquid offensiuum benefactoris non eo animo vt ingratus sit, sed alia intentione. Et tunc ingratitudo non est speciale peccatum, sed circunstantiæ peccati in benefactorem commissi. Et si quidē omittitur aliquid de necessitate salutis exhibendum benefactori, aut committitur aliquid de necessitate salutis, cauendum ne fiat in benefactorem, peccati mortalis rationem induit circunstantia illa. Si verò omittitur aliquid aliter debitum, aut committitur aliter vitandum, venialis est. Et quia in omni peccato includitur huiusmodi circunstantia materialis ingratitudinis ad Deum omnium datorem, non oportet scrupulo quemquam moueri de huius confessione circunstantiæ, sed de illius contritione assidua solicitum esse. Verùm quando offensa notabilis in benefactorem aliquem commissa est, explicanda est, sicut aliæ circunstantiæ aggrauantes infinitæ, non tamen mutantes speciem.

Inhumanitas dicitur qui seipsum nimis contemnit, & peccare in hoc potest.

Inhuma-

INhumanitas (qua homo hominem se esse quasi oblitus, alienæ miseriæ non se æstimat participem) peccatum est durioris cordis, qui misericordiæ virtutem tollit, qua humani nihil à nobis alienum putamus, & quasi vnum membrũ IESV CHRISTI patitur, reliquum compatitur: sumus etiam omnes vnum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra, inquit Apostolus. Habet autem duas malas matres: quoniam ipsa cordis duritia ex superbia nascitur, qua quis se tanti tenet, quasi sit adeò celsus, vt ad ipsum mala vix pertingere possint, exterior verò omissio subuentionis, ex auaritia nascitur. Vnde inhumanus à tribus est vulneribus curandus, vt discat quid est, misericordiam volo.

Iniustitia semper est peccatum mortale.

INiustitia (quia quis iniustũ facit in quacunq; materia) peccatum est mortale ex suo genere: quia illatiua est nocumenti quod charitati repugnat. Et hoc intellige quando homo facit per se (hoc est ex intentione) aliquid iniustum, intendens rem, aut famam, aut honorem aut membrum &c. tollere. Nam quando per accidens aliquis iniustum facit (puta quia nec intendit offendere in aliquo proximum, nec scit per se factum suum lædere quenquam) non est peccatum mortale: nisi magnitudo nocumenti illati aut negligentia sciendi reducat actum in naturam iniustitiæ. Exemplum primi: si quis ex loquacitate mulierem communiter habitam pro pudica, lædat notabiliter in eius fama. Exemplum secundi quantum ad ignorantiam facti: si quis iaciendo sagittam interficiat hominem ibi manentem: quia non fecit diligentiã suam an ibi posset homo lædi sagitta. Quantum autem ad ignorantiam iuris: vt si quis violenter eiiciat propria auctoritate hominem iam olim possidentem agrum suum,

ſuum, quia putat licere ſibi rem ſuam ſibi vendicare: in huiuſmodi enim redit actus in naturam iniuſtitiæ. Eſt autem iniuſtitia peccatum veniale propter imperfectionem actus ex parte actus, vt primi motus; aut ex parte materiæ, vt in re minima.

Peccatum inobedientiæ dupliciter incurritur.

INobedientia (qua ſuo ſuperiori homo ſubditus non obedit in aliis in quibus illi ſubiicitur) dupliciter incurritur. Vel per ſe, hoc eſt ex intentione. Et hoc eſt ex ſuo genere peccatum mortale: quia iniuriam facit ſuperiori ſuo, cõtemnens illius præceptum. Idem namque eſt contemptus præcepti, & nolle extra intentionem obedire præcepto: quia qui ex intentione inobediendi tranſgreditur præceptum, vult non ſubiici per obedientiam præcepto: quod eſt nolle ſubdi præcepto: quum non ad aliud ſubdatur homo præcepto niſi ad obediendum. Quia ergo paria ſunt contemptus præcepti, & nolle ex intentione obedire præcepto, conſtat peccatum mortale eſſe non obedire ſubditum præcepto ſuperioris vt non obediat. Intellige autem præcepti nomine, omne ſuperioris mandatum obligans ſubditum ab obediendum: ita quod non exigitur vt ſit præceptum antonomaſice (hoc eſt obligans ad peccatum mortale) ſed ſufficit quòd ſit præceptum, hoc eſt habens vim obligatiuam ſubditi ad obediendum, vt præceptum in moralibus diſtinguitur contra concilium. Et intellige quòd inobedientia formalis (hoc eſt ea intentione vt non obediat) ſufficit ad peccatum mortale inobedientiæ. Contingit tamen interuenire peccatum veniale propter imperfectionem actus, vel primi motus, vel materiæ minimæ: vt ſæpe dictum eſt in ſimilibus.

Incurritur autem inobedientia materialiter, quandocunque

docunque non ex intentione inobediendi, sed alia intentione contra præcepta Dei vel superiorum homo facit. Et tunc inobedientia non est speciale peccatum, sed concurrit generaliter cum omni peccato, inquantum in eo est inobedientia Dei: & similiter inobedientia præceptorum, iuris vel Prælati tanquam generale peccatum omnium transgressionum iuris vel mandatorum à Prælato inuenitur: quando subditus non ideo transgreditur vt non obediat. Et propterea de huiusmodi inobedientia materialiter, iudicandum est secundum grauitatem peccati cum quo concurrit: nam si concurrit cum peccato aliàs mortali, est mortalis: & si cum peccato aliàs veniali, est venialis. Et hinc fit, vt si superioris præceptum obligans ad mortale subditus transgreditur non eo animo vt non obediat, sed ex alia voluntate, peccat mortaliter: quia materialis inobedientia concurrit cum peccato aliàs mortali, hoc est ex vi talis præcepti constituto inter peccata mortalia.

Mens humana debet ab inquietudine vacare: ne solicitudine nimia labatur in peccatum rationem omittens.

INquietudo mentis peccatū sonat commune multis materiis prout aliqui inquietent mentem circa negotia secularia, ex auaritiæ affectu: alii circa ea quæ sunt Veneris, alii circa ea quæ sunt gulæ, alii circa ea quæ sunt vindictæ &c. Vnde potest esse peccatum mortale, quando ex mortaliter malo animo est deliberatè. Et potest esse veniale peccatum, vtpote vel ex malo habitu præcedente veniens absque deliberatione, vel circa venialiter malam materiam versatæ: vt contingit negotiatoribus lucrosis auaris absque cuiusdam damno.

Pecca-

Peccatum insensibilitatis qualiter committatur.

INsensibilitas rarissimum peccatum est, quo quis sine rationabili causa fugit delectationes sensibiles naturales. Et si inuenitur hoc peccatum mortale est: vt si quis horreret intantum delectationes sensibiles, vt necessaria ad cibandum seipsum subtraheret aut negaret debitum vxori, & breuiter necessaria prætermitteret. Aut ex lapidea natura constaret homo talis: ita quod fortè non haberet tantum luminis & liberi dominii super suam malam complexionem vt mortaliter posset in hoc peccare.

Insipientia in quantum oppositum est sapientiæ peccatum causat.

INsipientia pro quanto peccatum sonat contrarium sapientiæ, malè affectæ mentis ad effectiuè iudicandum secundum primam causam, crimen est siue tollat à Deum vt finem suorum operũ, siue vt prouisorem, siue totaliter iuxta illud, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Sed tunc vsque adeò excæcat vt infidelitatem inducat, qui enim primò operatur tanquam qui putat non esse Deum, non multum distat vt putet & dicat in corde suo non esse Deum.

Violatio interdicti Ecclesiastici semper est prohibita.

INterdicti Ecclesiastici violatio peccatum videtur solummodo clericorum, quoniam solis clericis pœna indicitur. Nec etiam est clericorum qualitercunq;, sed pro quanto exercent aliquid certo ordini deputatum: ita quod nec ipsi clerici violant interdictum, nisi faciendo aliquem actum ordinis. Ex pœnis autem irregularitatis & suspensionis ab officio & beneficio, & ineligibilitate & impostulabilitate &c.

quas clericus violans interdictum incurrit, apparet peccatum esse mortale: tanta enim multiplicatio tam grauium pœnarum, graue delictum supponit. Nec quantum ad hęc refert, an ipse clericus sit interdictus, an hæc faciat in loco interdicto. Intelliguntur autem in proposito appellatione clericorum non solum qui vere sunt clerici, sed etiam moniales quæ nullius ordinis sunt capaces: vt patet in cap. postulastis. de cleric. excommunica. & cap. ministrante. Ita quod ipsæ tunc violare intelliguntur interdictum, quando officiarent Ecclesiam vt prius, & breuiter illa facerent quæ clericis intelliguntur prohibita tanquàm competentia ex ordine aliquo. Et quoniam imponitur eis multùm grauis pœnitẽtia (scilicet quod in arctiori debent retrudi monasterio ad agendum pœnitentiam) apparet similiter peccatum mortale. Verum huiusmodi apparentia mortalis peccati, siue in clericis, siue in monialibus, nõ cogit fateri peccatum mortale: quia solæ pœnæ sunt temporales, quas potest homo cum merito incurrere: vt patet in iudice qui incurrit irregularitatem iudicando iuste hominem ad mortem: omnes enim huiusmodi pœnas aut maximas inter illas incurrit homo absque peccato. Et propterea sicut excommunicatio minor potest incurri absque mortali peccato, & tamen priuat hominem à maximis mysteriis sacris & necessariis singulis hominibus (quia priuat à perceptione sex sacramentorum) ita interdictum sicut & irregularitas & suspensio incurritur absque mortali peccato, quantum est ex parte pœnarum, aliunde siquidẽ potest esse mortale, scilicet ex parte contemptus aut præcepti adiuncti, si contingat aliquid horum adiungi. Dixi autem violationem interdicti peccatũ esse clericorum quatenus clerici; quia laici non propriè violant interdictum nisi faciendo à clericis illud violari; & tunc non

minus

minus quàm clerici peccant. Et in multis casibus huiusmodi, incurrunt laici excommunicationem: vt habes suprà in verbo, excommunicatio.

Sed si clericis violantibus aut non violantibus interdictum, laicus interdictus aut in loco interdicto audit diuina quæ ibi dicuntur, dicendum est quòd peccat quidem, si ipse laicus est interdictus: quomodo debet humiliter sustinere interdictum, & obedire abstinendo à diuinis. Si tamen ipse non est in culpa, nec est nominatim. Sed vt vnus de populo interdictus, & sine scandalo ex deuotione hoc faceret tanquam putans innoxiis pias interpretationes pœnarum subuenire creditur excusari à tanto. Si autem ipse non est interdictus, sed audit in loco interdicto, non videtur peccare: quia ex quo ibi diuina dicuntur ipso non auctore, melius est vt fructum ex illo malo bonus percipiat, quàm quòd abstineat: nisi hoc esse fomentum clericorum ad non seruandum interdictum. Et similiter si celebrans admittit ad diuina aliquem interdictum non teneor ego exire: quia nõ est assignatum delictum participii in diuinis cum interdicto sicut cum excommunicato: quamuis celebrans incurrat, suspensionem ab ingressu Ecclesiæ: vt patet in cap. Episcoporum. de priuileg. in vi. Aduerte hic, quòd hodie nullus tenetur seruare interdictum à iure vel à iudice positum, si non est contra certum locum aut personam denunciatum: quia sic in concilio Constantiensi sub Martino quinto, indultum est: vt patet in constitutione superius recitata in tractatu de excommunicatione minore.

Confessores qualiter se habere debeant circa pœnitentialem interrogationem.

INterrogationes pœnitentium à cõfessoribus, propter finem huius operis occurrunt hic inserendæ:

vt confessor sciat exercere officium suum. Vbi scito primò quòd vt in verbo confessor tactum est, confessor tenetur ad interrogandum pœnitentem in casu quo putat: aut rationabiliter dubitat omitti aliquid necessariò confitendum, si non interrogat: quia tenetur iudex discernere omnia necessariò discernenda ante sententiam absolutionis: alioquin iudicis officio abutitur. Vnde si ad necessaria discernendum oportet interrogare, tenetur interrogare. Et quia abusus sacramentalis iudicii est sacrilegium, proculdubio peccatum est mortale nolle interrogare de necessariis. Et confirmatur hoc ex iuris auctoritate, extrà de pœnitent. & remis. omnis vtriusque sexus. Vbi dicitur de confessore, diligenter inquirens peccatoris & peccati circunstantias. Vbi autem confessor bona fide putat non esse opus interrogatione, non peccat: quia præcepta affirmatiua, quale est de interrogando, intelliguntur pro loco & tempore, & secundum omnes prudentiæ circunstantias. Imprudentis autem est interrogare, quem aut quando non putat bona fide interrogandum. Scito secũdò quòd interrogationum quædam sunt præambulæ ad confessionem, & quædam sunt ipsius confessionis. Interrogationes præambulæ sunt tres. Prima, si audiendũ potest sibi subdi quo ad sacramentum pœnitentiæ: iuxta dicta in verbo, absolutio: quia aliter non posset ipsum absoluere. & propterea ante omnia oportet nosse si est de sua parochia vel diœcesi, &c. Secunda, si est impedítus, ita vt non possit ab ipso absolui: puta si est excommunicatus aliqua reseruata excommunicatione, si est in concubinatu, si vsurarius, si perseuerans occupator alieni, seu tyrannus, & quæcunq; huiusmodi. Et hoc vt non possit postea pœnitens conqueri dicendo, quòd voluisti audire & scire facta mea, & nõ vis me absoluere, &c. Similem quoque cautelam adhibe Ecclesiasticis,

clesiasticis, qui detestabilem abusum habendi tot beneficia curata incompatibilia absque rationabili causa sequentes confidunt in bullis scriptis, prædicendum est eis. Prouide primùm vt sit tuta conscientia secundum Deum, & deinde audiam. Præmittendi sunt quoque Ecclesiastici comati, &c. ad tonsorem, & deinde audiendi. Et sic de aliis.

Tertia est, si præparatus est diligenti discussione præmissa ad confitendum, nam impossibile humano more videtur, vt statim quis longi temporis delictorum neglectorum recordetur: ita vt possit credi illum diligenter discussisse conscientiam suam. Oportet autem præcogitasse secundum suum modum iuxta fragilitatem humanam, & postea supplementum à confessoris inquisitione sperare. Hæc de præambulis.

Ante interrogationes autem confessionis, faciat confessor pœnitentem dicere peccata sua modo quo scit: quia hoc recta ratio & iudicii & medicinæ requirit. Nam accusator debet se prius accusare: & similiter æger debet dicere quid sibi dolet, caput an stomachus, &c. Pœnitens autem est accusator suimet, & est æger, confessor autem iudex & medicus. Nec hoc putes tempus perditum: quoniã ex tali spontanea confessione quamuis crasso modo, habes circa quæ interrogare debes. Memento autem non esse interrumpendum accusantem se: sed postquã compleuit, interrogato ordine, qui tibi magis placuerit. Nos aliorum ordinem sequentes, secundũ decem præcepta interrogationes quæ videntur necessariæ, summatim per capita pro memoriali, subiungemus. Circa primum præceptum capita nouem occurrunt. Primum est, de infidelitate. Si recessit à fide nihil credendo, quod est apostasia à fide. Si non credidit aliquid fidei, quod est hæresis. Si verè dubitauit de iis quæ sunt fidei: quia dubius in fide, infidelis est. Intellige si deliberato

consensu voluit dubitare, & non credere. Si vacillauit in fide citra deliberatum consensum, est veniale. Si ex timore negauit fidem verbo vel signo, quamuis non corde, quia mortale est. Secundum est, de idololatria. Si adorauit dæmonem: & breuiter aliud quàm verum Deum. Tertium est, de blasphemia Dei & sanctorum. Si blasphemauit Deum aut sanctos. Si maledixit Deum, aut sanctos, &c. aut iniuriosè impudica membra sanctorum dixit, &c. Quartum est, de falso cultu veri Dei: vt si Iudaicum etiam cultum seruauit aut in cultu Ecclesiastico falsum inseruit: quia pernicioſum esset mendacium cultus. Quintum est, de superfluo cultu veri Dei: vt si fiat excessus corporalis apparatus, aut cantus, aut soni, quod communiter veniale videtur. Sed si excessus consistat in hoc quod adiungitur diuino cultui cantilena aliqua (siue in voce humana, siue in voce organi) mortale peccatũ est ex suo genere: quia iniuria irrogatur Ecclesiastico cultui ac Deo, dum colitur huiusmodi cãtilenis. Sextum est: de inuocatione dęmonũ explicata: quia mortale est. Et similiter si familiaritatem aut pactum, aut sociale colloquiũ cum dæmone habeat: quia nõ licet cum eis nisi hostiliter aut dominatiuè diuina virtute se habere. Colloqui autem cum dæmone in arreptitiis & energuminis vanè & curiosè (vt à multis fit) peccatum proculdubio est: quia publicati sunt nobis hostes. Mortale autem non video, si nihil aliud peius curiositate aut vanitate occurrit: quia imperfectum quid in genere socialis conuersationis hoc est. Septimum, de incantionibus & diuinationibus per superstitiosa, in quibus dæmonis inuocatio implicite inuenitur: quoniam mortale est, nisi ignorantia excuset vt habes in locis propriis. Et his annectuntur diuinationes per astra, somnia, auguria, sortes, quãdo superstitiosæ sunt: & de portantibus breuia superstitiosa

ad

ad collum,&c. Octauũ, de perfidia votorum. Si non impleuit votum tempore debito. Si vouit facere malum: puta percutere. Si vouit non facere bonum aliquod: puta non mutare, non fideiubere: quia non solum non valet: sed peccauit vouendo. Nonum est de tentatione Dei. Si tentauit Deum, volens Deum succurrere sibi miraculo quum posset se pascere: aut,&c. Circa secundum præceptum occurrunt tria, iuxta tres comites iuramenti: Iurabitis in iudicio, iustitia,& veritate. Hierem. iiii. Quantum ad veritatem. Si iurauit assertiuè, scienter falsum: vel dubitans assertiuè tamen iurauit. Et similiter si promissoriè iurauit non intendens implere. Et similiter si comminatorie iurauit. Et si quod iurauit se facturum, noluit implere. Quantum ad iustitiam. Si iurauit se facturum malum præcipuè peccati mortalis. Quantum ad iudicium. Si iurauerit indiscretè & sine rationabili causa. Et ad hæc reducitur interrogare, si fuit causa quod aliquis iuraret falsum aut malũ, aut non impleret iuramentum. Circa tertiũ præceptum occurrunt quinque: scilicet de tempore sacro, de actibus sacris, de loco sacro, de rebus sacris, de personis sacris. Circa primum. Si festos dies violauit, opera seruilia aut alia ab ecclesia prohibita exercendo, aut iubendo illa fieri. Si omisit Missam dictis diebus absque rationabili causa. Si diem festum audita Missa consumpsit in ludis vanis,&c. Si tempore sacrorum ieiuniorum (hoc est quadragesimæ, vigiliarum & quatuor temporum) omisit ieiunare absque rationabili causa. Si violauit hæc eadem cibis prohibitis circa secundum. Si non communicauit in paschate. Si non est confessus semel in anno. Si confitens mentitus est, vel tacuit aduertenter aliquod mortale: quia in hoc casu confessio vtpote dimidiata esset iteranda. Si non peregit pœnitentiam iniunctam. Si contraxit matri-

monium cum personis sanguine iunctis vsque ad quartum gradum. Si contraxit matrimonium clādestinum. Si neglexit sacramentum confirmationis pro se aut iis quorū curam habet. Si neglexit ire ad prædicationem, & scire quæ tenetur scire. Si fecit sacros actus (hoc est actus alicuius ordinis, vt celebrare, facere diaconatum, & huiusmodi) & breuiter: si dedit aut susceptit sacramentum aliquod in peccato mortali, hoc est absque illius contritione: aut ad hoc faciendum induxit aliquem. Si excommunicatus ingessit se diuinis puta Missę officio, processioni. Si cum excommunicatis participauit in diuinis extra casus cōcessos. Si excommunicatus minore excōmunicatione susceptit aliquod sacramētum. Si suspensus aut irregularis aut interdictus ingessit se prohibitis sibi. Si quis tenetur ad officium diuinum, non dixit illud. Si ex proposito euagata mente illud dixit, in parte præcipuè notabili. Si dixit illud ita collidendo vt non exprimeret dictionem, sed principium & finem versus sonando, quoniam si verè ita est, non satisfit. Si mutauit officium ad libitum. Circa tertium. Si violauit locum sacrum (hoc est Ecclesiam, aut cœmeterium) semine aut sanguine humano. Si violauit loci Ecclesiastici immunitatem, inde furando, rapiendo, vel extrahendo inde homines, aut ibidem prohibita exercuit vel exerceri fecit: vt iudicia secularia parlamenta, &c. Si interdictum non seruauit. Circa quartum. Si abusus est sacramentis, & præcipuè Eucharistia: aut sacramētalibus, puta oleo sancto, & huiusmodi. Si non seruauit formas sacramentorum. Si iniuriam fecit sanctorum reliquiis aut imaginibus. Si vsurpauit aut occupauit res mobiles vel immobiles Deo dicatas: vt sunt res Ecclesiarum.

Circa quintum. Si percussit aut quomodolibet violentauit clericum seu Ecclesiasticam personam. Si

carnale

carnale peccatum similiter commissum est per ordinem sacrum, aut religionem, aut votum castitatis. Si libertatem à gabellis, &c. Ecclesiasticarum personarum violauit, exigendo ab eis prohibita exigi. Circa quartum præceptum occurrunt quinque: scilicet de impietate, inhumanitate, inobediētia, inobseruantia, & ingratitudine. Quantum ad impietatem. Si parentes non honorauit. Si illis non subuenit. Si sanguine iunctis debitum honorem & subsidium non impendit. Si patriæ, si conciuibus & patriæ beneuolis debita non exhibuit auxilia & officia. Si filios aut nepotes sibi commissos non educauit, instruxit, curauit. Si maledixit illis. Si neglexit corrigere illos verbo & verbere vt expedit, præcipuè in peccatis mortalibus: vt blasphemiæ, &c. Si vxorem vel virum malè tractauit. Si famulos famulasque malè gubernauit: & econtrario si hi debitum non fecerunt. Quantum ad inhumanitatem. Si crudelis ad pauperes. Si ad opera misericordiæ negligens. Si de superfluo non fecit eleëmosynam. Si existenti in necessitate extrema aut magna, non subuenit vt potuit. Si contra pauperes aliquid fecit, aut dixit, aut impediuit aliquam eis conferendam eleëmosynam.

Quantū ad inobedientiam. Si ex contemptu non obediuit: seu si non obediuit vt non obediret. Si non obediuit in iis quæ sub præcepto mortalis peccati mandata sunt. Si non obediuit in damnū alicuius. Si non obediuit in iis quæ sunt notabilis importantiæ. Si non obediuit in cōmunibus mādatis. Et hic infere de obseruatione legum & statutorum, &c. Quātum ad inobseruantiam. Si principibus & his qui in dignitate sunt constituti, nō detulit debitum honorem & reuerentiam, & subiectionem verbo & opere. Si magnatibus, &c. non assurrexit, &c. Quantū ad ingratitudinē. Si ex cōtemptu beneficii aut benefactoris fuit

ingratus

ingratus:seu si ideo fuit ingratus vt esset ingratus. Si fuit ingratus verbis. Si affectum non habuit retribuendi. Si memoriam non replicauit recompẽsandi, sed obliuioni mandauit beneficium. Si benefactori detraxit,aut malefecit, aut fieri fecit. Non occides, quintum præceptum. Vbi de iniuriis personalibus mortis,mutilationis,vulneribus,vinculorum carceris, seruitutis,cruciatus, & exilii, consistentium in facto. Si occidit,aut occidere attentauit. Si infantem tenuit in lecto cum periculo oppressionis. Si procurauit abortum viuificato fœtu. Si etiam procurauit abortum ante viuificatum fœtum, scilicet primo mense: quia etiam mortale est,minus malum tamen. Si venenum sterilitatis sumpsit aut dedit. Sed aliquid horum fieri fecit,aut dedit consilium, auxilium vel fauorem:imò si non obstitit quum posset, in crimine est. Si mutilauit aut mutilari fecit, &c. vt de homicidio interrogatũ est. Et sic de aliis sex. Si vulnerauit,si vinculauit, si carcerauit, si cruciauit quacunque corporali afflictione,si in exilium misit, aut aliquid horum fieri fecit,&c. vt suprà. Demum si voluntate deliberata aliquid horum desiderauit, vt alicui eueniret. Ad hæc reduc de odio,ira,inimicitia,& bello. Si odio habuit aliquem. Si desiderauit illi malũ animæ vel corporis, vel honoris,famæ,rerum, &c. Si gauisus est de malo alicuius,& quali malo. Si vindictam fecit propria potestate,aut similiter fieri fecit, aut optauit fieri. Si noluit parcere inimico quantum ad offensam. Si negauit aut subtraxit communia beneficia. Si inimicitias fouit. Et hic innumera occurrunt de actibus propterea gestis intus & extrà: & de peccatis quorum fuit causa,aduocando socios criminis, &c. Si fecit bellum iniustum. Si fuit ad bellum iniustum scienter. Si fuit ad bellum dubium de iustitia absque mandato superioris:ita quòd obedientia non excusat. Sextum præceptum.

ceptum. Non mœchaberis, de iniuriis venereis: scilicet de adulterio, incestu, sacrilegio, stupro, fornicatione, & crimine innaturali. Si cum persona coniugata, aut est adulterium. Si cum sanguine iuncta, est incestus. Si cum persona Deo dicata per sacrum ordinem aut votum solenne religionis, aut etiam per votum simplex castitatis, semper est sacrilegium. Si cum muliere virgine, est stuprum. Si cum persona soluta, est simplex fornicatio. Si innaturaliter cum persona sola, est mollities. Si cum persona alia, est sodomia. In his venereis modus innaturalis, hoc est vt mulier supergrediat, culpabilis maxime est. Alii verò tolerabiles sunt: & videntur potius confitentibus relinquendi vt dicant ipsi. De osculis, tactibus, & aliis huiusmodi interroga summariè inter non coniuges: inter coniuges nulla quasi cura habeatur, nisi vel ad pollutionem extra actum coniugii agatur, aut cum periculo talis pollutionis agatur. Omnis enim extra coniugii actum voluntaria pollutio, peccatum est contra naturam.

Septimum præceptum, Non furaberis, de iniuriis quantum ad res: de furto, rapina, fraude, vsura, & huiusmodi. Si furatus est. Si rem alienam inuentā, quæ non habetur pro derelicta, accepit animo retinendi pro se. Si ex naufragio res alienas accepit. Si vendidit aut emit cum fraude: aut circa pretiū, aut circa rem, aut circa pondus, aut circa mensurā, aut circa numerum. Si fecit cōtractus vsurarios. Si imposuit nouam gabellam. Si exegit gabellas à personis Ecclesiasticis contra ipsarum exemptiones. Si violenter abstulit rem alienam, aut etiam suam à quieto possessore, quamuis malè possideret. Si cōtractum societatis iniustæ fecit. Si communia bona vsurpauit. Et de cambiis, & breuiter hæc melius ipsi qui fecerunt sciunt, si volunt se accusare: quoniam conscientia eorum accusat

cusat eos intus. Octauum præceptum. Non dices falsum testimoniũ: habet duo capita magna. Primum, de iniuriis iudicialibus. Et hic ex parte iudicis, ex parte accusatoris, ex parte rei, ex parte testis, ex parte aduocati, ex parte procuratoris. Secundum, de iniuriis verborum. Et hic de mendacio, detractione, contumelia, rixa, contentione, litigio, susurratione, irrisione, maledictione. Et quoniam illa quæ pertinent ad primum caput, non sunt communia sed aut rara, aut status spectant iudicum, aduocatorum &c. ideo vide in locis propriis: non prætermittendo circa testes in iudicio, an non solùm verum dixerint, sed etiam an responderint iuxta interrogata absque sophisticatione. Et similiter si reus in casu quo tenetur, noluit fateri verum, aut mentitus est: & tantò peius si inde alter (puta actor) infamatus est quasi calumniator &c.

De mendacio. Si mentitus est perniciosè, hoc est in damnum alterius: siue quo ad scientiam, docendo falsa: siue quo ad res, dicendo quod res ista non est istius: siue quò ad quodcunque aliud bonum animæ vel corporis, vel rerum exteriorum. Si mentitus est officiosè vel iocosè. Hic annecte de simulatione & hypocrisi quæ sunt mendacia in facto. Si simulatio aut hypocrisis fuit perniciosa, hoc est in damnũ &c. aut si fuit adeò affectata, vt pro illa seruanda non curauerit incurrere mortalia peccata. Si mendicauit quasi egens quum non egeret. Si finxit reliquias sanctorum, aut miracula &c. ad quæstum. Annecte & de iactantia, si perniciosa. Vnde in locis suis.

De detractione. Si dixit aliquid ad infamiam alterius animo infamandi. Similiter si audiuit, aut fouit, aut induxit tali animo. Si non animo detrahendi dixit verba detractoria cum læsione famæ. Si facilè gestulit ex auditu mala aliorũ. Si non defendit famam

proximi

proximi iniustè infamati, in casu quo posset, & propterea læsa est proximi fama. De contumelia. Si dixit alicui aliquid criminosum, aut conuicium animæ vel corporis animo iniuriandi. Si sine tali animo dixit ita tamen quòd notabiliter proximus est iniuriatus. Si ad hæc dedit consilium &c. Si aliàs leuiter, iniurias aliquas dixit. Si rixatus est, quo animo & quibus verbis iniuriosis aut minis. Si comminatus est, & quo animo, & quid. Si contentioni vacauit: & quo animo, an impugnandi veritatem vt impugnaret veritatem, an ex duritia aut apparētia quadam, & an in rebus fidei vel morū &c. Si litigiosus fuit omnibus opponens, semper quasi molestus in colloquiis &c.

De susurratione. Si seminauit discordias, aut fouit eas animo discordiam causandi aut fouendi. Si non eo animo, sed tamen tam notabiliter vt discordia sequeretur. Si leuiter aliqua dixit quę ingrossatiua sunt animorum.

De irrisione. Si derisit aliquem animo confundendi illum. Et si non tali animo, tamen ita turpiter vt confusio sequeretur. Si ioco aut leuiter irrisit aliquē. De maledictione. Si imprecatus est malum alicui: & quod malum animæ vel corporis, vel damnū rerum, famæ &c. Si hoc dixit animo vt eueniret. Si ex ira siue animo malo. Si male dixerit creaturis irrationabilibus. Si maledixit diem natiuitatis suæ aut alterius, detestando hominem natum, ex consensu deliberato volens malè natum aut non natum, Et sic de similibus. His annecte de verbis turpibus, quæ malè moriginati habent in consuetudine. Nonum præceptum. Non concupisces rem proximi tui, de peccatis auaritiæ in corde. Si desiderauit rem alterius iniustè habere. Si machinatus est ad damnum alterius. Et hic de propositis & studiis acquirendi per fas & nefas. Si fuit mediator aut consultor ad aliquid huiusmodi.

Decimum

Decimum præceptum. Non concupiſces vxorem proximi tui. Hic de peccatis carnalibus in corde, & conſequenter in loquutione. Si concupiuit mulierem alienam, aut conſanguineam &c. ſecundum ſupradictas ſpecies luxuriæ. Si miſit ad hoc nuncios, ſi literas. Si fuit mediator ad hoc aut adiutor. Si oculis aut nutibus prouocauit. Si in Eccleſia aliquid horum fecit: & peius ſi in miſſa &c. Et hic occurrunt innumerabiles actus amantium, quod ipſi ſciunt &c.

Confeſſor qualiter interrogare habeat confitentem circa capitalia vitia.

INterrogationes autem de ſeptem vitiis capitalibus non arbitramur aliter apponendas, quàm remittendo ad ipſa vitia: vt ſcilicet confeſſor videbit in verbo, ſuperbia, quæ ſunt ſuperbiæ: & in verbo, gloria, quæ ſunt inanis gloriæ. & in verbo, auaritia, quæ ſunt auaritiæ: & ſic de aliis, ne contingat idem repetere. Similiter circa ſtatus diuerſos hominum: ſiue communes, vt coniugatorum: ſiue ſpeciales, vt Epiſcoporum, beneficiatorum, clericorum, religioſorum, viſitatorum, iudicum, aduocatorum, procuratorum, medicorum, magiſtrorum, doctorum. Artificum verò diuerſorum peccata, iniis quæ fraudis ſunt applicata ad illam materiam maximè videntur conſiſtere: & ideò non duxi republicanda.

Periculum vitæ propriæ non timens, eo poteſt peccatum incurrere, oppoſitum fortitudini & rationi.

INtimiditas (qua homo non timet pericula vitæ, integritatis membrorum, & bonorū temporalium, quando, vbi, cur, & ſicut oportet) peccatum eſt contrarium fortitudini: quia cōtra rectam eſt rationem. Eſt autem peccatum mortale, quando ex conſenſu deli-

deliberato homo non timet, contra rectam rationem nocendo sibiipsi vel proximo notabiliter, siue censetur animus hic impauidus ex minore quàm debeat amore propriæ vitæ &c. siue ex electione animi vt frequentiùs accidit hominibus putantibus vilis animi esse timere & separare se à contentionibus, rixis, armis &c. Veniale autem peccatum hoc est, quando ex stultitia excusabili procedit: scilicet quia quasi stolidus non perpendit pericula, & ideò non ponderans non timet. Tantaque posset esse stoliditas, quod nullum esset peccatum. Est etiam & veniale propter imperfectionem actus, vt si deest liberatio (vt in primis motibus) & propter imperfectionem materiæ: vt in paruis periculis seu paruis rebus. Aduerte hic tam pro hoc non timendi peccato, quàm pro similibus peccatis in defectu passionum consistentibus quod quia passiones amoris, timoris, tristitiæ, iræ, audaciæ &c inditæ sunt nobis ad prosequendum nostra bona, vel ad fugiendum mala, nõ sit tibi curæ si quis quasi Stoicus ex naturali complexione aut vndecunque animum habeat, aut videatur habere sine passione timoris vel tristitiæ, &c. si tamen habet illam quantum ad effectum necessarium: puta quòd prosequitur bona prosequenda, fugit fugienda, cauet cauenda, quando, vbi, cur, sicut &c. oportet. in huiusmodi enim voluntatis omissionibus consistit peccatum, siue habeat passionem siue non.

Indebitè procurans beneficium Ecclesiasticum si indebitè intrudatur nisi damnationem acquirit.

INtrusio crimen est canonicum: quo scilicet aliqui honorem Ecclesiasticum seu beneficium absque canonica prouisione acquirit de facto, & intrusus est, & dicitur quandiu sic tenet; & est in statu æter-

næ damnationis.

Peccatum inuidiæ indubitanter tam à Deo quàm ab hominibus damnatur.

INuidia (qua homo triſtatur de proſperitate alterius ſimilis ſeu æqualis vel ſub aliis verbis, qua homo triſtatur de bono alterius quaſi diminuat propriam excellentiam) peccatum eſt: quia triſtatur quis de bono alieno, de quo debet potius gaudere. Et eſt ex ſuo genere peccatum mortale: quia contra charitatem, qua bonum proximorum diligere tenemur. Et propriè inuidia eſt quum aliquis dolet quod alius proſperetur, non propter aliud, ſed propter hoc ſolum quod ille parum à ſe diſtans, bonum ſeu melius habet: apprehendit enim inuidus quaſi illius bonum ſit ſuæ diminutio excellentiæ. Qui autem triſtatur de bono alterius propter aliquam conditionẽ adiunctam (puta propter damnum inde ſequens, aut quia caret ipſe, aut quia indignus habet) non eſt inuidus. Et ſunt tres: ſcilicet timidus, æmulus, & nemeſius, de quibus in ſuis vide locis. Et ſicut contingit in aliis vitiis, ita hic intellige inuidiã ex voluntatis cõſenſu eſſe peccatum mortale: ſine deliberatione autem eſſe veniale: vt in motibus paſſionum imperfectis, & ſimiliter in rebus minimis. Nec inuenitur inuidiam humanam habere plures ſpecies. Dico autem humanã propter inuidiam fraternæ gratiæ, qua quis triſtatur de diuinæ gratiæ diffuſione ſeu participatione: quomodo hęc inter peccata contra Deum eſt & ponitur peccatum in Spiritum ſanctum, & eſt grauiſſimum.

Ira quando ſit permiſſa, & quando prohibita.

IRa, passio est naturalis, qua appetimus vindictam. Et si ratione reguletur, non est peccatum: sed si à recta ratione exorbitet, peccatum est. Potest enim vindicta iusta rectè appeti sicut etiam potest rectè infligi: vt quum pater, aut Prælatus irascitur contra filii aut subditi delicta, & punit. Dupliciter autem discordare potest à recta ratione. Primò, quantum ad vindictam appetitam: quia scilicet quispiam appetit vindictam iniustam: siue sit iniusta secundũ se: puta quia appetit quod quis occidatur, quũ non mereatur mortem: siue sit iniusta quantum ad actorem: puta quia licet mereatur mortem, non tamen ab homine priuato: siue sit iniusta quantum ad intentionem, appetit illam non vt iustam, sed vt satiatiuam sui animi. Et sic ira est peccatum mortale, quia contra charitatem: ita tamen quòd propter imperfectionem actus, vel ex parte rati, quia non ex consensu rationis (vt contingit in passionibus antequàm verè consentiamus) vel ex parte vindictæ, quia minima est vt contingit in punitionibus minimis, quæ si fierent, quasi pro nihilo haberentur) peccatũ solummodo veniale intelligas, sicut in cæteris vitiis humanis. Secundò potest à recta ratione ita discordare quantum ad modum irascendi: puta quia nimis ardenter intus quis irascitur, aut secundũ exteriores motus nimis excandescit, & sic si excessiuus modus est nudus, peccatum est veniale. Si autem huic excessui adiacear aliquid contra dilectionem Dei vel proximi (vt blasphemia, aut maledictio ex animo) esset ex adiacenti mortali mortalis.

Vitium ironiæ quod dicatur, & an semper vertatur in peccatum.

IRonia apud mortales vitium iactantiæ contrarium significat, sicut auaritia contrariatur prodigalitati: ita quod ironia fingit minus de se quàm sit, sicut per oppositum iactantia fingit de se maius quàm sit. Et quoniam ironia aut negat aliquid magnum in se quod quis in se recognoscit, aut affirmat de se aliquem defectum quem in se non recognoscit, ideo semper peccatum est, vt pote mendacii species. Et potest distingui ironia in officiosam, iocosam, & perniciosam: vt pernicioſa quæ sola est peccatum mortale, intelligatur illa ironia quæ contra charitatem Dei aut proximi tendit: vt quum quis ad decipiẽdum illa vtitur: iuxta illud, Et qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Quum autem aliquis prædicat se defectuosum, & habeatur humilis, incurrit simul contraria vitia: & ironiæ, fingẽdo defectus quos non habet: & iactantiæ, fingendo humilitatem qua caret. Et quia hic est eius finis, ideo magis est reus iactantiæ quàm ironiæ.

Irregularis non semper dicitur peccator, sed pœnam ferre peccati.

IRregularitas, non culpa sed pœna est, nec spectans ad confessores: quia pariter absoluuntur à peccatis irregulares & non irregulares. Vnde pertranseundũ censui, monendo confessorem quod si alicubi peccatum clerici propter quod incurrisset irregularitatem reseruatum reperit, dicit clerico quod ipse de seipso rationem reddat: ne oporteat cõfessorem reuoluere omnia iura ad viuendũ omnes casus quibus incurritur irregularitas, & sic in similibus (puta in synodalibus & statutis municipalibus) seruare memento, ne erres, & te exoneres.

Scito tamen irregularitatem non solũ à laicis incurri quandoque sine peccato (vt quum iudex occidit male-

maleficum) verum cum clericus etiã malè operando incurrit irregularitatẽ, non propterea peccat mortaliter: ita quod actus aliquis habens annexã irregularitem non inducit peccatũ mortale siue exercens illum actum propterea reddatur inhabilis ad executionem sui ordinis, siue non: quia plus est facere illud propter quod homo redditur inhabilis ad susceptionem sacramentorum, quam facere illud per quod inhabilitatur ad exequutionem ordinis: quum susc ipere sacramentum sit maius exequutione ordinis, & sit magis de necessitate salutis. Sed primum non inducit peccatum mortale, vt patet de excommunicatione minore: ergo nec secundum, incurritur quippe excommunicatio minor absque mortali peccato: & tamen priuatur per eam homo perceptione omnis sacramẽti. Et simile est de suspensionis & interdicti censuris iudiciũ propter eandẽ rationem. Scito quoque quòd appellatione irregularitatis homicidii voluntari non venit irregularitas propter occisionẽ hominũ in bello iusto, aut iudicio iusto: quoniã vbi nõ interuenit homicidium, ibi non inuenitur irregularitas homicidii. Constat autem quòd quando homo iustè occiditur, non committitur homicidium: quoniam homicidiũ species est criminis, non enim significat occisionem hominis qualemcunque, sed iniustitiã: ergo non est ibi irregularitas homicidii siue voluntarii siue inuoluntarii. Cum quo tamen stat quòd interuenit in huiusmodi alia irregularitas, puta causæ sanguinis vsque ad mortem. Et hæc ideo sint adiecta, vt sciat priuilegiati in dispensatione irregularium citra homicidium voluntariũ, posse se dispensare in omnibus casibus occisionis humanæ, in quibus non interuenit crimen homicidii Nec sint de cætero propter hæc soliciti ad petendum dispensationem à Papa: quia ipsi possunt dispensare.

Irrisio, vide suprà in verbo, Derisio.

Ceremoniarum superstitiosa obseruatio peccatum est.

IVdaizare (siue seruando sabbathum, siue alia Iudæorum custodiendo) peccatum mortale est, ad superstitionem falsi cultus diuini spectans.

Christianorum cum Iudæis conuersatio prohibita est.

IVdæorum conuersatio illicita est Christianis, in in generali quidem quãtum ad assiduam seu familiarem conuersationem. In speciali verò quantum ad decem. Primò ad simul habitandum. Secundò ad simul conueniendum. Tertiò, ad simul balneandum. Quartò, ad vocandum illos in infirmitate. Quintò, ad percipiendum medicinas ab eis. Sextò, ad nutriendum infantes eorum in domibus eorum. Septimò, ad seruiendum eis, vt illorum famuli. Octauò, ad esse seruum eorum. Nonò, ad præficiendum seu permittendum illos in aliquo officio publico inter Christianos. Decimò, ad comedendum azima illorum: vt videre potes extra de Iudæis. & xxviii. quæst. i. in plurib⁹ capitulis. Et quoniam in multis apposita est pœna excommunicationis (vt in primo, tertio, quarto, quinto, & vltimo. in c. nullus. xxviii. q. i. secundum autem dicitur sacrilegium: sextum verò & septimum committitur Prælatis vt compellant per Ecclesiasticam censuram, nonò quoque censura excommunicationis ferenda indicitur, xvii. q. ii. c. constituit. ideo cautũ oportet confessorem, in huiusmodi non ferre vnam de omnibus sententiam, sed quædam nullo pacto pertransire: qualia sunt omnia quæ quasi continuam conuersationem, aut multam familiaritatem ingerunt (vt cohabitare, famulari domestice quouis mini-

ministerio,&c.) & quod tolerentur in officiis publicis. Primùm enim horum periculum habet annexum subuersionis iuxta illud Apostoli: modicum fermentum totam massam corrumpit: & propterea inhibitū est. Secundum autē derogat dignitati fidei,& idcirco est interdictum. Quædam autem si absque contēptu non sunt seruata, ex incuria aut aliqua causa rationali,saltem secundū transgressorum indiciū, tolerari possunt vt cœnasse cum eis, aut balneatum simul esse,vocasse ad curam ægritudinis,& similia. Spectandum siquidem est ad tria. Primò, ad obedientiam, cui non contrauenitur si desit contemptus. Secundò, ad finem præcepti, qui est, ne fides fidelium periculo corruptionis exponatur, contra quem fieret,si familiaritas, aut illorum super Christianos præfectura quælibet permitteretur.

Tertiò,ad alium finem præcepti.s.dignitatem fidelium seruandam:contra quam fieret, & per illorū officia publica & per azymorum illorum comestionem,& per conuiuia,ipsis enim tanquam diuina profitentibus nostra abominantibus, Christiani quasi prophanos se exhiberent,illis deferendo. Et omnibus consideratis secundum diuersitatem temporum, locorum,& personarum est iudicandum,saluando semper tria prædicta.

Iudex potest dupliciter in iudiciis offendere.

IVdicis peccata sunt in duplici differentia,quædam nanque sunt cōtra diuinum vel naturale ius: quædam contra ius positiuum. Et peccata quidem iudicis prima principalia sunt quinque. Primum est, iudicium iniustū in toto vel in parte. Secundum est, iudiciū temerarium, quando sine sufficientibus testibus, documentis & iuris ordine quò ad necessaria

iudicat, etiam si eueniret inde sententia iusta: quia non debet iudicare nisi ex sufficientibus ad iudicium. Tertium est iudicium vsurpatū, quando vel non sibi subditam personā, vel opus non sibi subditum (puta occultum) iudicat. Quartum quasi extra iudiciale est iniusta remissio pœnæ: quando scilicet iudex etiam si princeps fuerit, relaxat pœnam homicidii, mutilationis, latrocinii, & huiusmodi in damnum reipubli. cæ, aut partis. Magnum siquidem reipubl. nocumentum communiter infertur, quum mali impunes euadant, quia crescunt mali: & qui sunt mali aut ad malum proni, audent perturbare, vulnerare, occidere, &c. Nec excusat communicatio pœnæ in pecuniariam, nec pax à parte habita, quoniam princeps est custos iusti: ita quod absque rationabili causa vtens huiusmodi vocatis clementiis peccatum mortalissimum incurrit, imò reus est homicidiorum, &c. consequentium. Quintum est, negatio seu dilatio iustitiæ præsertim petitæ. Dico autem præsertim petitæ: quia tenetur etiam nō petitam iustitiam facere, vigilando & inquirendo, ac purgando Rempublicam malis hominibus punitionibus. Sed tantò grauius peccat petitam negando, aut procrastinando iustitiā: & tenetur de expensis & damnis illorum quibus negatur vel differtur sine rationabili causa. Et quodlibet horum quinque est peccatum mortale, quia est iniustitia: quæ ex suo genere est mortale peccatum. Annexa autē peccata sunt innumera iuxta multitudinem causarū, quæ possunt iudicem inducere ad aliquid dictorū. Potest namq; ex odio vel vindicta, ex auaritia, ex amicitia alicuius, ex ambitionem, ex ignorantia culpabili, ex timore mundano, &c. incurrere hæc peccata. Ex positiuo autem iure, siue canonico, siue ciuili, siue municipali, tot incurrūt peccata, quot transg rediuntur prohibita. Quæ nō tenetur confes-

sor

sor scire, sed ipsi iudices tenentur scire quæ spectant ad officium suum. Et propterea ipse seipsum probet, si est iudex ordinarius, si violauit quæ sunt ordinarii. Et si est iudex delegatus, si violauit quę sunt delegati: puta petere aut recipere præter esculenta paucorum dierum, expensas in casu: quia Ecclesiasticus tenetur restituere. de rescript. in vi c. statutum. & cùm ab omni. de. vi. & honest. cleric. Secularis autem non potest præter esculenta plusquàm quatuor aureos recipere: si causa excedit centũ aureos, vt ciuiles leges statuunt. Sed hæc sint exempli causa dicta, ipsi de seipsis loquantur.

Temeritas in iudiciis euitanda est, & potest verti in peccatum.

IVdicium temerarium (quo homo quicunque sine sufficienti certitudine iudicat proximum de animo seu intentione) peccatum est, quia nemo debet diffinitiuè asserere etiam in suo corde quod nescit, in præiudicium præsertim alterius. Et si iudicat proximum de peccato mortali peccat mortaliter: quia sine sufficienti causa despicit proximum, & in corde suo dat illi iniuriosũm locum absque rationabili causa. Si autem iudicat de peccato veniali, aut de mortali, non assertiuè in corde suo determinat, quamuis credat firmiter & temerariè, non peccat mortaliter: quia non diffinitiuè iudicat, sed venialiter, magis & minus grauiter iuxta qualitatem signorum æstimandi, & affectus malè dispositi. Vbi quoque pro timoratis conscientiis, memento discernere inter iudicium operis, & iudicium personæ. Nam si quis non plus sciens audit aliquem maledicentem (puta in mala hora) aut videt aliquem exercentem aliquem turpem actum, & credens actus huiusmodi esse secundum se peccata mortalia, iudicat illos peccati mortalis, non incurrit

peccatum iudicii temerarii, de quo est communis sermo quoniam non iudicat persona m, sed opus : nec errat in iudicio personali: sed in iudicio rerum. Tunc autem iudicaret temerariè, quãdo esset iudicũ personale: ita quòd ex parte intentionis seu animi iudicaret illum peccare mortaliter, audens definire in actibus dubiis aut v enialibus intentionem mortalem.

Iuramento licito duo crimina contrariantur.

IVrare si duos habet comites, iudicium, iustitiam & veritatem, actus virtutis religionis est, vtpote profitens Deum infallibilem omnium notitiam ac veracitatem habere. Propter quod scriptum est. Laudabuntur omnes qui iurant in eo.

Contrariantur autem iuramento duo crimina, periurium, & iurare per falsos deos, aut creaturas. Et de periurio quidem in loco suo inferius tractabit.

De hoc autem crimine quod grauius est, nec habet nomen proprium, aduerte quò ad blasphemiam reducitur: quia dum aliquis intendit verè iurare, intendit testimonium infallibile afferre: & dum per creaturam quamcunq; aut falsum Deum iurat, profitetur creaturam illam seu illum æstimatum Deum esse infallibilem testem, quod est proprium Dei veri, ac per hoc attribuit, quod est proprium Dei, alteri, quod est blasphemare. Est ergo iurare per creaturas, aut falsum Deum plusquam periurium, quia est peccatum blasphemiæ.

Veruntamen quum Christiani iurare videntur per creaturas (vt per sancta Euangelia, aut per sanctos &c.) piè interpretandum est: hoc est secundum Christianum morem & sensum: hoc est vt intentio iurantis sit Deum in creatura afferre in testem, & non ipsam, secundum se creaturam. Et iuxta hanc distin-

diſtinctionem diſcerne diuerſa prohibentia & concedentia iurare per creaturas. Nam prohibentia intelliguntur de creaturis ſecundùm ſe: concedentia intelliguntur de creaturis vt in eis eſt Deus.

Vſus laruarum quibus mediis reddatur illicitis.

LAruarum vſus illicitus ex circunſtantia aliqua redditur, & non eſt ſecundum ſe illicitus: vt patet ex hoc quod repræſentationibus eſt licitus. Nec ſolum redditur illicitus ex malo fine, & incongruo tempore, loco & modo: ſed ex conditione perſonæ plurimum penſandus eſt. Nam quia tempore quo quaſi inſanire licet, laruæ aſſumuntur, iuuentutis hæc eſt licentia: & propterea à grauibus viris aliena cenſetur. Et licet magnates etiam Eccleſiaſtici ad excuſandas excuſationes in peccatis, dicant ſe maximè decere vt laruati incedant, vt poſſint liberè diſcurrere incogniti, quod non deceret illos manifeſtos, nihilominus non excuſantur. Tum quia tales non egent propter graues toto anno occupationes huiuſmodi recreatione. Tum quia non ad recreandum animum, ſed ad ſuperfluam agunt delectationem. Tum quia non curant cognoſci, imò plures eorum volunt cognoſci. Tum quia ſcandalizantur puſilli ex prælatis præſertim Eccleſiaſticis laruacis: Et meritò: quia perſonas ſubeunt leuium & iuuenum, ſecundum morem. Et hoc eſt valde penſandum: ſcriptum eſt enim: Qui ſcandalizauerit vnũ ex iſtis puſillis, expedit ei ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius &c.

Latrones à quo denominationem ſortiantur.

Latro-

LAtrocinium) quo obsessor viarum siue publicè, siue occultè per vim aufert res à transeuntibus) species est rapinæ & manifeste peccatum mortale: à quo denominantur latrones.

Lenones dicuntur personæ infames & detestabiles ratione peccati.

LEnocinium (quo persona mediat, fouet, allicit ad venerea aliena) peccatum est mortale, tanto grauius, quantò reatum in se habet omnium criminum quæ inde sequuntur. Hinc enim lenones & lenæ personæ infames satis notæ denominantur.

LEx iniusta peccatum est maximum criminis nec mereretur vocari lex, statutum, aut &c. sed corruptio legis. Consurgit autem iniquitas legis ex quatuor. Primò, ex materia: vt quum mandatur fieri aliquid quod est peccatum & præcipuè mortale: vt sunt leges de sacrificando idolis, de fallendo proximum.

Secundò, ex forma: vt sunt leges grauantes inæqualiter subditos inæqualitate proportionis, quæ constituit iniustitiam distributiuam. Vt quum fit edictum de colligendis decem millibus ducatorum à populo, ita quòd tales soluant centum, & tales viginti &c. quum tamen secundum proportionalem iustitiam econuerso fortè fieri deberet: sed quia attenditur ad fauores vel ad amicitiam, ideò sic iniquè distribuitur onus. Et sic de similibus. Tertiò ex authore legis, quia scilicet non habet potestatem statuendi, vel non habet potestatem super illos, vtpote exemptos, aut super illam rem, seu illud opus. Quartò, ex fine: quia non ordinatur in veritate ad commune bonũ, sed ad proprium commodum principis, & quocunq; horum modorum lex seu mandatum iniustitiam habeat, non solum est iniqua: sed non obligat subditos

ad

ad sui obseruantiam. Ad secundum modum spectãt omnes gabellæ iniquæ ex forma : vt videntur omnes gabellæ de iis quæ deferuntur pro proprio vsu, quæ etiã ex ciuili iure sunt prohibitæ. Ad quartũ autem omnes iniquæ ex non durante amplius fine vt si gabella fuit posita ad faciendum muros ciuitatis. perfectis muris iniusta est, si perseuerat exactio.

Grauissimum peccatum committitur in libelli famosi emissione.

LIbellus famosus (quo quis proximum infamat exponendo iniuriosam alicui schedulam vt inueniatur, legatur &c.) ad detractionis crimen spectat, si authoris nomen occultatur. Si verò seipsum nominat, ad contumeliæ nequitiam pertinet, & propterea semper est scelus magnum.

Aperiens literas alienas, inuito Domino, peccat.

LIteras alienas sigillatas aperire inuito domino peccatum est iniustitiæ & curiositatis. Intercenit siquidem in hoc opere iniustitia, quoniam fit iniuria custodienti literas sub sigillo ideo enim apponitur sigillum, vt custodiatur scriptura interior per sigillum: Et quia custodiatur duobus, scilicet mittenti, & ad quem mittitur (mittens siquidem, custodiam sigillì apposuit, vt sic custodia litera perueniat ad eum ad quem mittit) ideò appellatione domini in proposito venit vterque. Et propterea nisi alter eorum consentiat, aperitur sigillum, inuito domino. Et vtrique fit iniuria: quia ius aperiendi quod vtrique solì conuenit, nõ solum vsurpatur sed tollitur: non enim restat quod aperiatur postquam apertum est. Curiositas quoque inuenitur in hoc actu : quia ad hoc aperiuntur literæ vt legantur, vt sciat legens id quod

sciat

scire non decet, aut saltem vnde scire non decet: quia ex alienis secretis non decet acquirere notitiam. Est igitur peccatum iniustæ curiositatis aperire literas sigillatas inuito domino. Et quia iniustitia ex suo genere est mortale peccatum formaliter loquendo: ideo actus iste ex suo genere est peccatum mortale, si formaliter fiat. Dupliciter nanq; contingit hoc facere. Primo, formali & per se, hoc est ex intentione iniuriam talem faciendi, sicut detrahens animo detrahendi, & dicens conuicium animo iniuriandi &c. Et sic est mortale: quia iniuria ista non est inter paruulas iniurias: quæ quasi pro nihilo ab hominibus habentur: sed est iniuria æstimata ab hominibus vt patet. Et si quæratur, in quo iniustitia hæc nocet proximo: dicendum est quod læditur proximus in proprio iure custodiæ scriptorum suorum: quod contra ius gentium violatur, quasi ius legatorum inanimatorum: communi enim fidei sigilla literarum credita intelliguntur. Alio modo aperiuntur literæ sigillatæ non animo iniuriam hanc irrogandi. Et tunc non propriè incurritur iniustitia: quia non fit iniustum formaliter: sed materialiter, ac per hoc non est peccatū mortale, nisi actus redeat in naturā suæ formæ: aliunde puta ex nocumēto subsequuto in fama, honore, rebus, &c. vel fortè ex excellentia personæ offensæ, puta principis, vel ex alio accidente.

Considerandatria circa literarum sigillatarum apertionem.

EX his autem habere potes tria specialia. Primum est, quòd si quis sigillatas alienas literas legat ratihabitionis spe in mittentes, vel ad quem mittitur, excusatur: quia non aperit inuito domino: Secundū est, quòd si quis huiusmodi literas aperiat ex curiosa leuitate, putans pro certo quòd non sunt ibi scriptæ

res importantiæ, paratus tamen ad secretum: si casu ibi inuenitur aliquid secretò tenendum, peccat quidem, sed venialiter tantùm: quia nec per se facit iniustum, nec per accidens reddit iniustum materialiter in naturam formalis iniustitiæ: quia nullum est periculum nocumenti. Tertium est, quòd authoritate publica ex causa rationabili aperit huiusmodi literas, non est iniustum, quamuis fiat inuito domino: quia respublica ius habet prouidendi sibi opportunè: ad prouidendam autem cautelam publici boni spectat tempore belli vigilare super insidiis proditionibus, & tractatibus, &c. quæ per literas possent significari. Et idcirco excusantur aperientes huiusmodi literas, de mandato publico ex causa belli, aut alia rationabili causa. Et sibiipsi imputet extraneus vel dominus Ecclesiasticus, aut secularis qui mittit literas, si displicet factum: scire enim debet quòd nulli iniuriam facit qui vtitur iure suo. Et hac eadem ratione (quia scilicet vtitur iure suo) maritus aperit literas vxoris, sed ad vxorem & pater filiorum, & Prælatus religiosorum, & sic de similibus.

Litigiosus duplex peccatum incurrere potest.

LItigium duo significat peccata. Alterum, quòd vocatur contentio, qua quis contra veritatem ex proposito litigat de qua superius dictum est. Alterum, quod proprium nomen non habet, quo homo in conuersatione humana omnibus opponit verbo vel motu aliquo: ac per hoc molestam habet conuersationem: vtpote tristitiam ingerens his cum quibus conuersatur. Est autem peccatum hoc contrarium affabilitati: qua homo conuersatur cum omnibus delectabiliter vt decet. Et potest hoc peccatum incurri dupliciter. Vel formaliter hoc est ex intentione contristandi

tristandi hominem contradicendo. Vel materialiter, hoc est absque huiusmodi intentione. Et vtroque modo est peccatum: quia contra rectam rationem exigentem hominem debere conuersari delectabiliter vt decet. Et communiter est peccatum veniale, propter paruitatem nocumenti intenti seu subsequentis: nam huiusmodi tristitia minimum quid est. Si tamē intenderet aliquis confundere hominem, aut contemptibilem reddere per huiusmodi contradictiones, esset peccatum mortale propter notabile proximi nocumentum.

Litigans iudicialiter pro temporabibus quadrupliciter peccare potest.

LItigare in iudicio pro temporalibus rebus sibi iniuste debitis, vt quotidie fit, peccatum est quadrupliciter. Primò ex irrationabili causa: puta si ex cupiditate seu auaritia aut pertinacia quadam vel opprimendi aut molestandi causa litigatur. Secundò, ex modo personali si contentione & quasi inimicè, non colloquendo &c. litigatur. Tertiò, ex modo iudiciali: si fraudulenter, si peruerse producendo, probando prorogando, &c. litigatur. Quartò ex scandalo pusillorum. vt contingit quando frater contra fratrem, aut religiosi contra laicos grauatos filiis & filiabus, seu aliàs indigentes, &c. quibus deberent donare, litigant. Deberent enim præpositi proponere capitulo, & cum capituli consilio blanda charitate aut donare, aut differre in pinguiorem fortunam (hæc enim est vera fides boni dispensatoris rerum Christi) & non scandalizare mundum litibus, quasi suffocando debitorem (redde quod debes) prætexu Ecclesię. quasi Christus non habeat vnde aliunde cultores suos pascat.

Ludus dupliciter consideratur.

Ludere

LVdere ex duplici capite inuenitur peccatum, vel ex generè ludi, vel ex circunstantiis. Ludus autem ex proprio genere peccatum est, qui consistit in actionibus turpibus vel iniustis. Et distinguitur in tria genera. Primum genus est, quum ludus assumit turpia verba vel facta. Et si quidem vel verba facta sunt peccata mortalia. Ludus est peccatum mortale: si autem verba vel facta sunt peccata venialia. Ludus quoque erit peccatum veniale. Secundum genus est, quum Ludus assumit nociua proximo: siue noceant in persona, sine infamia, siue in honore, &c. Et sic semper est peccatum mortale: quia nocere proximo est mortale peccatum, nisi propter imperfectionem actus excusetur. Esto tamen hic prudens interpres: quoniam moderata hastiludia & moderata gladiatoria, & similes exercitationes armorum quæ parum nocumenti periculo exponunt ob commune bonum militaris disciplinæ, quæ exercitatione comparatur, procuratur & fouetur, non comprehendũtur sub his damnatis ludis. Tertium genus est, quum in ludum assumũtur sanctorum gesta, tanquam contẽnantur, & in derisionem deducantur: hoc enim peccatum mortale est, iniuriam inferens non homini, sed Deo in sanctis aut sacris suis.

Ludus verò ex circunstantiis malus censetur ex septem. Primò, ex fine: vt si quis ita esset affectus ludo, vt multum tempus consumeret in ludis, & hoc esset veniale: vel etiam non curaret de præceptis Dei vel Ecclesiæ propter ludum: quia hoc esset mortale. Secundò, ex persona: vt si dedecet personam talem ludere tali ludo: vt Prælatos, &c. Tertiò, ex loco, vt si in Ecclesi luderetur: quod esset mortale quò ad ludos theatrales, & similes: veniale autem si sine rationabili causa quis ibi luderet ad scaccos. Quartò, ex tempore: vt si diebus festis nimis abstraheretur à diui-

nis propter ludum. Quintò ex qualitate: vt sit talis ludus (puta alearum) sit prohibitum. Hodie tamen solis clericis prohibiti quidam ludi videntur, vide in verbo, clericus. Laicis enim omnis ludus non secundū se malus licitus videtur, nisi vbi specialiter prohibitio seruari consueuit. Sextò ex modo, vt si fraudulenter ludatur. Septimò ex abusu, dum multi ludo, qui causa recreationis licitus & sanctus est, abutuntur, vt negotiatione ad lucrum: ita quod non ludūt propter delectationem principaliter & pecuniam interponunt quasi stimulum ad verè ludendum: sed ludunt principaliter propter lucrum. Et hoc semper est peccatum: quoniam est dare operam turpi lucro, si tamen nulla alia deformitas immisceatur, non est peccatum mortale.

Luxuria consideratur respectu venerearum superfluitatum, quæ duplex esse potest.

LVxuria apud mortales peccatum generale est animi superfluitatibus vacantibus. Appropriatè tamen vsurpatur pro superfluitate in venereis. Et sic ponitur vnū inter septem vitia capit alia. Potest autē dupliciter superfluitas venereorū inueniri. Primò, secundum solas circunstantias: vt contingit inter coniuges. Et sic cōmuniter est venialis luxuria. Secundò, secundum ipsam speciem actus: vt contingit in fornicatione, stupro, adulterio, &c. & iis quæ ad hæc ordinantur. Et sic semper est mortale peccatū: vt de qualibet specie in suo loco patet.

Magister scholarum tripliciter peccare potest.

MAgistrorum peccata circa tria sunt, doctrinam, morem, & lucrū. Quantū ad doctrinā peccatur primò

primò docendo noxia animæ, siue contra fidem catholicam, siue contra bonos mores. Et hoc siue directè, siue indirectè: hoc est ex modo dicendi, magnificando contraria, & quasi despiciendo ea quæ sunt fidei seu bonorum morum: vt contingit doctoribus multis philosophiæ & poëtis arrogantibus sibi philosophiæ authoritatem, libertatem ingenii, & contemptu fidei, & bonorum morum: quasi non sint veri philosophi, nec veri poëtæ, qui boni Christiani sunt. Secundò, docendo falsa vt vera. Et hoc si ex industria fit, incurritur mendacium pernicioſum mentiendo in iis quæ ad perfectionẽ spectant intellectus: qualia sunt scibilia omnia: nocumentũ enim inferre in bonis intellectus non est minus quã nocere in bonis corporalibus. Sicut autem est mentiri de aliquo singulari: quoniã singularia non sunt scibilia, & illorũ notitia non per se spectat ad perfectionẽ intellectus. Si autem non ex proposito falsum dicitur in scibilibus, non est peccatũ mortale: quum non sit mendacium nisi materialiter: nisi forte nocumentũ notabile inde prouenieus ex incuria aut temeritate doctoris asserentis temerè falsum reducat actum in naturam mendacii tanquã non curauerit mentiri in nocumentum aliorum. Tertiò, negligendo studere vt docere bene possit, &c. quartò, nolendo docere aliquid egregium ex inuidia.

Quintò, deuiando scholasticos auditores ab aliis doctoribus in damnum ipsorum auditorum, & iniuriam doctoris. Et hoc esset mortale si sic fieret. Quantum ad mores non solum peccat minus corrigendo, vel excedendo in correctione, sed quod magis vrget fouendo aut inuitando ad turpia, seu ludos, &c. sunt enim causæ multorum per hoc malorum inde subsequentium in adolescentulis. Quò ad lucrum verò peccatur si exigit plusquàm sibi

debeatur, aut à quibus non sibi debetur.

Malum alicui imprecans agit contra charitatem, & ideò peccat.

MAledictio qua quis imprecatur alicui malum, peccatum est mortale ex suo genere: quia contra charitatem est cupere alicui malum. Aduertenda tamẽ sunt hic quatuor. Primum est, quòd est sermo de malo sub ratione mali, & non sub ratione boni honesti vel vtilis: hoc est ad maledictionem requiritur quod desideretur homini malum puta mors, infamia, damnum rerum, infirmitas, & si quod aliud malum occurrit: ita quòd non desiderentur ista illi vt iustitia Dei aut reipublicæ habeat suum locum, sicut lætabitur iustus quum viderit vindictam. Et similiter quòd nõ desiderentur ista illi vt medicina corrigens illum, & reducens ad sanitatem animę, aut saltem reuocans ab oppressione bonorum. Sed desiderantur ista proximo non curando plus, hoc enim est desiderare malũ formaliter. Secundum quod sermo est de creatura rationali, cui soli potest aliquid mali obuenire. Vbi cautè aduerte, quod si maledicuntur creaturæ irrationales absque alia adiunctione, peccatũ est otiosi verbi. Si verò maledicerentur vt sunt creaturæ Dei, non esset simplex maledictio, sed blasphemia: sicut etiam blasphemia est maledicere sanctos aut Deũ. Si autem maledicerentur in ordine ad homines vel vt sunt res alicuius (vt si quis imprecetur sterilitatem agro alicuius, aut mortem pecudibus alicuius, &c.) perinde esset vt imprecari damnum homini qui est dominus. Vel vt sunt contentiuæ, & breuiter relatiuæ ad bona humana: vt si quis hac ratione maledicat diem natiuitatis suæ, vel alterius, idem est, ac si maledixisset hominem illum nascentem. Si verò re-

latiuè ad mala humana nullum peccatum est, sicut

nec

nec maledicere humanis malis. Sic enim Iob maledixit diem natiuitatis suæ pro quanto continet tot mala culpæ & pœnæ huius vitæ. Et Dauid montes Gelboë, pro quanto ibi occisus est populus Domini. Et sic de similibus. Dæmonem demum maledicere absolute non est peccatum: quia ratione status sui mali intelligitur à Christianis maledici. Tertiũ est, quòd maledictio dupliciter incurritur: scilicet vel per se, hoc est ex intentione maledicendi malum eueniat. Et sic est peccatum mortale, si homo maledicitur directè vel indirectè, vt declaratum est: nisi propter imperfectionem actus, vel ex parte mali, quia minimum pro nihilo reputatur, vel ex parte affectus, quia non ex consensu rationis cupiebat. Et materialiter incurritur maledictio, quum maledicit verbo sed non animo maledicendi, sed ex surreptione vel lapsu linguæ, aut malo vsu huiusmodi profert. Et est veniale peccatum.

Quartum est, vt non fallaris confessor, quò ad duo Primò, ad discernendum si persona illata maledixit ex animo vel non: nam non oportet inspicere ad tẽpus quietis, sed ad tempus iræ & furoris. Et hoc enim quòd post iram persona quieta nollet malum illi cui imprecata est, non habetur signum sufficiens quòd non maledixit ex animo, sed solummodo quòd non perseuerat in malo animo. Sed oportet scire, si tunc quando imprecabatur, passio iræ & furoris in tantum prævaluit quòd flexit voluntatem ad consensum, ita quòd tunc voluisset vt eueniret quod imprecabatur. Nam si sic est: non excusatur à mortali: sicut nec qui ex nimio libidinis ardore consentit vt vellet fornicari, quamuis transacta tentatione nollet, & gaudeat quòd non fecerit, & multum doleret si fecisset, simile est enim hic & ibi. Secundò, ad discernendum animum eius qui maledixit irrationali creaturæ

respectiuè ad bona humana: puta maledictus sit dies in quo natus est, aut in quo natus sum, & similia: quoniam ipsimet qui dicunt non intelligunt verborum proprium sensum, quòd scilicet redundet in maledicendum illum hominem nascentem. Et propterea oportet examinare animum dicentis, si tunc per illã maledictionem optabat aliquid mali notabilis illi homini, siue sit ipsemet, siue alter. Nã si optando illi malum notabile dicit, maledictus dies in quo natus es, quasi optans illũ non fuisse natũ, aut fuisse malè natum, peccatum est mortale sine dubio. Si verò ex ira maledicit diei illi, & intendit quòd dies sit maledictus, sed non intendit per hoc velle vt ille habuerit vel habeat malum ex natiuitate sua, peccatũ veniale est: quia intentio maledici non protenditur ad cupiendum malum proximi.

Maleficij crimen qualiter committatur.

MAleficium peccatum est generale, quo quis nocet proximo. Vsurpatur tamen appropriatè pro peccato quo quis nocet proximò per aliquam dæmonis inuocationem. Vnde malefici dicuntur qui impediunt consummationem matrimonii, pueros lædunt, aut etiam occidunt: & quæuis mala alia incantationibus suis inferunt. Constat autem crimen hoc esse mortale ex duplici capite: & quia inuocatio est dæmonum, & quia nociuum est humano generi. Confunditur tamen plerumque nomen maleficii ad inuocationes dæmonũ etiã vtiles hominibus, quum disputatur an liceat maleficũ soluere maleficio altero.

Vbi scito quòd soluere maleficium alio maleficio, peccatum quoque est mortale: quoniam maleficium est secundum se prauum, & nulla potest intentione bene fieri. Et similiter inducere maleficium paratum ad maleficia perpetranda ad soluendum maleficium alio

alio maleficio, est peccatum mortale: quia nulla ratione licitum est inducere hominē quantumcunque paratū, ad offendendū Deum. Nec habet locum in proposito distinctio inter inducere ad peccandum, & vti iniquitate alterius parati ad peccandum, vt distinguitur in vsura, & in iuramento infideliū: quoniam illa distinctio non habet locū nisi in illis in quibus actio petita potest ab illo parato fieri sine peccato si vult: & ex iniquitate sua prouenit quòd apponit ipse peccatū, tunc enim petens petit opus bonum: sed quia illa à quo petitur, non vult nisi cū peccato efficere, ideò petens vtitur iniquitate parati, & non cōmunicat peccato illius. Verbi gratia: petens mutuum ab vsurario, petit opus bonum, scilicet mutuum: quod vsurarius si vellet posset sine peccato cōcedere, & similiter petens iuramentum ab infideli, petit opus religionis sanctum, scilicet iurare, quod idololatra potest si vult sine peccato concedere, recognoscendo verum Deum, & per illum iurando. In proposito autē petitur à malefico vt soluat maleficium, quod ille non potest etiā si vult præstare sine peccato. Et propterea conuincitur quis quòd petit peccatum, & inducit paratum ad peccandū, digni autem sunt morte (inquit Apostolus) non solum qui faciunt, sed etiā qui consentiunt facientibus. Si autem maleficus sciret maleficium factum consistere in laqueo ibi alligato, nullū peccatū esset rogare, vt solueret illā alligaturā: quia hic nulla interuenit dæmoniaca opera, sed humana tantum actio, quam quilibet alius posset efficere si sciret vbi esset illa alligatio.

Malitiosus quis dicatur: & quando malitia sit vitiosa.

MAlitia peccatum est generale, quo homo ex solā intentione mali eligit malum. Hinc enim distin-

quendo peccantes ex malitia vel infirmitate, vel ex malo vsu, excusamus illos, qui ex passione aut vsu, aut imprudentia peccant aggrauantes eos qui non nisi qua intendunt malum, eligunt peccare, sunt enim pessimi in quocumque genere peccent: difficile enim videntur corrigi posse. Contingit tamen propter imperfectionem actus esse veniale peccatum ex malitia: vt si quis vana mendacia eligit dicere ex intentione huius mali quòd est vanè mentiri, & nō propter aliud. Est siquidem imperfectio actus ex parte mali, quia non est malum pernicioſum.

Contractus matrimonij potest ex septem capitibus dici vitiosus.

MAtrimonium tum ad peccata quæ in illius contractu interueniunt, tractandum est primò: deinde de peccatis quæ in illius vsu occurrunt. In contrahendo igitur matrimonium per verba de præsenti, potest ex septem capitibus peccatum incurri. Primò, agendo contra impedimenta dirimentia. Secundò, contra impedimenta non dirimentia. Tertiò, contra modū. Quartò, contra intentionē sacramēti. Quintò ex intentione finis mali. Sextò ex præposteratā intentione finis. Septimò, ex indignitate personæ.

Quantum ad primum, impedimenta dirimentia continentur in his versibus: Error, conditio, votum, cognatio, crimen: Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen honestas: Si sis affinis, si forte coire nequibis. Hæc socianda vetant connubia, facta retractant: Quorum summaria explanatio est.

Primum impedimentum est error circa substantiā personæ: puta intendit quis contrahere cum primogenita, & supponitur alia, erratur ibi in persona. Sed si erretur in qualitate (puta quia non est bona, aut diues, aut sana &c. vt ei dicebatur) non suffragatur.

Secun-

Secundum est, conditio. s. seruilis: nam si ignoranti seruitutem, libero datur serua, quam si sciret seruam, nõ acciperet, nõ tenet matrimoniũ. Tertium est, votum: scilicet solenne religionis approbatæ, siue fuerit professio expresse siue tacitè facta: nam illius matrimonium nullum est. In quarto impedimento clauduntur tria impedimenta iuxta tres cognationes: scilicet naturalem, spiritualem, & legalem. Cognatio naturalis tollit matrimonium vsque ad quartum gradum inclusiuè: ita quod inter consanguineos ac consanguineas in primo, secundo, tertio & quarto gradu non potest esse matrimonium. Cognatio spiritalis, quæ contrahitur in baptismo vel confirmationis sacramento tollit matrimonium secundum tres tantum lineas. Primo est, inter spiritualem parentem & filium seu filiã: hoc est inter tenentẽ ad baptismũ vel chrisma & baptizatum seu confirmatũ. Secunda est, inter cõpatrẽ & cõmatrem. Tertia est, inter fratres spirituales. hoc est personã baptizatam seu confirmatam, & filios seu filias naturales patris spiritalis. Et aduerte hic duo. Primum, quod idẽ est iudicium de tenente ad baptismũ, & baptizãte. Secundũ, quod idẽ est iudiciũ de tenente ad baptismũ, & illius vxore, si iã consummatũ matrimoniũ erat. Cognatio legalis (quæ contrahitur ex adoptione alicuius in filiũ seu filiam) tollit matrimonium secundum tres lineas.

Prima est, inter adoptantem & adoptatum, ac illius filium, & iterum filium filii, & deinceps.

Secunda est, inter filios naturales ac legitimos adoptantis & adoptatum. Tertia est, inter vxorem adoptantis & adoptatum, & inter vxorem adoptati & adoptantẽ. Inter quas ponitur differentia, quod tã prima quã tertia est pepetua: secunda autẽ tẽporalis. s. quandiu manet in potestate patris adoptantis: & ideo mortuo patre aut emancipato filio naturali

vel adoptiuo, poteſt inter eos eſſe matrimonium. Quintum impedimentum eſt crimen: quod duplex eſt: adulterium & homicidium. Sed quatuor conficiuntur hinc caſus impedientes. Primus eſt, ex puro homicidio, quando alter coniugũ procurat alterum occidi per aliquã tertiã perſonã: nã inter coniugem remanentẽ, & perſonã illã tertiã conſortẽ in homicidii talis crimine, non poteſt eſſe matrimoniũ in perpetuum: vt patet extrà de conuerſione infidelium. cap. laudabilem. Secundus eſt, ex homicidio mixto adulterio, quando alter coniugum adulteratur, & per ſe vel alium occidit alterũ coniugũ: nam inter remanentem coniugẽ & perſonã illã cũ qua adulterium commiſſum fuerat, nõ poteſt eſſe coniugiũm: vt patet extrà de eo qui duxit in matri. quã poll. per adult. cap. ſuper hoc. & xxxi. q. i. ſi quis viuente. Et ſcito quod multi & fortè omnes expenunt hos duos caſus limitando cum vna conditione. ſ. ſi dictum homicidium fiat ea intẽtione, vt ſit ſeu fiat matrimoniũ inter prædictos: ita quod ſi non propter hanc intentionẽ coniunx occidens per ſe vel aliũ occidat ſuum coniugem, non incurrit impedimentũ diriuens matrimonium. Sed quum hoc ſpectet ad ius poſitiuum: & iura non inueniantur opponere dictã conditionẽ (vt paret dicta capitula intuenti) nec aliquis alius canon allegetur hanc limitationẽ apponens, neſcio qua ſecuritate limitatio hæc aſſeri poſſit. Tertius caſus eſt, ex adulterio non puro ſed mixto promiſſioni fide vallatæ, quod quum alter coniunx morietur, accipiet illã vel illã in coniugẽ: ſiue peccat ſiue ſequatur adulterium huiuſmodi promiſſio. Nam inter iſtos adulteros cum tali promiſſione in æternum non poteſt eſſe coniugium: vt patet extrà de eo qui duxit in matri. quam poll. per adulter. cap. ſi quis vxore, & xxxi. quæſt. i. cap. relatum. Quartus caſus eſt, ex adulterio quoque

mixto

mixto contractui secundi matrimonii de præsenti, ita quod isti non solum adulterium cõmiserunt, sed de facto coniuges se fecerunt stante altero eorum ligato in priore matrimonio: nec refert, an adulterio præcedat aut sequatur huiusmodi contractum secundi matrimonii: nam inter istos sic adulteros non potest vnquam esse coniugium: vt patet extra de eo qui duxit in matrimo. quam poll. per adult. cap. significauit. & cap. de literarum. & cap. si quis. Et hunc casum intellige cum grano salis: hoc est, si persona soluta, puta Bertha, sciebat esse coniugatam personam illam cum qua contraxit matrimonium, & commisit adulterio, puta Ioannem. Sciebat inquam aut tunc quando contraxit, aut si tunc nesciebat, & postea sciuit, nihilominus postquam sciuit, commisit adulterium illud, scilicet cum illa persona coniugata, cum qua ignoranter contraxerit, scilicet cum Ioanne. Si verò personam illam, scilicet Ioannem, esse coniugatam nesciuit, quamdiu vixit alter coniunx scilicet Ioannis, sed post illius mortem tantum sciuit: potest si vult, matrimonialiter coniungi cum eadem persona, scilicet Ioanne (vt patet in cap. propositum, & cap. veniens. de eo qui duxit in matri. quã poll. per adult.) quoniam ipsa Bertha nunquam commisit adulterium cum Ioanne formaliter: id est ex intẽtione, sed materialiter tantùm: quia putabat se cum proprio marito dormire. Aduerte hic adiungi dictis quatuor casibus, quintum scilicet si mulier occidens vxorem alterius, vt illum habeat in maritum, aut econtratio, si vir occidit in maritum alterius vt illam habeat in vxorem, ita quòd inter talem homicidam sic & illum seu illam relictam non potest esse coniugium. Et allegatur c. si quis viuente. xxxi. q i. Sed quoniam canon ille loquitur de homicidio coniugis non puro, sed mixto adulterio (vt patet intuenti) & hæc ex

positiuo iure robur trahunt, ideo in solis illis casibus qui in iure positiuo sunt, standum videtur.

Sextum est, disparitas cultus: ita quod inter baptizatum & non baptizatum non potest esse matrimonium. Si autem sint baptizati quãuis hæretici & apostatæ, tenet matrimoniũ. Septimum est, vis: hoc est violentia. Et sub hoc clauditur non solùm violentia absolutè, sed violentia per metum cadentem in constantem virũ, qui metus in proposito definitur quadruplex: scilicet stupri, siue status, verberis, atque necis: ita quod siue metu mortis, siue verberum, siue status, id est libertatis, siue stupri, consentiens in matrimonium, non consentit sufficienter ad perpetuum matrimonii vinculum: vult enim Ecclesia, matrimonia quæ perpetua sunt habere consensum non qualemcunque sed liberum. Potest autem impedimentũ hoc tolli, si postea liberè vult cõsentire in quod prius coactus, aut non consensit, aut non liber consensit, sed ex metu cadente in constantem virum: vt dictum est.

Octauum est, ordo scilicet sacer. Nam ordinatus in sacris non potest contrahere matrimonium: & si contrahit non valet. Nonum est, ligamen, scilicet alterius coniugii. Alligata enim persona alteri coniugii per verba de præsenti, non potest contrahere cum persona alia: & si contrahat & consummet matrimonium secundum, nihil valet etiam si primum non sit consummatum, sed oportet stare in primo. Decimum est, honestas: hoc est publicæ honestatis iustitia, vetans illos inter quos sunt vel fuerunt sponsalia, posse contrahere cum consanguineis alterius partis vsque ad quartum gradum, ita quod Ioannes mortua sua sponsa non potest cum consanguineis sponsę olim suæ contrahere, & similiter ex parte sponsi. statuit enim Ecclesia sponsum & sponsam quò ad hoc

pares marito & vxori carnaliter commixtis. Vndecimum est affinitas, hoc est, parentela contracta ex carnali commixtione naturali consummata viri & mulieris: siue sint maritus & vxor, siue quæcunque aliæ persona: & durat vsq; ad quartum gradum ita quòd personis carnaliter sit commixtis, puta Petro & Antonia, non potest Petrus aliquam Antoniæ consanguineam vsque ad quartum gradum habere vxorem: quia sunt sibi effecti affines, similiter Antonia non potest aliquem consanguineum Petri vsque ad quartum gradum habere in maritum: quia sunt sibi effecti affines.

Duodecim sibi impedimentum est, impotentia coeundi, siue hoc proueniat ex natura, siue ex maleficio perpetuo. Et quia hoc impedimentum quum accidit, subiacet speciali exanimi accidentis facti quod à Prælatis Ecclesiæ fit, ideò sufficiat confessori hoc nosse.

Hæc sunt impedimenta quæ & impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt illud, si de facto contractum fuerit, etiam si fuerit consummatum, & inde geniti filii & filiæ. Hoc est primum caput ex quo contingit peccare in contrahendo matrimonium.

Secundum verò caput ex quo peccatur in contrahendo matrimonium, constat ex impedimentis non dirimentibus quidem matrimonium, sed impedientibus & efficientibus vt de iure non possit contrahi matrimonium: si tamen contrahatur, valet. Sunt autem impedimenta hæc xi. Primum est, interdictum Ecclesiæ: si Episcopus vel curatus inhibeat aliquibus ne contrahant propter aliquā rationabilem occasionē, donec constet clarè, si est aliquod impedimentum inter eos. Secundum est, votum simplex castitatis. Tertium est, sponsalitium cum altera persona. Ille enim

enim qui habet castitatis votum,& iste qui iam promisit alteri,non debet violare fidem suam:sed ille debet seruare fidem Deo, iste homini. Quartum est, si quis iunctus est alteri catechismo,quia tenuit ipsum ad catechismū qui fit ante baptismum. Quintum est, incestus cum affinibus,hoc est cū consanguineis coniugis:ita quod talis punitur vt decedente coniuge nō possit contrahere matrimonium cum quacunq; persona. Sextum est,vxoricidium. Septimum est, raptus alienæ sponsæ.

Octauum, est proprii filii de fonte vel ad chrisma susceptio insidiosa matrimonio , vt scilicet coniunx priuetur debito matrimoniali. Nonum est,presbytericidium.Decimum est,solennis pœnitentia . Et vndecimum coniugium scienter cum moniali . Hæc enim impedimenta ex institutione Ecclesiæ sunt præter secundum & tertiū quæ ex naturæ iure sunt,quia ad fidelitatē spectant.Et primū quantū ad clandestinum: quia contra morem humanæ societatis est.

Et scito peccatum esse mortale si cum tribus primis impedimentis contrahitur matrimoniū: hoc est, si contra interdictum Ecclesiæ iudice prohibente, si contra votum simplex,si contra sponsalitium alterius contrahitur matrimonium : quia matrimonia clandestina totaliter damnata sunt : & Ecclesi debetur obedientia omnimoda in re tanta,& fidem tam Deo quàm homini violare in re tanta mortalis offensa est. Notanter autem dixi contra votum simplex , & contra sponsalitium alterius quia si quis post votum simplex contraheret , animo tamen ingrediendi religionem antequam consummet matrimonium, non contraheret contra votum: quia non contraheret cū animo violandi votum,ac per hoc nō peccaret mortaliter contrahendo : sed teneretur implere votum, imò teneretur ad religionem profitendam , ex quo

posuit

posuit se in statu in quo non potest aliter implere castitatis votum nisi per religionis professionem. Similiter non contraheret contra sponsalitium, si sponsalitia essent soluta. Cum reliquis autē octo impedimentis contrahere, si contemptus desit, noli iudicare mortale, si non est consuetū petere dispensationem, & re vera si non est in memoria hominū quod Episcopi dispensent circa hæc, videntur tacitè consentisse. Tutior tamen pars est eligenda vt habens aliquid horum impedimentorum non dirimentium, petat dispensationem saltem secretè per tertiam personam ab Episcopo, vt licitè contrahat. Potest enim omnibus Episcopus dispensare, nisi circa votum & sponsalitium: quia aliunde quàm ex positiuo iure hæc robur habent peccati. Hæc de secundo capite. Tertium caput vnde peccatur in contractu matrimonii, est modus clandestinus. Et hic modus dupliciter intelligitur.

Primò, si contrahitur omissis bannis, vt sciantur impedimenta si qua sint &c. Et hoc habet locū vbi hæc consueuerunt seruari: vbi autem non consueuerunt hæc fieri, non incurritur peccatū omittendo hęc quæ ex positiuo sunt iure. Alio modo intelligitur, si contrahitur non in facie Ecclesiæ: hoc est occultè sine sufficientibus testibus qui Ecclesiā repræsentant. Et quia hoc est de iure naturæ, tum ratione publica actus qui exigitur ad hoc vt in sociali vita personæ se habeant vt coniuges, tum ratione scandali, tum ratione periculi quotidiani quo transitur ad secunda coniugia omisso coniuge clandestino: ideo hoc non potest fieri absque peccato mortali, nisi per accidens: vt si post contractum de facto tanto matrimonium in facie Ecclesiæ, & consummatum, ad corrediens alter coniugum qui impedimenti secreti dirimentis est conscius, obtenta dispensatione

contra-

contrahere iterum velit, tunc absque testimonio sufficit contrahere ad euitandum scandalum: imò debet etiam coniungi occultare, & petere, vt pro sua consolatione velit iterum acceptare se in coniugē, & sic contrahere: nā cessant in huiusmodi casu omnia inconuenientia. Possunt etiā per accidens contingere multi casus excusantes à mortali contractum clandestinū ad horam, quasi statim publicandū. De quibus vide si vis in commentariis nostris super tertia parte diui Thom. circa finem. Quartum caput peccati in contrahendo matrimonium est intentio contra sacramentum. Et hoc peccatum commune est sacrilegium contra quodlibet Ecclesiæ sacramentum, quando persona exteriori actu simulat sacramentū: quia secundum intentionem interiorem non intendit sacramentum suscipere seu efficere: vt si quis dicat, accipio te in coniugem, & non intendit quod dicit. Huiusmodi enim mendacium pernicioſum & sacrilegum, non solū mortale est peccatum, sed irritū reddit sacramentum: & tenetur talis deceptor satisfacere læsæ parti &c. Simile sacrilegium irritans matrimonium committitur contrahendo matrimonium cum pacto contra aliquod trium bonorum matrimonii, scilicet fidei, prolis & sacramenti: vt si deducatur in pactum sterilitas, aut separatio totalis, ad non reddendum debitum. hoc enim est contra fidem, primum contra prolem, secundum autem contra sacramentū. Et ideò vltra peccatum non tenet matrimoniū: vt patet extra de conditionibus appo. cap. vltimo. Quintū caput peccati in cōtrahendo matrimonium est intentio mali finis. Et hoc quoq; peccatum commune est reliquis sacramentis & bonis actibus exterioribus: semper enim est peccatum exercere illa ad malum finem. vnde cōtrahere matrimoniū ad finem malum (puta ad libertatem adulterandi, ad furandum

furandum, ad occidendum, ad lenocinandum &c.) peccatum est mortale manifestum. Sextum caput peccati in contrahendo matrimonium, est intentio præpostera respectu finium seu bonorum ex coniugio expectatorum: expectantur siquidem ex cõiugio, primò proles, secundò, vitatio fornicationis, tertiò, amicitia affinium, vtilitas bonorum temporalium, delectatio carnalis cum coniuge &c. Quando ergo aliquis contrahit: & non principaliter propter prolem (nisi senes sint) peccatum interuenit veniale. Quando verò non propter prolem, nec propter vitandam fornicationem mouentur ad cõtrahendum, sed propter commoditatem temporalium bonorum, aut obsequiorum, præposterus est ordo finium. Et similiter quando propter nihil horũ principaliter, sed propter pulchritudinem coniugis & delectationem &c. valde præponitur delectatio cæteris bonis: & quia non seruatur debitus rationis ordo peccatum incurrit. Nunquam tamen propter hæc & similia incurritur peccatum mortale, nec interuenit abusus sacramẽti, quia non ordinatur propterea sacramentum coniugii ad finem extraneum, sed remanet ordinatum ad suum finem: qui est mutua potestas corporum coniugum, & sanctificatio eorum: vt sciat vnusquisque suum vas possidere in sanctificationem: quoniam intendunt se habere vt coniuges secundum Ecclesiam: sed aduentitius finis delectationis vel diuitiarum, &c. ponitur vt est finis non coniugii, sed vel quare magis cum ista quàm cum illa contrahat vt Iacob maluit cum Rachele pulchra, quàm Lia lippis oculis contrahere, vel mutationis voluntatis ad applicandum se ad contrahendum coniugium: sicut Dauid, quia egebat calefaciente se, mutauit voluntatem, vt acciperet vxorem Abisac Sunamiten, sicut etiam sacerdos non celebraturus hodie, mutat voluntatem vt complaceat alicui,

& celebret. Non enim propter hæc, sacramenta ordinantur ad hæc, sed mutationes nostrarum voluntatum. In his igitur aut non inuenitur peccatum, si voluntas est ordinata: aut veniale, quando inordinata est intentio præponens postponenda. Septimum caput peccati in contrahendo matrimonium, est indignitas personæ. Et hæc est duplex. Prima est excommunicationis: vt si persona esset excommunicata siue maiore, siue minore excõmunicatione: quia excommunicatio minor excludit à passiua participatione sacramentorũ. Constat autẽ vtrunq; coniugẽ suscipere sacramentũ matrimonii quũ cõtrahitur per verba de presenti. Secũda est peccati mortalis: vt si esset in peccati mortalis statu. Censetur autẽ quilibet in peccato mortali esse, si postquã commisit mortale peccatum, non est contritus, si autem est contritus, iam non est in peccato mortali. Igitur ante quàm cõtrahant matrimonium, debet vterq; cõfiteri de omnibus peccatis suis. Et si tunc non confitetur, & scit aut dubitat se excommunicationi maiori aut minori subiacere, faciat se absolui, vt dignè possit contrahere: non contrahens cũ altera excõmunicatione scienter, aut cum peccato mortali scienter, peccat mortaliter peccato sacrilegii: notabilẽ exhibẽs sacramẽto irreuerentiam.

Vsus matrimonialis coniugij multipliciter vitiari potest.

MAtrimonii peccata quantum ad vsum coniugii sunt ex capitibus xiiii. Primò, ex fine. Secundo, ex modo. Tertio, ex indispositione. Quarto, ex periculo. Quinto, ex debito. Sexto, ex loco. Septimo, ex tempore. Octauo, ex more. Nono, ex voto. Decimo, ex adulterio. Vndecimo, ex abusu. Duodecimo, ex impudicitiis. Tertiodecimo, ex qualitate damnata. Quartodecimo, ex innaturalitate contra ipsum ma-

trim

trimonii vsum. Primum igitur caput peccati in coniugii vsu est finis: nam causa generandi exercēdus est, aut in remedium concupiscentiæ. Si igitur solius delectationis causa fit, peccatum est, veniale tamen. Secundum caput peccati est modus innaturalis. Et quia infiniti sunt modi quos humana delectatio adinuenit, hoc scito quod nisi ex rationabili causa mutetur naturalis modus, seruato semper vase naturali, semper est peccatum. Et nisi modus sit intantum exorbitans vt impediat posse concipere (hoc est posse bene recipere semen, ita vt posset concipere si aliud nō obstaret) communiter est peccatum veniale. Videtur autem valde obstare facultati cōcipiendi, si mulier super virum sit: & propterea hoc videtur mortale aut prope. Si tamē posset mulier sic concipere, noli damnare. Tertium autem caput ex indispositione menstruorum. Mulier enim menstruata peccat petendo debitum, reddendo autem excusatur, si viro consulit. Non tamen est peccatum mortale petere aut reddere menstruatam: quia nulli facit iniuriam qui vtitur iure suo. Quartum caput est, periculum aut abortus, aut notabilis nocumenti: hoc enim est manifestè cōtra charitatem proximi. nam vita prolis & sanitas mariti, bona sunt non lædenda. Vnde non curare de huiusmodi, est peccatū mortale. Quintum caput est debitum. Nam negare debitum coniugale petenti coniungi, peccatum est mortale ex suo genere: quia est iniustitia. Excusatur tamen coniunx à reddendo debito in duobus casibus.

Primus est, si nō potest sine periculo vitę vel ægritudinis: quoniam debitum coniugii intelligitur salua consistentia & sanitate subiecti. De periculo autē infectionis lepræ, canonica lex non eripit dicens auctoritate Apostoli Pauli teneri sanum coniugem reddere debitum leproso exigenti vt patet extrà de coniug. leproso.

leproſo.cap.quoniam. Quod tamen à quibuſdam moderatè exponitur ſcilicet quãdo ex redditione debiti non imminet ſano periculum infectionis. Et ſatis rationabiliter: quoniam redditio debiti coniugalis intelligitur ſalua non ſolùm conſiſtentia, ſed ſanitate ſubiecti: quia non tenetur ægritudinem notabilem incurrere propter reddendum debitum hoc: generandi enim opus ordinatũ eſt natura ad bonum ſpeciei ſine malo indiuidui. Et ideò ſicut non tenetur incurrere ex hoc notabilẽ debilitatem: ita nec lepram, quæ maius malum eſt. Vnde in huiuſmodi caſu videtur ſtandum conſilio medicorũ de periculo infectionis, conſideratis particularibus circunſtantiis & qualitatibus. Secundus eſt, ſi petens fornicationem cõmiſit, quia ex hoc alteri auctoritate domini licet coniugis thorum dimittere. Ad hunc caſum reducũtur omnes caſus in quibus coniunx perdit ius exigendi debitum. Niſi ergo rationabile impedimentũ adſit, peccat mortaliter negans dubium, etiam ſi dies Paſchæ fuerit in quo debeant communicare.

Sextum caput eſt locus duplex: ſacer, vel publicus. Nam actus polluens locum ſacrum, non poteſt licitè ibi exerceri. Conſtat autem quòd omnis effuſio voluntaria ſeminis humani polluit locum ſacrum, ſicut effuſio ſanguinis iuſta à iudice facta: vnde committeretur ſacrilegium etiam tempore obſidionis in Eccleſia matrimonio vtendo. Nec inconuenit coniuges teneri ad caſtitatem ex penuria loci: quum teneantur ex mutua abſentia per multos annos viro exiſtente occupato in militaribus, &c.

In publico autem loco non patitur honeſtas humanæ ſocietatis id fieri. Septimum caput eſt, tempus ſacrum duplex: ſcilicet commune, vt ſunt dies feſti & quadrageſimales: in quibus (niſi cõtemptus feſtorum interueniat) conceſſus eſt vſus coniugii. Aliud eſt ſacrum

crum tempus ſpeciale: quo ſcilicet prohibitæ ſunt nuptiæ, de quo in verbo nuptiæ dicetur. Sed nunc dicetur quantum ad conſummationem matrimonii, quid conſummare matrimonium tali tempore: peccatum eſt: quia contra finem præcepti fit. Non tamen eſt peccatum mortale, ſi ſine ſolennitate nuptiarum, ſine traditione vxoris in domum, ſit conſummatio matrimonii: quia hoc non inuenitur prohibitum: nec cadit ſub prohibitione Eccleſiæ vt prohibitum: ſed vt finis prohibiti. Aliud autem conſtat eſſe quod præcipitur: & aliud quod eſt finis præcepti: ſicut finis præcepti, ieiunii eſt eleuatio mentis: ſi tamē quis ieiunat, & non eleuatur mente, nō eſt tranſgreſſor præcepti. Vbi autem conſummato matrimonio, nullum peccatum eſt hoc tempore, ſicut nec alio ſacro tempore. Octauum caput peccati eſt non benedicendi ſponſas ante nuptias, & verè peccatum eſt vti coniugio ante benedictionem ſolitam. Si tamen deſit contemptus, non eſt peccatum mortale conſummare matrimonium ante benedictionem: quia nec ſtatuti nec conſuetudinis violatio ex infirmitate paſſionum infert peccatum mortale: vt latius declarauimus in commentariis tertiæ partis circa finem. vide ibi ſi vis. Nonum caput peccati eſt, votū ſimplex caſtitatis. Contra quod coniunx voto adſtrictus agit petēdo debitum: non autem reddendo, ſiue expreſsè, ſiue interpretatiuè petatur. Et ratio peccati mortalis in petendo eſt: quia votum caſtitatis ad votum de negatiuo, obligās ſemper & ad ſemper: quia obligat ſe ad non exercendum actum venereum. Et propterea licet excuſetur reddendo (quia tenetur maiore vinculo ad reddendum actum illum alteri) non habet vnde excuſetur petendo: quum tenetur ex voto ad non exercendum, & in libertate ipſius ſit non petere.

Et bene nota, quod ſecus eſt de habente ſimplex

votum religionis. Ille nanq; qui vouit ingredi & perseuerare in religione: & postea absque dispensatione vxorem duxit potest post consummatum matrimonium petere debitum ab vxore: quia votum eius est de affirmatione scilicet de assumēdo statum religionis, & nō est de castitate, sicut nec de paupertate, nisi per viam sequelæ ad statum religionis, votum autem castitatis (vt dictum est) de negatiuo est. Et propterea iste tenetur ad negatiuam, quādocunq; est in sua libertate: & similiter ille tenetur ad affirmatiuā quandocunq; est in sua potestate. s. mortua vxore. Vnde sicut habens votum religionis & postea illicitè vxoratus, non tenetur ad paupertatē nisi quando erit religiosus: ita nec ad castitatem ex suo voto. Et ne hoc tibi videatur mirabile, vide quod si homo post emissum castitatis votum fornicatur, peccat contra votū: si verò post emissum simplex religionis votum fornicatur, non facit contra votum. Hinc enim perpendere potes dictam differentiam esse in causa, quia. s. ille vouit negatiuam, iste affirmatiuā: & ideò ille non potest petere debitum, iste sic. Decimum caput peccati est adulterium: quod potest intelligi vel de proprio, vel alterius coniugis. Et si de proprio quidem agitur quamuis aliter possit ei ob hoc negare debitū auctoritate Domini nostri Iesu Christi, non tamen peccat petendo aut reddēdo: siue hoc peccatum eius sciatur à coniuge, siue non: quia non est adhuc priuatus sed priuandus: vt latius in volumine primo respōsionum differuimus. Si verò de coniugis adulterio manifesto agitur, grauis est causa, præsertim mariti. Veruntamen (vt in primo quotlibeto nostro discussimus diffuse) vxor sciens virum publicam cōcubinam tenentem, & ob hoc tristis, & dolens non sperans ex hoc quod contineret se ab illius concubitu, emēdationem eius faciens quod in se est vt maritus corrigatur, po-

test

reſt illius coniugio vti: quia ceſſat in ea tam ratio ſcandali (quia nullus putat de ipſius cõſenſu fieri hoc adulterium) quàm ratio patrocinii & participii, ex quo nullam habet viam prouidendi. Vir autem ſciẽs vxorem publicè adulterari, quia tenetur ad correctionem eius non ſolùm verbo, ſed opere, vtpote caput: debet omnibus quibus poteſt modis cohibere ipſam à crimine adulterii, & prouidere ſcandalo ne patronus turpitudinis habeatur. Et quia difficile eſt hęc duo facere, & ſimul vti coniugio illius: ideò niſi caſus occurrat in quo vtrunque horum ſaluũ ſit vtendo coniugio, non licet ei vti tali coniugio: vtrunque enim eſt de iure charitatis debitę. In caſu autem quo vtrunque ſaluum eſſet, non video quare inuoluatur peccato ſaltem mortali talis vſus: quum omnis legis ratio ceſſet, & contemptus deſit. Vndecimum peccati caput eſt, abuſus coniugii, quo quis abutitur actu coniugii ad delectationem in opere, ita vt perficiatur opus extra naturale vas: ſicut maritus Thamar faciebat. Et hoc eſt manifeſtè ſcelus magnum. Duodecimum eſt impudicitia conſiſtens in tactibus venereis. Veruntamen tactus venerei tripliciter inueniuntur inter coniuges.

Primò, ratione vſus cõiugii: & ſic vt liciti & quandoq; vt neceſſarii tranſeunt. Secundò, non propter actum coniugalem, ſed nihil aliud intenditur quam ſiſtere in huiuſmodi tactibus: & tunc proprie eſt impudicitia. Et ſi ſine periculo pollutionis in vtroque coniuge hæc fiat, tolerabile, vtpote veniale, quia non niſi ſuperfluitas eſt delectationis intra coniugales terminos. Si verò cum periculo pollutionis in altero ipſorum fiant, dicendũ eſt ſicut de multum bibentibus cum periculo ebrietatis. Et peius hic: quia non eſt in poteſtate perſonæ continere pollutionem, ſicut continere decimam potationem ne inebrietur. Vnde

si experta persona est se pollui ex similibus tactibus tot & talibus, & aduertit periculum, & non obuiat, nescio excusare à mortali, etiam si non sequatur pollutio. Tertio, fiunt huiusmodi tactus ex intentione aut quasi vt polluantur: & est manifestè peccatum nefandum. Dixi autem aut quasi, propter vacantes huiusmodi tactibus non cogitando si eueniat pollutio, vel non eueniat: essent autem cõtenti vt eueniret: dant siquidem operam actibus illicitis ex quibus nata est sequi pollutio: & ideo tanquàm intenta imputatur illis sic malè affectis. Tertiumdecimũ caput est damnata qualitas: scilicet matrimonii clandestini. Nam & ipsum clandestinum coniugiũ & ipsius vsus per se loquendo est peccatum mortale: vtpote offendens societatem humanam, scandalosus & damnatus ab Ecclesia, Si tamen per accidens quandoque liceat, vide diffusius scripta in supradictis commentariis. Quartumdecimum caput peccati est, innaturalitas, qua naturalis vsus immutatur in eum vsum qui est contra naturam: hoc est cognoscendo vxorem extra vas naturale. Est enim hoc peccatum pessimum, & omnino execrabile.

Medicus potest mul tipliciter peccare.

MEdici peccata peculiaria consistunt in temeritate. Nam ante cognitam ægritudinem peccat vel temerè curando (quia morbi incogniti nulla est via curæ) vel temerè tentando dum ad explorãdum naturam morbi adhibet periculosa, & exponit hominẽ discrimini vitæ vel grauis læsionis. Melius est enim relinquere infirmum regimini naturę, quàm diuinando exponere illum periculo alteri: sed propter lucrũ, aut ne videatur ignorans medicus, aut propter ignorantiam, aut propter negligentiam studendi, diuinando procedit contra charitatem. Post cognitum autem

rem morbum peccat temerè curando, dum aut negligit ſtudere, aut viſitare, aut conſulere, aut perſpicere fidelitatem medicinarum vbi hoc vertitur in dubium. Vel quod peius eſt, erubeſcit mutare ſententiam, & pertinacia ſua reuocat in dubium rectam curam quam alius adhiberet. Nec eſt dubium hoc eſſe mortaliſſimum crimen. Nec eſt à temeritate curæ diſtans, quod medicus cognito morbo experiri vult medicinam non certam quantum ad efficaciam, in periculum vitæ aut grauis læſionis pauperis infirmi. Eſt enim hoc (ſicut quodlibet aliorum quod infirmi vitam aut valetudinem, mortis aut læſionis grauis periculo exponit) mortale peccatum: vtpote cõtra charitatem, qua quilibet tenetur diligere proximum ſicut ſeipſum. Sunt præter hæc duo alia medicorum peccata. Vnum contra diuinum ius, quum conſulũt aliquid facere contra ſalutem animæ, quodcunq; mortale peccatum conſulant. Nam ſecundum Apoſtolum, non ſunt facienda mala vt eueniant bona, ſiue ſanitatis, ſiue vitæ. Alterum contra Eccleſiæ præceptum (extrà de pœn. & re. quum infirmitas.) quando omittunt infirmos monere & inducere vt medicos aduocent animarum. Intelligæ hæc de infirmitate ex qua meritô homo decumbit: quoniam intentio textus clarè patet quòd vult præueniri infirmum ad confeſſionem, ne exinde concipiat deſperationem vitæ corporis, & fortè animæ. Vnde nec in qualibet ægritudine tenetur medicus ad hoc, ne in deriſum monitio veniat: nec expectanda eſt ægritudo periculoſa: quia ſic non præueniretur infirmus, ac per hoc non ſatisfit intentioni & verbis literæ: ſed media via incedendo, quum infirmitas eſt talis quòd non ex delitiis, nec ex podagræ impedimento, ſed ex ſe lectum egritudinis exigit: vt textus etiam ſonat. Siſte tamen pedem, & ne citò iudices mortale peccatum medici

hoc non seruantis nisi post visum periculum quasi vicinum mori, & tunc etiam non ob contemptum præcepti Ecclesiæ, sed quia sic consueuerunt medici facere, non per seipsum sed per consanguineos, vel alios monentes de confessione. Nam si constitutio hæc sit ex consensu vtentium acceptata, & Prælati quibus ibidem committitur exequutio contra medicos transgressores dissimulant, excusantur medici à peccato mortali: quoniam iuris positiui decreta per non vsum abrogari constat, præcipuè nunquàm recepta adamussim, vt hoc videtur. Et rationabile videtur decretum hoc scriptum tantũ fuisse, & nunquàm consensu vtentium comprobatum: quia medicorum officio contrariatur ac per hoc semper videntur obstitisse. Medici enim habent ex artis præcepto semper ingerere læta, quæ sunt sanitatis & spei infirmo: & propterea aiunt non spectare ad se huiusmodi tristia inferre si periculum est: & si periculum non est: non debere exponere se aut verba sua ridiculo. intellige hæc ad excusandam consuetudinem bonorum medicorum.

Falsæ vocis significatio cum intentione fallendi peccatum est.

MEndacium (hoc est falsæ vocis significatio cum intentione fallendi hoc est falsum dicendi) semper est peccatum: quia est per se prauum: vtpote rectæ rationi repugnans. Est autem triplex. Aliud iocosum, quod nulli nocet, sed delectandi causa dicitur: & hoc est veniale: Aliud officiosum, quod sine alicuius iniuria dicitur, vt alicui prosit: & hoc etiam est veniale. Aliud demum pernicioſum, quod iniuriosum seu nociuũ est diuinis aut humanis, & hoc est mortale ex suo genere: quia contra charitatem est: vt patet. Potest autem huiusmodi mendacium deficere, vt

non

ñon pertingat ad peccati mortalis perfectionem tripliciter. Vel propter imperfectionem actus ex parte dicentis: vt in primis motibus contingit propter non deliberatè consentire. Vel propter imperfectionem actus ex parte nocumenti: vt in minimis contingit. Vel propter imperfectionem actus ex parte formę: vt contingit in detractione non animo detrahendi, & similibus: ita quòd mentiens in materia pernicioſa (puta in ſcientificis) non animo nocendi alicui, ſed ex loquacitate non putans inde aliquem notare & concipere falſam doctrinam, quia non formaliter dicit pernicioſum, non peccat mortaliter: niſi nocumẽtum ſit adeò notabile, vt peccatũ redeat in naturam ſuæ formæ. Et ſcito pernicioſum eſſe mendaciũ, omne mendacium circa ſacram ſcripturam, omne mendacium circa ſcientifica, pro quanto ſunt bona intellectus, & omne mendacium prædicatoris cõtra veritatem ſpectantem ad prædicatoris officium: & ſimiliter omne mendacium iudicis contra veritatem ſpectantem ad iudicis officium: quoniam hæc tantum ſunt prædicatoris vt ſic, & iudicis vt ſic, mendacia: reliqua ſunt per accidens, & ideò venialia: niſi ratione ſcandali aliud occurrat cenſendum.

Mercantia ſolius lucri gratia exercitata vitioſa eſt & vituperabilis.

MErcatura nuda, hoc eſt ſolius lucri gratia, vituperabilis eſt, vtpote infinita, ac per hoc inſatiabilis. Ordinata autem ad finem: politicum (hoc eſt ciuitatis bonum) vel ad finem œconomicum, hoc eſt domeſticum bonum, laudabilis eſt, ſi iniuſtitia fraudum, mendaciorum & huiuſmodi deſint.

Meretricium ſemper eſt peccatum.

MEretricis turpitudo, ſiue venialis ſit, ſiue nõ peccatum eſt mortale. Et quoniã multas implicat

criminum

criminum maculas, dum omnium aut multorum libidini patet (quoniam & adulterii, & inceſtus, & ſacrilegii reatus facilè incurrit, præter fraudes extorſiones ſque quas exercent, aut quibus conſentiunt) earum pœnitentiæ relinquamus. Quæ quando euenerit, ſit confeſſor prudens, non curans diſcernere ſpecies à ſpeciebus dictorum criminum: ne ſe & illam intentionem præcipitet inutiliter: ſat eſt enim confuſè tunc hæc dixi: vt declarauimus in commentariis tertiæ partis.

Miles poteſt tripliciter peccare.

MIlitum peccata pecularia ſunt tria. Concutere pauperes: hoc eſt extorquere vi vel metu ab eis, & lædere etiam in perſona quandoque. Calumniam inferre diuitibus, imponendo illis quòd ſunt factioſi, quod ſunt rebelles, quòd ſunt hoſtes, &c. Et tertium quod eſt cauſa omnium, non contentari ſtipendiis ſuis: hinc enim concuſſiones, hinc calumniæ, hinc prædæ, rapinæ, &c. Præter hæc autem tria quæ à Ioanne Baptiſta didicimus Luc. iii. ponit Ariſtoteles luxuriam: tanquàm gens militaris nata ſit ad carnis petulantiam. Implicãtur quoque hodie multi eorum blaſphemiæ vitio.

Vindicatio ſemper eſt peccatum: & quid de mina.

MInari, actus eſt vindicatiuus: & poteſt benè & malè fieri. Contingit autem in minis inueniri quintupliciter peccatum. Primò, ex malo comminato: ſi ſcilicet non eſt iuſtum. Et tunc eſſe peccatum mortale: quia iniuſtum ex ſuo genere eſt mortale, niſi minimum quid ſit.

Secundò ex ratione comminandi: ſi ſcilicet minatur non ratione iuſtitiæ, vel correctionis, &c. ſed ad vltionem. Et hoc tunc eſt mortale quum voluntas vltionis

vltionis vsque adeò procedit, vt non curet siue iusta sit, siue non. Tertiò, ex modo, si nimis accenditur ira comminando. Et hoc communiter est veniale. Quartò, ex desistendo ab exequutione iustarum minarum, præsertim iuramento firmatarum. Et hic oportet discernere an mutatio aliqua superuenerit, ob quam minæ possint aut debeant remitti: minæ enim iustæ intelliguntur & sunt secundum præsens demeritum: quia scilicet tunc quando fiunt minæ, ille contra quem fiunt, meretur illam punitionem. Et propterea si ante punitionem mutatio aliqua superuenit (puta quia pœnitentiam agit, aut petit veniam, aut alii bene meriti rationabiliter intercedunt, aut melius est non punire: quamuis ille demereatur) non peccatur remittendo minas. Repentè, inquit Deus, loquar aduersus gentem: si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam super verbo quod locutus sum. Et Dauid iurauit extincturum se Nabal cum eius domo, & tamen precibus Abigail placatus remisit. Et hoc modo mater quæ iurauit verberare filium vel famulam, postea ne quietam domus pacem turbet, non exequitur, tanquam exequutio esset impeditiua melioris boni. Et sic de similibus. Si autem omnia immutata sunt, exequendæ sunt minæ iustæ, alioquin peccatum inconstantiæ est negligentis iustitiam. Et iuxta naturam causæ, de grauitate eius iudicandum est si iuratæ non sunt: nam iuramentum in hoc casu obligaret sub periurio ad exequutionem: vt infrà in verbo, periurium, declarabitur. Quintò peccatur ex fictione: vt si quis minatur solo verbo, non animo exequendi quod dicit se facturum. Et tunc committitur peccatum mendacii officiosi, ad terrendum vtiliter delinquentes.

Peccata multa possunt in Missarum celebratione committi.

MIssæ celebratio tot potest habere omissionis peccata annexa, quot sunt requisita ad celebrationem Missæ. Et illa quidem, quæ manifesta sunt omnibus: puta quod celebrans sit ieiunus: quod adsint vestes sacræ necessariæ: quod altare consecratum saltem portatile, quòd calix, patena, & alia huiusmodi, transeunda puto.

Tacendum autem non est multorum crimen, valde intolerabile circa immunditiam corporalium & vestium sacratum, damnatam non solum à canonico iure: extrà de custod. euchar. sed etiam à naturali iure: quum dedeceat immunditia huiusmodi etiam prophanos: & illimet non vterentur sudariolis ita immundis, nec ad mensam.

Scire quoque decet celebrantes, quòd tota communio reputatur pro vno actu. Et propterea si particula aliqua hostiæ inter sumendum ablutionem post partem ablutionis assumptam sumitur, à ieiuno sumitur: quia mensæ reliquiæ cum mensa computantur: vt latius disseruimus in nostro primo quotlibeto. Si contingat quoque inaduertenter aliquid omitti ex necessariis ad celebrationē, non est iudicandum mortale: quoniã formaliter & per se non est omissio voluntaria, nisi fortè inaduertentia sit adeò culpabilis, vt redeat omissio in naturam sui criminis.

Peccatum molliciei diuersimodè considerandum.

MOllities triplex est, & semper mala. Pro quanto namque est defectus oppositus perseuerantiæ (quo scilicet homo adeò est deditus delectationibus, vt non solùm à contristantibus sed à tollentibus delectationem

lectationē abducatur, vt viam virtutis deserat) manifestè peccatum est, quum sit cōtra rectam rationem.

Potest autem esse mortale & veniale iuxta materiam. Nā si quis ita est mollis animo, vt cedat omittendo necessaria ad salutem, aut incurrendo contraria saluti peccat mortaliter. Si autem nihil committit aut omittit contra salutem, sed præter illam, peccat venialiter.

Pro quanto vero mollities est vitium infirmum contra naturam (scilicet solius pollutionis voluntariæ) peccatum est mortale: vt patet. Et similiter pro quanto est crimen contra naturam quo mas patitur vt mulier (vt glossa interlinearis exponit. i. ad Corint. vi. vbi molles excluduntur à regno Dei) peccatum est nefandum.

Monachi & moniales possunt multipliciter offendere & peccare.

MOnachorum & monialium peccata propria, ipsi ex suis, regula, statutis ac consuetudinibus scientes discutant. Circa dotem tamen earum quæ recipiuntur in moniales, vide in verbo, excommunicatio. cap. lxxiii. Circa clausulam illis indictam à iure, si nūquam fuit accepta, & Episcopi sic semper gubernarunt dando eis licentiam exeundi excusantur: quoniam iura non recepta tanto tempore, infirma sunt. Nec sufficit esse scripta & inserta in corpore iuris, & esse rationabilia.

Peccata mulieris peculiaria multa sunt & diuersa.

MVlieris peculiaria peccata quatenus ad sexum spectant, non egent speciali tractum: quia proportionaliter sunt communia eis & maribus non solùm naturalis carnis peccata, sed etiam quæ contra natu-

naturam sunt vsque ad mollitiem inclusiuè. Peccata autem concernentia ornatum, in verbo ornatus, tractabuntur.

Quæ autem ex positiuo & diuino iure sunt eis peccata, quia prohibita, multa dicuntur: puta quòd non tondeantur, quòd non vtantur veste virili, quòd non prædicent aut doceant publicè, quòd non tangant sacra vasa & pallas, & non deferant incensum circa altare, quòd non benedicant, quòd nullum ordinis actum exerceant.

Sed aduerte, quòd horum quædam sunt omnino mulieri illicita: vt actus ordinum, quia mulier est ex natura irregularis, & similiter publicè prædicare aut docere ea quæ sunt fidei: quoniam hæc ab Apostolis interdicta rationabiliter sunt. Cum quo tamen stat quòd possint suas subditas prælatæ in suis capitulis instruere, exhortari, &c. vt consueuerunt: quoniam hoc non est docere Ecclesiam, sed ad quasdam particulares personas restringitur huiusmodi doctrina: quæ magis materna instructio & exhortatio vocanda est, sicut mater naturalis instruere potest & debet filias suas. Quædam autem horum intelligenda sunt non vt sonant: nam tonderi, nullum est peccatum, nisi pro superstitione aut aliqua alia mala ratione fieret: nec aliter intelligitur à iure prohibitum: vt patet diligenter intuēti dist. xxx. & cap. vxoratus. de cōuer. coniug. ibi enim & de superstitionibus hæreticorum agitur: & expressè dicitur quasi resoluens ius subiectionis: vbi notat actum fieri pro superba religionis libertate. Hic autem tonsurare importat mulierem quasi virum tondere irreligiosum: vt pluries legitur olim factum: hoc est enim quod lex prohibet: prout etiam in statutis religiosorum prohibitum sub eisdem verbis inuenitur.

Veste autem virili vti mulierem, cōtra bonos mo-

res

res est, & scandalosum: & ideo intolerabile est, nisi solatii causa quandoque fiat, vel necessitas exposcat. Sacra autem scriptura & ius canonicum hoc prohibent vt non superstitiose fiat.

De sacris autem aliis actibus crediderim ego posse consuetudinem antiquam tolerari: nam alicubi moniales in vesperis cum cappa serica altare thurificant intra clausam Ecclesiam suam in qua solæ moniales sunt: Et hoc si ab hoc vsu abduci non possunt quum à tempore Sotheris papæ mandatum sit Episcopis Italiæ, vt hāc pestē curent, dist. xxiii. cap. sacratas. & adhuc duret, malè quidē: sed nō perniciosè, si cōtemptus desit. Prælatæ tamen quæ benedicunt in professione vestes profitentium, in nullo errant. Et quæ lauant corporales, pallas postquā certæ sunt quod nulla est particula sacramenti in eis, & sunt aliqualiter ablutæ, metentur vitam æternam: nam causa videtur rationabilis: quia ratione maioris mundiciæ hoc fit.

Detractionis vitium in quo differat à murmuratione.

MVrmuratio vt ad vitiosos actus transfertur, peccatum est coincidens cum detractione, quamuis minus significetur murmurationis nomine: quia magis soni quam vocis peccatum significat. Vnde sonum querelæ impatientiæ murmur vocare solemus: quasi multum pressus aut pulsus homo sonet. Et tamen secundū rem detrahitur illi contra quem murmuratur, tanquàm iniustè aut irrationabiliter & qui se habuerit vel habeat.

Membri mutilatio potest esse licita & illicita respectu diuersorum casuum.

MVtilatio siue sui, siue alterius (nisi ex necessitate sanitatis abscissionem membri exposcentis fiat)

peccatum est mortale: vtpote contra charitatem, quâ & nos & proximos sicut nos diligere tenemur. Iudici tamen secundum iustitiæ ordinem sicut licet occidere, ita licet mutilare malefactorem.

Vsus necromantiæ quo dæmonis inuocatur auxilium, omnino prohibitus est.

NEcromantia (qua diuinatur per mortuos, seu mortuorum personas agentes dæmones) vt petente Saule rege mulier suscitauit Samuelem consulendum de bello Philisthinorum, peccatū est magnū valde: vtpote ad inuocationem dæmonum recurrēs. Inchoant siquidem tales hic societatem quam perpetud habituri sunt cum dæmonibus.

Solicitudinem salutis contemnens, peccatum incurrit grauissimum.

NEgligentia, qua homo deficit à solicitudine debiti operis intus vel extrà, peccatum est: quia rectæ rationi dissonat. Est autem mortale peccatum dupliciter. Vel ex opere debito de necessitate salutis, vel ex cōtemptu, nam si quis ex contēptu diuini amoris negligit, aut negligit illud ad quod de necessitate salutis tenetur, manifestè incurrit mortale peccatum. Extra hos autem casus venialis est negligentia.

Tristitia de alterius bono vel prosperitate damnabilis est, & propriè vocatur nemesis.

NEmesis (hoc est tristitia quam homo habet de alieno bono temporali, quia ille habens tale bonum est indignus tali bono: vt quum quis tristatur quia homo malus habet diuitias, est bene fortunatus, omnia illi succedunt ad votum &c.) peccatū est, pro quanto diuinæ prouidentiæ actionē arguit tanquam

quam iniustè distribuentem bona temporalia. Et propterea si ad huiusmodi detestationem extenditur tristitia hæc, proculdubio peccatum est mortale. Et similiter si tristitia hæc ita afficit, vt ducat hominem ad imitandum malos, vt prosperetur, mortale peccatum est: vt patet. Supposita aut debita reuerentia ad diuinæ prouidentiæ distributionem tristari aliqualiter de temporalibus bonis indignorum, nullum apparet peccatum ex propria ratione, sed esse licitum, sicut tristari de monstris. De his vide commentaria in secunda secundæ, si profundè vis perscrutari.

Notarius potest suum officium exercendo diuersimodè peccare.

NOtariorũ peccata peculiaria sunt, in primis periurium, si iuramentum quod fecerunt nõ seruãt: deinde falsum conficere instrumentum in toto vel in particula quacunq; aut de actu reprobato, aut quomodolibet aliàs illicitum, occultare quoque instrumenta seu protocola, aut lacerare. Horum enim quędam sunt manifestè crimina maxima. Nullum tamen scio excusare à peccato mortali: nisi fortè deceptus quis faceret instrumentum illicitum, credens esse licitum, tunc enim iuxta ignorantiæ excusantis regulas iudicandus esset in foro conscientiæ: & cum illo salis grano, quod modicum pro nihilo reputatur.

NVptiarum peccata duo sunt. Primum, si fiãt tempore interdicto, hoc est principio aduentus vsque ad Epiphaniam & à Septuagesima vsq; ad octauas Paschæ, & à tribus diebus Rogationis qui sunt ante Ascensionem vsque ad Pentecosten: hoc est totam hebdomadam Pentecostes. Hæc tempora sunt certa. De octaua verò Epiphaniæ, & de die octauo Pentecostes ferua Ambrosii documentum: vt scilicet conformes te Ecclesiæ in qua es, consuetudini, vt

omnium disputationes effugias. Et quoniam nuptiæ tria important scilicet benedictionem sponsi & sponsæ, traductionem sponsæ in domum viri, & celebritatem conuiuii, scito tria hęc intelligi his temporibus interdicta. Et quoniam pœnæ non sunt extendendæ, nihil aliud est dictis temporibus interdictum: possunt enim contrahi matrimonia de præsenti, & sponsalia. Vnde putantes euadere violationē legis, & facientes primum tantùm (scilicet benedictionem) in sabbato ante aduentum vel septuagesimam, & in dominica reliqua duo, non effugiunt legis irā: plus enim sunt prohibita illa duo, quam primum, quod non, nisi quia simul cum nuptiis fit, intelligitur prohibitum: quia illa sunt carnalia, benedictio est spiritalis.

Reputatur autem mortale peccatum, violare hoc Ecclesiæ statutū. Et meritò, si scienter fit: quia quum deliberatè & præparatè ac publicè hæc fiant, & cum scandalo, non videtur posse, nisi contemptu interueniente transgressio huiusmodi scienter esse. Secūdum nuptiale peccatum est, superflua vanitas: & vtinam non admixta turpibus verbis & actibus.

Peccato pertinaciter inhærens tanquam obstinatus damnationis iter ambulat.

OBstinatio (qua homo pertinaciter inhæret peccato) dupliciter incurritur. Primò, per se, hoc est ex intentione: vt quum quis intendit pertinaciter perseuerare in peccato. Et hic est proximus statui damnatorum. Alio modo quasi per viam sequelæ: vt quū homo est adeò habituatus in peccando, & tam delectabile ac connaturale factum est ei versari in peccato, vt nullus aut leuissimus insit illi vnquam motus ad resurgendum in veritate à peccato. Et hic parum distat à damnatorum statu. Vterque tamen potest per Dei gratiam præueniri & conuerti. Primus tamen non

non ita difficile, si non ex habitu, sed ex accidente aliquo (puta odio inimici) obstinationem elegit: quoniam transeunte accidente illo curabilis est. Habitus autem tanquam connaturalis factus, difficillime abiicitur.

Otiositas periculosa est, eo quia vitiorum nutritiua.

OTium seu otiosum ad vitia translatum est, quod caret necessitate aut vtilitate, extenso vtilitatis nomine. Et hoc constat esse peccatum, quia à recta dissonat ratione aliquam humanam operationem aut omissionem non regulari ratione recta. Si tamen otium aut otiosum sit nudum (hoc est nihil aliud deformitatis habens nisi otii) veniale est. Fugiendum tamen est valde otium, tanquam dans aditum malis, præcipuè malarum cogitationum cupiditatum, machinationum &c.

Scito tamen laudabile esse otium internum & externum, ad quietem & creationem naturæ intentum: quoniam & hoc habet recta ratio: vt lassis detur requies, sicut & somnus.

Odire bonum peccatum est in spiritum sanctum, & omni rationi & naturæ contrarium.

ODium boni, peccatum est: quia actus voluntatis habet materiam repugnantem. odii enim materia est malum, sicut amoris materia est bonum. Summi autem boni (quod est Deus) odium grauissimum est scelus: quum nihil sit in Deo, quantum est ex se odibile, vtpote pura bonitas, proximi verò aut etiam suipsius odium peccatum est mortale ex suo genere: vtpote directè charitati contrarium: nisi ob imperfectionem actus sit peccatum veniale, vel quia non

est odium deliberatum, vel quia circa minimum bonum. Nec excusatur ab odii crimine qui inimicum odio habet, si ipsum proximum odit: hoc est si illi vult malum corporis, aut damnum honoris, famæ, aut rerum: nisi hæc velit ei iustitia mediante: quia tunc non est odii sed iustitiæ vindicatiuæ affectus. Est autem odio habenda inimicitia proximi, & non proximus qui est inimicus.

Odii effectus seu signa prohibita, sunt subtrahere proximo debita beneficia eo modo quo sunt illa debita ad hoc, & similiter debita colloquia eo modo quo sunt illi debita ab isto. Sunt autem debita proximo à conciue quæ debentur ciuitati in communi, à consanguineo quæ debentur cõsanguinitati in communi, à Christiano quæ debentur sanctæ Ecclesiæ & communioni fidelium in communioni. Et propterea nisi casus accidat, in quo debeam huic in particulari, sicut nõ teneor actu interiori cogitare, de isto in particulari. ita nec teneor illi in particulari benefacere aut loqui. sufficit enim vt in communibus orationibus & communibus Ecclesiæ non excipiam Christianum inimicum: in communibus ciuitatis non excipiam conciuem inimicum, in communibus consanguinitatis non excipiam consanguineum inimicum. Sic enim docuit Saluator noster, docens in benefaciendo inimicis, imitari Deum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, hoc est cõmunia beneficia humano generi (scilicet solem & pluuiam) non subtrahit inimicis. Et hinc tu confessor tollere potes multos scrupulos personarum offensarum, quæ absque odio cum illo qui offendit, nolunt particulariter conuersari aut colloqui quia non tenentur nisi in casu debiti: vt dictum est, & in commentariis Secunda Secundæ tractatur, vbi de dilectione inimicorum agitur.

Secun-

Secularia officia vendere, vel emere turpe est, & perniciosum.

OFficiorum secularium venalitas licet speculatiuè loquendo sit licita (quia venditio & emptio habet materiam vendibilem) vt tamen ad communem humani generis morem contrahitur, turpis ac perniciosa reipu. non parum est, quoniam viri digni reputant indignum vt quòd suæ virtuti debetur, pecunia emant, & indigni communiter habent officia, vbi sunt venalia. Tollitur & ratio studiorum bonorum, & virtutum, ex eo quòd non nisi pecunia habentur officia. Et oportet vt non virtuosi, sed pecunioſi ibi inueniantur, vbi vt pernicioſi honorantur, imò honorant seipsos emendo officia honorabilia. Præterea qui prius emit officium, quum non emerit nisi vt lucretur, oportet vt vendant actus officii, & plerunque iustitiæ, & inhumanus sit in gratiis, tanquam ius habeat vendendi, & quæ sunt iustitiæ, & quæ sunt gratiæ, quia prius emit. Testatur magistra rerum experientia, ruinam publicam vbi officia sunt venalia. Et quia actiones humanæ iudicandæ sunt secundum quod in pluribus inuenitur, ideò huiusmodi venalitates vt abominabiles exterminandæ sunt.

Sectarum æmulatores vel opinionum sæpenumero reprehensibiles habentur.

OPinio tripliciter est illicita. Primò ex eo quòd voluntaria: nam in omni genere scibilium voluntaria est illicita: quia non eo quòd magis placet, sed eo quòd rationabilior est, non ex voluntate, sed ratione amplectēda est opinio. Et hinc errant sectarum æmulatores, opiniones suæ sectæ sequentes non vt rationi magis consentaneas, sed quia nati sunt

aut nutriti in secta illius doctrinæ. Secundò ex non relatione ad suam regulam: omnis enim opinio examinanda est ad suam regulam. Et quia in his quæ sunt fidei & morum, regula est sacra scriptura exposita ab Ecclesia catholica, non excusatur aliquis à quantumcunque rationabili opinione in huiusmodi, si suspecta est communi Ecclesiæ seu Apostolicæ sedi. Et hinc damnantur credentes hæreticorum & antiquorum & nouorum adhærentes doctrinis reprobatis aut suspectis saltem apud sedem Apostolicam. Tertiò, ex modo: dum nimis firmiter inhæretur opinioni: & asseritur vt certum atque indubitatum, quod tamen est intra latitudinem opinabilium. Et hinc sæpe erratur ex nimio affectu ad nostra, & minore quàm opus fuerit examine, resolutione ac iudicio, dum prohibita accipiuntur vt demonstrata.

Opinionis vsus quandoque licitus, quandoque illicitus.

OPinione vti vt regula operum interiorum & exteriorum, est quandoque licitum, & quandoque illicitum. In credendis quidem illicitum est: nisi submittendo opinionem regulæ superiori, scilicet sanctæ matris Ecclesiæ, & Apistolicæ sedis: quoniam ambiguitatis aliquid habens regula, qualis est opinio omnis, resoluenda est in regulam certam ne error possit in fide inueniri. In operandis verò nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cuiuscunque assumere vt regulam operis: quoniam eoipso quo operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ: quia opinio omnis ambigua est, vtpote cum formidine alterius partis. Et quia præsupponitur quod non eligatur tutior pars, consequens est vt operatio cõmittatur regulæ ambiguè ad casum peccati,

peccati, ac per hoc exponatur periculo peccadi, quod constat esse illicitum. Et si de peccato mortali agitur, constat esse peccatum mortale, facere scienter operationem dubiam an sit mortalis : quoniam talis operans mauult implere voluntatem suam in tali opere, etiã si sit mortale, quàm abstinere ab illo : ac per hoc præfert diuinæ amicitiæ opus illud, non curando si contingat perdere diuinam amicitiam ex tali opere. Et hæc intellige de opinione propriè dicta, vt diximus, quæ est cum formidine alterius partis, & per se loquendo. Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diuersi doctores contraria sentiunt quoniam cũ huiusmodi contrarietate stat quod vna pars ratione sufficiente ad moralem certitudinem fulta: & iam non opinio apud capientes rationem illam: sed quia nesciunt multi discernere inter certitudinẽ moralem & mathematicam, omnia quodammodo locãt sub opinionibus. Dixi quoque per se loquendo: quia per accidens contingit nescientes discernere inter notum opinione, & notum certa ratione morali, errare & excusari, credentes absque formidine alterius partis viris probis & doctis dicentibus, facite sic, quia potest licitè fieri. Non enim exigit Deus ab homine plus quàm conditio hominis habet : quia diuina sapientia disponit omnia suauiter.

Oratio perfecta præsupponit attentionem: & sine attentione orans irreuerentiæ vitium committere dicitur.

ORatio ex intentione sine attentione, illicita est propter irreuerentiam insertam. Oportet enim etiam supererogationis bonũ bene agere, aut saltem non malè; constat autem irreuerenter loqui Deo,

qui ex proposito loquitur sine attentione, irreuerentia autem peccatum est. Et hoc intellige loquendo de oratione per se, vt oratio est, nam si quis oratione vt exercitatione quadam aut quasi cantico delectabili vtatur, ne se occupet vanis, non intendens attendere, sed tempus sic pertransire, benefacit: & non propriè & formaliter orat, nisi extenso orationis nomine: quo dicit, semper orat qui semper benefacit. Sed materialiter tantùm orat pro quanto orationis verba pro materiæ suæ occupationis piæ assumit.

Ordinandi vel ordinati in Ecclesiasticis dignitatibus multipliciter offendere possunt.

ORdinantium & ordinandorum peccata tot contingit esse quot necessaria contingit omitti voluntariè aut negligenter. Sed quoniam hæc in pontificalibus habentur, attendendum est confessori si ordinanter seruarunt ritum pontificalis. Et quoniam pontificalia non concordant adinuicem, nullius Ecclesiæ antiquum in vsu pontificale damnandum videtur: ac per hoc non videtur iterãdum aut supplendum alicubi, quod fortè, secundum aliud pontificale iterandum, aut supplendũ esset. Et de eorum numero videtur esse contractus materiæ vbi diuersa pontificalia antiqua & in vsu, diuersa ordinẽt. Propter quod in Concil. Flor. sub Eugen. iiii. quum traditur materia ordinis, nunquam fit mentio de tactu ipsius, sed solum de actu tenente ex parte ministri: scilicet porrectione, datione, traditione & assignatione. Attendendum quoque est si ordinantes admiserunt indignos aut inhibitos, si non contulerunt gratis. Et similiter si ordinandi sunt indigni ex parte intellectus, quia ignorantes: ex parte affectus, quia mali, puta in peccato mortali: ex parte ætatis statutæ à iure ex parte

te licentiæ sui superioris: ex parte moturi ad suscipiendum ordinem, si ob lucrum &c.

Ecclesiastici qua ratione possint licitè organis in suis Ecclesiis vti.

ORganorum vsus in Ecclesia licet sit nouus (in cuius signum Ecclesia Romana adhuc non vtitur eis coram pontifice) licitus tamen est pro carnalibus adhuc fidelibus & imperfectis. Nulla tamen ratione licitum est inter diuina in organis canere seu pulsare seculares cantus, aut plausus: aut, quod peius est, turpes & amatorias cantilenas. Et ratio est: quia sonus organorum appositus est diuinis officiis, vt pars Ecclesiasticæ solennitatis. Inserere autem diuinis vt partem solennitatis prophana & turpia, nihil aliud est quàm coniungere Christum cum Belial, lucem cum tenebris. Vnde per se loquēdo, crimen est superstitionis sacrilegæ: & peccatum mortale talis mixtio: contraria tam fini diuini cultus, scilicet vt excitetur deuotio, quàm veritati Ecclesiæ, contra cuius ordinationem loco antiphonarū & diuinæ laudis offerūtur ex ipsius Ecclesiæ persona prophana hæc à falsariis ministris. Nec excusant ex eo quod sonus abstrahit ab omni materia, & quælibet melodia soni potest ad sacra verba applicari. Tum quia secundum rei veritatem isti soni fiunt vt accommodati ad delectationem auditorum: qui non nouerunt illos nisi vt sonos illorum verborum prophanorū aut turpium. In cuius signum audientes, ex illo sono excitantur ad illa prophana seu turpia, vt experiētia testatur: ita quòd non est locus inficiationi. Tū quia cantus etiam abstrahit ab omni materia: & tamē Ecclesia interdixit prophanos cantus in Ecclesia: vt cantus theatrales: vt patet dist. xcii. cap. cantantes. Memento hic Apostolicæ sententiæ, Nolite errare, Deus non irridetur aut fallitur,

fallitur. Inuoluuntur autem eodem crimine non solùm pulsantes, sed qui conducunt & consentiunt pulsantibus hæc: vt impleatur scriptura, Gloriati sunt qui oderunt te, in medio solennitatis tuæ. Excusandos tamen illos crediderim, qui simplici corde credentes licere non turpia, sed vana quasi pro recreatione pulsare, pro eo quòd vbique sic vident fieri, erranerunt: ita quòd si sciuissent criminosum esse non feciissent. tales enim ex ignorantia probabili erranerunt: quia Ecclesiastici pastores non quæsierunt quæ IESV Christi sunt. Excusantur à tanto, quamuis non à toto.

A turpium autem sono nulla ignorantia excusare potest, quia continet statim dissonantiam & contrarietatem ad IESV Christi solennitatem.

Actus exterior præcipuè ornatus, an & quando vertatur in peccatum.

ORnatus exterioris peccatum ex septem capitibus pendet. Primò, ex fine ornantis se. Secundò, ex solicitudine eiusdem. Tertiò, ex consuetudine seu lege. Quartò, ex qualitate ornatus in se. Quintò, ex fuco. Sextò, ex pretiositate. Septimò, ex scandalo.

Caput primum commune est etiam quibuscunq; bonis operibus, & propterea manifestum est.

Si enim quis ornat se ob superbiam, inanem gloriam, aut ad prouocandum ad malum &c. & ipse ornatus malus est iuxta malitiam illius finis: Ita quòd si finis est peccatum veniale (puta vt appareat pulchra, aut ditior, aut superior) vanitas est, ac per hoc veniale peccatum.

Si verò finis est peccatum mortale (vt si intendit prouócare ad sui malam concupiscentiam) ipse quoque ornatus est mortale peccatum.

Caput secundum (scilicet affectuosa solicitudo ad orna-

ōrnatum) quandoque ſimiliter facit ornatum venialem: vt ſi affectus & ſolicitudo habeat ſuperfluitatē. Quandoque mortalem: vt ſi ſit tantus affectus, aut tanta ſolicitudo, vt propterea quis non curet de neceſſariis ad ſalutem: vt ſi ob ornandum ſe non curet de Miſſa in feſtis, & huiuſmodi.

Caput tertium (conſuetudo ſcilicet vel lex) duo conſideranda inducit. Primò, qualitatem legis ſi obligatiua eſt ad mortale: quod ex pœna cognoſci poteſt: vt eſſet ibi pœna excommunicationis, & ita ſeruatur. Secundò ſi deſit cōtemptus ex parte tranſgreſſoris: ſi enim lex leuis eſt, & contemptus deeſt, non incurritur mortale. Conſuetudo autem niſi in legem tranſierit, communiter inducit peccatū veniale: quia non legale, ſed mortale debitum habet. Si autem in legem tranſierit ſine pœna aliqua, venialem quoque inducit tranſgreſſionem, ſi contemptus deſit. Longē tamen grauius peccat qui primus eſt conſuetudinis violator, nouitatem ornatus inferens patriæ, circa mortale tamen (vt dictum eſt) vt ſi ſola vanitas in cauſa eſt violandæ conſuetudinis. Et ad hoc caput ſpectat ſtulta præſumptio vtentium habitu maiorum: vt ſi veſtiatur idiota vt doctor, aut plebeius vt eques, & ſimiles exorbitationes à more politicæ modeſtiæ.

Caput quartum (qualitas ſcilicet ornatus) communiter peccatum inducit veniale, ſi indecens eſt ac minus caſtus: vt ornatus mulierum monſtrantium media hubera. Veruntamen vbi conſuetus iam eſt, ſine peccato videtur: & in remedium ne peiora fiant fortè introductus. Caput quintum ex fuco communitet conſtituit peccatum veniale: quia in ſimulatione & fictione vana conſiſtit.

Caput ſextum ex pretioſitate ornatus: quia quod pretioſum eſt vni, non eſt pretioſum alteri, quem de-

cet ſumptus magnos in veſtibus & annulis, & monilibus &c. facere: ideò ſi ornatus relatus ad perſonam eſt exceſſiuus in pretio, ſine peccato non eſt. Communiter tamen videtur venialis huiuſmodi exceſſus, ſuperbus, ſtultus & vanus: non enim propterea æquatur maioribus, quia ornatur pretiosè ſicut maiores. Caput ſeptimum ex ſcandalo, hoc eſt ex occaſione peccandi: quia ornata ſuperfluè mulier mouet ad ſui concupiſcentiam. Sed ſi ex parte mulieris non eſt intentio prouocandi, nec ſibi placet quòd prouocetur aliquis ad ſui libidinoſum amorẽ, licet placet ei quòd laudetur vt pulchra, & vana ſuperfluitate, & fucoſe ornet, non propterea peccat mortaliter: quia alii peccant mortaliter ipſam adamando: eſt enim occaſio accepta non data: quum lõgè pulchriorem Deus naturaliter proponat aliquam mulierem: quæ nulli dat occaſionem peccandi, ſi exhibet ſe conſpectui publico, ac per hoc multorum adamantium illam. Si vis diffusè hæc diſcernere, vide commentaria noſtra in quæſt. clxix. Secundæ Secundæ.

Oſculum poteſt eſſe honeſtum vna de cauſa & vitioſum altera.

OSculum beneuolentiæ, bonum ac laudabile eſt iuxta morem patriæ inter quaſcunque perſonas ſit. Oſculum verò libidinis, niſi inter coniuges ſit, eſt peccatum mortale: iuxta ſuperius dicta de impudicitia.

Actus aliquis quare dicatur mortalis, vel peccatum mortale.

PEccatum mortale eſt, quod priuat in præſenti animam vita ſpiritalis amicitiæ quæ eſt, ſeu eſſe debet inter hominem & Deum.

Homo enim qui eſt in gratia Dei, amat in veritate Deum

Deum plus quàm quamcunq; rem creatam, & econtrario amatur à Deo vt charus amicus. Quia ergo priuat hominem ſpiritali hac vita, quæ conſiſtit in charitate, ideo dicitur & eſt peccatum mortale, & etiam quia facit hominem dignum morte æterna, hoc eſt perpetua ſeparatione à vita cœleſtis patriæ, adiuncta ſimul perpetua miſeria. Conſiſtit autem omne peccatum mortale in offenſa diuinæ amicitiæ: quia quilibet peccans mortaliter, vel expreſsè, vel interpretatiue refutat Deum pro vltimo fine ſuo, & pro amico ſuo: dum mauult implere voluntatem ſuam quam Dei: & ideo Dauid dicebat Deo, Tibi ſoli peccaui. Et ſi hoc non penetras, vide ex contrario, quod exiſtens in charitate præfert in amore ſuo Deũ omnibus amabilibus, delectabilibus, honorabilibus, horribilibus &c. & ſic videbis quod peccans mortaliter, ac per hoc amans aliquid aliud plus quàm diuinam facere voluntatem, remouet Deum à loco ſuo quem in corde illius habere debet: quia non præfert amplius eum omni amabili &c. ſed illud in quo peccat mortaliter, pluris facit pro tunc quàm diuinam voluntatem.

Peccatum veniale quare ſic dicatur, & in quo differat à mortali.

VEniale autem peccatum non infringit diuinam amicitiam: vtpote non contra ſed præter diuinam exiſtens voluntatem, non contra ſed præter charitatem, non contra, ſed præter diuina præcepta, & ideò veniam à Deo amico meretur: quemadmodum in humanis amicitiis ſi quis diſplicens amico, ſaluo tamen amicitiæ fœdere acciderit, facile remittitur.

Pedagium illicitum, vide in verbo, Vectigal.

Sta-

Statutorum pœnam obseruare an sit obligatorium.

POEnam subire statutam licet non teneatur aliquis in foro conscientiæ, nisi postquàm ad illam damnatus est à iudice: quia tamen hoc fallit in duobus casibus, scilicet in censuris & testamentariis, ideo & excommunicatus, & suspensus, & interdictus & irregularis est quisquis contra latam à canone de huiusmodi sententiam facit, absque alia declaratione iudicis. Et rursus ideò vidua non castè viuens, cum mala conscientia perseuerat donna & domina & vsus fructuaria vt relicta fuit à marito cum conditione si castè vixerit. Vnde tenetur de consumptis post quàm non vixit castè, etiam si nullus iudex humanus ad hoc compellat. Et hoc subtiliter consideratum non ideò est, quia pœna testamentaria infligitur sine executore: sed ideò est, quia euenit casus in quo voluntas testatoris sic disposuit. Et propterea sicut reliqua à testatore dispositа in diuersis casibus non egent declaratione iudicis, cum casus illi eueniunt, ita disponente testatore quòd vxor sua sit domina &c. quandiu castè vixerit, adueniente casu castitatis omissæ desinit succedere marito in illis bonis sic sibi dispositis. Simile est enim hoc alteri casui quo maritus relinquit illam vsufructuariam, nisi transierit ad secundas nuptias, constat enim quod siue clàm, siue publicè nubat, desinit esse vsusfructuaria, etiam si nullus iudex, nullus exequutor inhibeat. Horum enim omnium vna communis est ratio: quia scilicet ventum est ad casum in quo testator noluit bona sua ad illam transire: ac per hoc nullum tunc habet ius mulier in illis bonis quæ ex testatoris voluntate sola habebat, quicquid iuris in illis habebat.

Verbe-

Verberatio proximi dupliciter considerator.

PErcussio, qua proximus verberatur) peccatum est mortale ex suo genere, quia iniuriosa est & nocet proximo. Propter imperfectionem tamen actus si minima est, venialis est. Quòd si authoritatiuè fiat, vel à iudice, vel à Prælato, patre magistro &c. non est peccatum, sed opus iustitiæ & charitatis, modò non sit immoderata nec malo animo fiat.

Promissum non obseruans an semper peccatum committat.

PErfidia, qua homo non facit quod promisit, peccatum est: vtpote contra virtutem fidei, qua fiunt dicta: quia promissione facit se homo debitorem implendæ promissionis. Inuenitur autem triplex: scilicet pernicioſa, officiosa, & iocosa. Et iocosa quidem ac officiosa, venialis est: quoniam ex simplici promissione non nascitur maius debitum quàm sit naturale debitum non mentiendi: nam vtrumque debitum est debitum mortale, sine quo morum honestas saluari nequit: & ad eandem virtutem reduci creditur, scilicet ad virtutem veritatis: & vtrunque ad alterum est, pro coniuncto, vtilitate & conuersatione humana. Pernicioſa autem (quæ. s. nocet primo, siue quò ad animam, siue quò ad corpus aut res) peccatum est mortale sicut mendacium pernicioſum. Et hæc de perfidia simplici dicta sint. Nam quum promissio, transit in debitum legale (vt quum quis promittit ita quod potest quantum est ex vi promissionis cogi in iudico humano) tunc supra debitum morale adiungitur debitum legale, & per hoc debitum iustitiæ. Et si non seruatur promissa, incurruntur duo crimina. s. perfidiæ, & iustitiæ, quam constat ex suo genere

esse peccatum mortale . Cum quibus omnibus memento hic quod propter imperfectionem actus sæpe actus excusatur à mortali, siue imperfectio sit ex parte affectus, vt in primus motibus , siue ex parte materiæ, vt in nocumentis minimis, siue ex parte formæ; hoc est, quia non per se, seu ex intentione peccatum illud fit, puta non intendit quis violare fidem, sed ex obliuione aut ignorantia facti: aut ex fiducia quam accipit de eo cui promisit, aut ex causa quæ sibi videtur rationabilis , & breuiter quando non per se est perfidus, non incurrit mortale, nisi per accidens, hoc est propter notabile nocumentum aut scandalum, & si quod aliud eiusmodi esset accidens. Et hnic habes claritatem infinitorum casuum contingentium in non seruata fide de tacendo, de fauendo, de eundo, faciendo, &c.

Exponere se periculo corporis vel animæ an sit licitum.

PEriculo peccandi se exponere dupliciter euenit. Primò faciendo scienter opus dubium an sit licitum vel illicitum. Et hoc modo exponere se periculo peccandi, vel peccatum: & si agitur de licito aut illicito mortaliter est peccatum mortale . Et ratio est, quia voluntas ex hoc ipso exorbitat à recta ratione & diuino amore , quod mauult opus illud cum dubio incurrendi transgressionem diuini præcepti, quã abstinere in opere illo cum certitudine non errandi: ac per hoc voluntas magis amat opus illud, quàm Deum in suo præcepto. Et sic verificatur sententia illa: Exponens se periculo peccati moralis, peccat mortaliter. Secundo, eundo ad locum siue societatem vbi est periculum peccandi mortaliter propter aspectum, persuasiones, commoditatates, aut aliquid huiusmodi. Et hoc quidem si fine vrgente necessitate fit, ad

incautelæ

incautelæ peccatum ſpectat. Non eſt autem ex ſuo peccatum mortale: quia in ſuæ libertatis arbitrio reſtat peccare mòrtaliter etiam præſentibus talibus occaſionibus peccandi. Ex conditione verò perſonæ fragilis, menſuræ ſe tenetur qui fragilitatis propriæ conſcius dubitat de calu. Et ſi experientia teſte didicit ſe non ſubſiſtere in eiuſmodi: ſed ſtatim aut quaſi ſtatim cadere, nulla neceſſitate vincatur vt illuc eat, aut ibi moretur. Scriptum eſt enim: Si pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te. Si verò conſtantem ſe putat futurum, & neceſſitas eundi vrget, peccatum non video. Non vrgente autē neceſſitate, peccatum eſt incautelæ (vt dictum eſt) maius vel minus iuxta conditiones ſingulares periculi vndique penſatas.

Iuramentum falſum ſemper eſt peccatum mortale.

PEriurium propriè (hoc eſt iuramentum falſum) peccatum eſt mortale, quia Deo inuocato in teſtem iniuria fit. Contingit autem incurrere periurium & in iuramento aſſertorio & in iuramento promiſſorio, & iuramento comminatorio. Ad quorum clariorem notitiam duas prænota diſtinctiones: alteram de formali vel materiali: alteram de perfecto vel imperfecto. Quæ diſtinctiões licet omnibus huiuſmodi moralibus habendæ ſint ante oculos: in peccatis tamen linguæ (de quorum numero eſt periurium) ſunt multùm neceſſariæ. Diſcernendū eſt enim periurium ſi eſt ex intentione, quod vocatur formale: vt quum quis aduertit ſe falſum iurare, & vult falſum iurare. Et hoc ſemper eſt peccatum mortale. Aut ſi non intendit iurare falſum, & tamē iurat falſum, quod vocatur periuriū materialiter. Et rurſus ſi periuriū ipſum exit ab homine vt actus perfectus

(puta quia sciens & prudens periurat) quia sine dubio semper est mortale peccatum. Aut vt actus imperfectus (puta lapsu linguæ, aut aliàs inaduertenter seu ignoranter) nam periurium materialiter tantum, hoc est non ex animo iurandi falsum , non est peccatum mortale, quia non est periurium : quoniam nullus actus bonus vel malus est talis sine sua forma. Memento tamen hic & semper in similibus illius exceptionis : nisi actus redeat in naturam suæ formæ: quod in proposito contingeret, si quis non intenderet iurare falsum, & tamen non curaret adhibere curam ne iuret falsum. Tunc enim talis iurans falsum, incurreret periuriũ mortale: quia propter talem negligentiam in tantare, rediret actus in naturam suæ formæ: conuincitur enim ille quòd maluit incurrere periurium quàm discurrere vt debuit an iuret falsum.

Inchoando igitur à periurio, assertorio (hoc est iuramento mendaciter affirmante vel negante) scito omne homini periurium esse mortale in quacunque materia fit, quibuscunque verbis dicatur, & quacunq; coactione, metu, ioco, leuitate, consuetudine, vtilitate, aut excusatione fiat: quia Deo fit magna irreuerentia inducendo ipsum in testem quasi mendacem. Nulla admittitur in hoc excusatio nisi (vt dictum est) ex imperfectione actus: puta quia inaduertenter, vel vt primus motus: ex lapsu linguæ: & si quid est aliud reddens actum imperfectum.

Periurium promissorium duobus potest committi temporibus.

PRomissorium autem periurium duobus incurritur temporibus. Vel præsenti, quando fit: vel futuro quando non adimpletur. Et in præsenti quidem (hoc est quando iuramentum promissorium fit) incurritur

curritur dupliciter periurium. Primò, ex mendaci animo: vt quum sub iuramento promitttiur aliquid bonum vel malum sine animo seruandi, aut sine animo promittendi seu obligandi se: aut sine animo iurandi. Et hoc semper est mortale: quia deest veritas præsens. Idem est enim iudicium de hoc periurio quantum ad præsentem veritatem, & de periurio assertorio. Secundò, ex materia mala: vt quum quis vero animo sub iuramento promittit aliquod malum, puta interficere talem, vel adulterium perficere, &c. Et tunc si iuratur super patrando peccato mortali incurritur iurando periurium non solùm quia firmatur voluntas ad peccatum mortale, sed etiam quia applicatur iuramentum ad materiã quam oportet omnino falsificare: quia est contra charitatẽ. Si verò est malum veniale, incurritur periurium non simpliciter (quia non deficit veritas prẽsens iuramento: nec de necessitate salutis oportet deficere veritatem futuram, quia non est contra, sed præter charitatem) sed secundum quid: quia firmatur voluntas ad malum, veniale tamen: & irreuerentia quædam fit iuramento applicando illud ad materiam non obligabilem: apponit enim per hoc impedimentum effectui iuramenti, qui est obligare ad faciendum. Vnde graue videtur, & est hoc peccatum, non tamen mortale. Idem est quoque iudicium, si iuramentum promissorium est de omittendo bonũ supererogationis, vt quũ quis iurat se non ingressurum religionẽ, non mutuaturum, non fideiussurũ, & similia. Huiusmodi enim iuramẽta veraci animo facta, peccata sunt quãdo fiunt: quia irreuerentia fit iuramento, vtendo illo ad materiam non obligabilem ad verificandum: & propterea periurium secundum quid incurritur, sicut de iuramento venialium operũ dictum est. Nõ tamẽ est periuriũ absolutè: quia nec deest præsens veritas,

nec oportet deficere veritatem futuram , quæ esset non contra charitatem. Et hæc intellige quando huiusmodi iuramenta fiunt cum animo non faciendi hæc communiter, nam si intenderet quis non facere hæc etiam in casu quo de necessitate salutis accideret ipsum teneri ad illud, iam non iuraret omittere bonum supererogationis , sed bonum necessarium ad salutem, & peccaret mortaliter: vtpote iurans peccare mortaliter . Sunt autem communiter & non sic extremè ad casus de necessitate salutis interpretanda huiusmodi iuramenta: quia iurantes super sua libertate se fundant, dicentes: ego non teneor mutuare, fideiubere, &c. & ideo nolens incidere in foueam iuraui . Vnde manifestum iudicium est intentionis communis , & non ad casum de necessitate salutis, qui in huiusmodi quàm rarissimus videtur. In futuro verò tempore (hoc est si iuramentum promissorium non adimpletur) incurritur periurium semper quando iuramentū obligatiuum est: quia deesset veritas iuramento, ac per hoc peccaretur mortaliter. Ex quatuor autē capitibus contingit iuramentū promissoriū non adimpleri absque peccato. Primò ex parte materiæ. Secundo, ex parte euentus. Tertio ex parte modi. Quartò, ex parte relaxationis.

Primum caput ex parte materiæ, intellige quando materia non est capax vinculi obligatorii. Talis autē est triplex. Primo, omnis actus moraliter malus, siue sit peccatum mortale, siue veniale, & ideo quicunque iurauit occidere aut dicere verbum otiosum, non obligatur ad exequendum iuramentum, sed peccat exequendo. Secundo, omnis omissio boni supererogationis, nam licet non teneatur ad illum bonū, tenetur tamen non ponere obicem spiritui sancto. Et propterea qui iurauit non mutuare, aut non fideiubere, aut aliquid huiusmodi, non obligatur ad implendum iuramentum

ramentū: sed liber remanet, & potest mutuare & nō mutuare sicut prius antequā iuraret. Tertio, actio indifferens salua sua indifferentia, vt si quis absque vlla ratione boni vtilis honesti, vel delectabilis iurauit transire extra muros ciuitatis, aut aliquid eiusmodi, non tenetur seruare, si nulla sit ratio sic transeundi: quia iuramentū non est vinculū ad otiosum aliquid: constat autē quod salua indifferentia actus otiosum est exercere illū. Secus autē est si actus in seipso indifferēs iuratus esset ad cautelā seu vtilitatē spiritualem vel temporalē sui vel alterius: quia tunc tenetur implere iuramentum: vt si quis iurauit non intrare in talem domum, aut non transire per talem viam ad cauendum sibi à tentatione talis mulieris, &c.

Caput vero secundum ex parte euentus, intellige primò si euentus sit malus: vt patet de iuramento Herodis quum iurasset dare puellæ saltanti quicquid petiisset, tolerabile enim erat iuramentum sanè intellectum: sed malus fuit euentus quando puella petiit caput Ioannis Baptistæ. Non enim adstringebatur Herodes ex iureiurando facere tantum scelus: quia euentus male petitionis excludebat vim iuramenti. Et hinc qui iurauit reddere depositum ensem, non tenetur reddere furioso. Et sic de similibus.

Intellige secundo, si euentus sit impeditiuus maioris boni: vt si quis iurauit contrahere matrimoniū & postea inspirante Deo vult in veritate cœlibem vitam ducere, non tenetur adimplere iuramentum: quia in euentu isto iuramentum esset vinculum ad impediendum meliorem statum, scilicet continentia, quem constat esse meliorem statu coniugatorum. Et sic de similibus.

Caput tertium ex parte modi, intellige primò quātum ad cōsuetum modum subintelligendi, vt quum

aliqui honorare se volentes, iurant, non præcedã per Deum, &c. In his enim & similibus secundum communem & sanũ sensum subintelligitur, quantum est ex me: sicut in Petri Apostoli verbo quum dixit Non lauabis mihi pedes in æternum, & propterea absque peccato periurii faciunt statim oppositum permittendo se vinci. Intellige secundo quantũ ad modum iurandi violentũ, in materia tamen matrimonii: quia sicut matrimonium coactum timore cadente in constantem, &c. non valet: ita iuramentum metu extortum de contrahendo, videtur relaxatum ipso iure. Tutius tamen est relaxationem à superiori habere sicut in cæteris iuramentis vi vel metu extortis. Caput quartum ex parte relaxationis clarè patet, nam siue relaxatio fiat ab illo, cui promissio facta est cum iuramento (qui potest liberè quod in sui fauorem factum est relaxare) siue fiat à superiore qui possit relaxare, cessat obligatio iuramenti promissorii.

Iuramentum comminatorium quando periurium inducere dicatur.

COmminatorium denique iuramentum inducit periurium in duobus quoque temporibus. Vel in præsenti. Et hoc dupliciter. Primò si fiat mendaci animo. Et tunc semper est periurium mortale: quia deficit iuramento præsens veritas, siue comminatio sit iusta, siue iniqua. In quacunque namque materia bona vel mala iuramentum cadit super mendacio inexcusabile est à peccato mortali. Secundò, si fiat veraci animo super materia mala hoc est, si quis non comminetur facere opus aliquod quòd est peccatum mortale vel veniale. Et idem est tunc iudicium de comminatorio quod de promissorio: ideo non replico. Vel in futuro: hoc est tempore exequutionis. Et siquidem comminatio facta est de aliquo malo culpę

siue

siue mortali siue veniali, potest & debet iuramentum commmatorium non adimpleri: vt si quis comminatus est percutere aliquem aut diripere bona eius, aut impedire eum ab aliquo assequendo. &c. tenetur nō exequi: vt patet. Si verò comminatio facta, est iusta inflictione aut procuratione mali pœnæ, siue quantum ad corpus, siue quantum ad bona temporalia, grano salis opus est: quoniam hinc est vinculū iuramenti ad opus iustum adimplendum: hinc verò est malum proximo infligendum, ad cuius cessationem misericordia inuitat. Tria igitur hic considera. Primum commune, quòd sicut iuramentum non est vinculum iniquitatis, ita nec impedimentum melioris boni. Et hinc fit, vt quando melius est parcere aut abstinere à comminati mali iusti exequutione, non teneatur quis ad iuramenti exequutionem, exemplo Dauid qui licet iurasset percutere Nabal cum domo eius postea ad preces Abigail abstinuit. Secundum appropriatum comminationi, quòd comminatio intelligitur secundum præsentem iustitiam: testante hoc verbo Domini Apud Hierem. Repentè loquar aduersus regnū & gentem vt disperdam, si pœnitentiam egerit gens illa, pœnitentiam agam & ego super verbo meo. Et hinc fit, vt qui iuranit iustam punitionē, postea petenti veniam parcat absque periurio: quia cessauit illa tunc præsens iustitia secundū quam iurauit, ex quasi cessatione demeriti: quia ad pœnitentiam conuersus est qui peccauerat. Et hoc est etiam perspicere in dicto exemplo Dauid: quia non ad pœnitentiam Nabal, sed ad merita & preces Abigail innocentis pepercit ipsi Nabal: tanquam cessauerit ratio præsentis iustitiæ ex aliquorum innocentia & supplicatione humili præueniente.

Tertium proprium materiæ comminatæ, scilicet quòd pœnæ in hac vita non sunt appetibiles nisi vt

medicinæ, vel personæ puniendæ, vel boni cõmunis. Et propterea quando comminata pœna cessaret habere rationem vtriusque medicinæ, non teneretur quis ex vinculo iuramenti ad implendum iuratam comminationem. Quando autem hoc accidat, relinquitur iudicio prudentiæ, qnæ est circa singularia occurrentia. Ex his autem habes, quare mater quæ iurauit verberare filium, aut dominus qui iurauit verberare seruum, & postea parcet (vel ne turbet pacem domus: vel quia amplius nõ opus est medicina talis pœnæ, & breuiter quia iudicat melius esse vt parcat) non tenetur ad implendam comminationem iuratam. Et sic de similibus.

De periurio autem largè sumpto (hoc est quum absque necessitate iurauit super veritate constat veniale tantum peccatum esse, periculosum tamen peccatum est si sit frequens, scriptum est enim: Iurationi non assuescat os tuum: multi enim sunt casus in illa.

Mali alicuius actum permittere quando sit peccatum.

PErmissio ex suo genere peccatum non est: vt patet ex hoc quod Deo conuenit permittere mala culpæ, quæ sunt mala, & propterea tunc tantum peccatum est quando absque rationabili causa fit. Est autem rationabilis causa permissionis, vel vitatio maioris mali (sicut meretricium permittitur, ne ciuitas adulteriis & incestibus repleatur) vel deductio maioris boni: sicut Petrus præsumptuosus permissus est labi in negatione Christi, & periurium, vt esset humilior. Vnde superiori qui potest obuiare ne subditus peccet, & sine rationabili causa non obuiat peccat. Et similiter qui potest punire, & sine rationabili causa permittit impunitos peccat. Quando autem mortaliter vel venialiter oportet ex singularibus occurrentiis

currentiis considerare & iudicare in eo qui vigilare studet super gregem suam. De illo autem cui cura non est an oues errent non oportet solicitum esse: quia iam iudicatus est.

Actus permutationis potest tribus concurcurrentibus esse vitiosus.

PErmutatio illicita est tripliciter. Primò ex communibus, si iniusta est, puta quia non seruatur æqualitas rei ad rem: & similiter si cum fraude aut dolo fiat. Secundò ex materia repugnante: vt si permutentur spiritalia, quasi æstimata pretio aliquo. Tertiò, ex materia prohibita, seu limitata est iure humano. Et hæc ponitur triplex scilicet mancipia Ecclesiæ, quæ permutari si debeant, oportet seruari quæ de illis iura disponunt. Serui fugitiui quandiu in fuga sunt, qui prohibentur permutari. Et tertiò beneficia ecclesiastica: quæ licitè non permutantur cõmuniter: aut si pacta firmantur sine authoritate superioris, aut si fiat sine authoritate superioris, aut detur aliquid temporale pro spirituali, aut omnibus his seruatis, si permutando nulla cura est cui Christi oues committantur. Et hoc coram Deo est crimen maximum.

Sentẽtia vel opinioni propriæ pertinaciter inhærens peccare potest.

PErtinacia (qua homo in propria perseuerat sententia plus quàm oportet) peccatum est: vtpote, à recta ratione dissonans. Oportet autem secundum subiectam materiam iudicare an sit mortale vel veniale peccatũ. Nam si pertinax quis est circa plantandam arborem, aut aliquid eiusmodi. hoc non perniciosum est, sed veniale. Si autẽ circa aliquid perniciosum (vt sunt ea quæ sunt fidei, & quæ nocẽt homini) mortale

mortale est, propter iniuriam quæ fit Deo aut homini gratia materiæ. Et hoc intellige de sententia consummata in opere voluntario interiore (puta credere) vel exteriore, puta colere, emere &c. secundum erroneam pertinaciam. Quòd ideò dico: quia si in solo nudo puroque intellectu quæcunque pertinacia consistat, credat autem, speret, diligat operetur; secundum communem Ecclesiæ traditionem, nullum video peccatum mortale.

PIgnus accipere illicitum redditur tripliciter. Primò, si ad lucrum non computãdum in fortem accipitur, quia hoc est contra naturalem iustitiam Secundò, ex materia prohibita, vt si homo liber accipiatur in pignus pro debito: aut si vasa sacra & huius modi ecclesiastica contra iuris dispositionem impignorentur, Tertiò, ex adiacentibus pactis prohibitis à iure: quæ tria ponuntur. Primũ, si debitor obligat se dare pignus in solutũ. Et ad hoc reduci dicitur, si fiat pactum vt si die tertio non soluerit, pignus transeat in feudum. Secundum, si debitor obligatur ad non redimendum pignus absolutè, vel ante talem diẽ. Tertiũ, si creditor obligatur ad non vendendum pignus post legitimam interpellationem debitoris.

Et hæc omnia pro quanto cum damno partis siue debitoris (vt duo prima) siue creditoris vt tertium, tendunt, peccata sunt iniustitiæ: ac per hoc mortalia, vltra iuris positiui transgressionem, quæ ex concurrentibus conditionibus singularibus personarum, &c. pensatur.

Homo piger & pusillanimis potest in delicta varia cadere.

PIgritia (qua homo tardus metu laboris passionis, aut difficultatis apparentis redditur ad opportuna exequenda) peccatum est: quia rectæ discordat rationi.

rationi. Iuxta materiam autem subiectam iudicandum est de mortali: si scilicet contra aliquid necessarium ad salutem trahit & ducit iuxta regulas de negligentia.

Prædo marinus grauissimo peccatorum, vinculo tenetur.

PIrata (hoc est prædo marinus) contra humani generis pacem manifestè agit: & est in statu damnato. Quomodo autem sint piratæ excommunicati, habes suprà, excommunicatio.

Hominibus placere studere an sit vitiosum.

PLacere hominibus peccatum tunc solùm est, quum propterea à recta ratione disceditur. Mortale autem est tunc tantum, quum propterea dilectionem Dei aut proximi postponimus. Quòd tunc tantùm incurrimus, quum propterea diuina aut humana præcepta transgredimur: vt quum ministri principis vt placeant illi non curant offendere proximos: vt placeant iuncto sanguine vel amicitia, negant iustitiam: aut opprimunt alios faciendo vel loquendo, vel tacendo & sic de aliis. Frequensque hoc videtur vitium paruipendentium illud Apostoli: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.

Pollutio dupliciter consideratur, scilicet vt voluntaria, & est peccatum: ininuoluntaria, & vt non est peccatum.

POllutio (qua semen humanum solitariè funditur) si non est voluntaria, siue in somno siue in vigilia, sit peccatum non est. Si autem est voluntaria, peccatum mortale est, & est vnũ de peccatis contra naturam,

turam,& vocatur mollities. Eſt autem voluntaria non ſolùm ſi ſit procurata, ſed etiam ſi ex ſe venienti conſenſus præbetur, & etiam ſi quum poteſt & debet perſona prohibere, non prohibet, primis enim duobus modis eſt volũtaria directè, tertio autem eſt voluntaria indirectè. Dixi autem ſi poteſt & debet: quia ad indirectè voluntarium culpabile, requiritur vtrunque ſimul ſ. quòd poſſit & debeat. Nam ſi non poteſt prohibere, quia natura facit opus ſuum, conſtat non teneri, ſi ſimiliter ſi poſſit impedire tollendo occaſiones, & tamen non tenetur illas tollere, nõ eſt in culpa.

Et hinc doctores & confeſſores vacantes cogitationibus vel auditionibus operum turpium intuitu pietatis, non peccant ſubſequentibus corporalibus pollutionibus contra eorum voluntatem: quia licet poſſint, non tamen debent ſubtrahere ſe ab operibus ſanctis, propter huiuſmodi quæ ſequuntur ex neceſſitate materiæ. Et de ſimilibus idem eſt iudicium. De hoc diffusè ſcripſi in quid libeto primo.

Perſonæ verò quæ ſine rationabili cauſa manent voluntariè in cogitationibus turpibus aut conuerſationibus ingerentibus ſibi huiuſmodi commotiones, quia poſſunt & debent tollere tales occaſiones, incurrunt voluntariam pollutionem, niſi inaduertentia excuſet: quia volendo illas illicitas, periculoſas & ſibi notas cauſas pollutionis propriæ, conuincitur velle culpabiliter ipſam pollutionem earum naturalem effectum.

Tranſgreſſio cuiuſlibet præcepti liciti & honeſti peccatum eſt.

PRæcepti tranſgreſſionem peccatum eſſe conſtat. Sed quia præcepti nomen vt diſtinguitur contra conſilium, confuſum inuenitur (dum quandoque

propriè

propriè secundum suam significationem sumitur vt imponit necessitatem obediendi, ita quòd peccatur si nō impletur, iuxta illud xiiii. quæst. i. Quòd præcipitur, imperatur, & quod imperatur, necesse est fieri: &c. Quandoque autem antonomaticè, vt imponit necessitatem talem scilicet mortaliter peccandi si non pareatur: iuxta Clem. exiui de paradiso. de verbo significat. Et vtroque modo in omni iure inuenitur (ideò obscura redditur discretio transgressionis præceptorum, quando est mortalis, & quando venialis.

Commune est autem vtriusque generis præcepto, quod transgressio tam ex contemptu qnàm ex per se impeditione finis, est peccatum mortale. Et horum primum clarum est, quia contemptus siue præcepti siue præcipientis iniuriam infert ex propria ratione. Secūdum autem declaratur ex eo quod finis præceptorum communium est dispositio animi virtuosa necessaria ad salutem, ad hoc enim ordinantur præcepta naturalia, diuina & Ecclesiasticæ. iuxta illud Apost. i. ad Timot. i. Finis præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Et declaratur. Nam aut sunt de necessariis ad salutē: qualia sunt quæ spectant ad peccata mortalia, aut de necessariis ad munditiā: qualia sunt quæ sunt peccatorum venialium quæ disponunt ad mortalia & ad illa ordinantur vt imperfecta ad perfecta, ac per hoc præcepta contra venialia sanitatē animæ perturbantia, ad vitā animæ quæ per mortalia tollitur, ordinantur: sicut sanitas corporalis ad vitam corporalis.

Existente autem communium præceptorum fine necessario ad salutem, consequens est, vt si huiusmodi præcepta transgrediatur quis vt impediat finem: vel (& in diem redit) propter aliquid cui annexa per se impeditio finis, peccet mortaliter. Qui enim

hoc

hoc modo præceptum tranſgreditur, proportionaliter ſe habet, ad finem præcepti ſicut qui tranſgreditur ex contemptu, ſe habet ad præceptum ſeu præcipientem: nam iſte reſpuit finem, ſicut ille reſpuit præceptũ. Verbi gratia: circa præceptum de audiendo Miſſam, non ſolùm, peccat mortaliter qui omittit audire Miſſam, quia non vult ſubiici præcepto, ſed etiam ſi ideo omittit, quia non vult mente vacare Deo.

Præter hos verò duos modos mortalis tranſgreſſionis præceptorum, ſunt alii quatuor modi diſcernendi huiuſmodi tranſgreſſionis ſeu præcepta. ſ. ex materia, pœna, verbis & intentione. Diuinorum enim & naturalium præceptorum antonomaticè materia eſt neceſſaria ad vitam animæ: vt ſunt. Non occides, non mœchaberis, &c. & propterea eorum tranſgreſſio eſt mortalis. Præceptorum autem aliorum materia neceſſaria eſt ad ſanitatem animæ: vt ſunt, non dices verbum otioſum, iurationi non aſſueſcat os tuum &c. & propterea eorum tranſgreſſio non occidit, ſed ægram reddit animam. In iure autem humano ex ſola materia diſcernere præcepta impoſſibile videtur: quum inueniantur minima quædam præcepta ſub mortali peccato: vt patet de concidentibus cadauera, vt transferant ad alia loca: quod ex ſe nullum eſt peccatum, &c.

Pœna præceptorum antonomaticè, eſt excommunicatio, vel aliquid ſimile, quod non ſtat cum vita animæ: & propterea vbicunque apponitur excommunicatio, incurritur peccatum mortale tranſgrediendo. Pœna autem aliorum præceptorum eſt aliquid ſtans cum vita animę: vt ſuſpenſio, interdictum, irregularitas, vel aliqua pœna pecuniaria, & huiuſmodi, & propterea non oportet in tranſgreſſione horum incurrere peccatum mortale. Siſte tamen hic pedem, & aduerte quòd inter excommunicationem

latæ

latæ sententiæ & comminatam excommunicationis pœnam differentia est etiam quantum ad peccatum transgressionis, in hoc quod transgressor præcepti cum lata ex communicationis sentētia, peccat mortaliter: quia solum peccatum mortale dignum facit excommunicatione. Transgressor autem præcepti sub comminata pœna, non peccat mortaliter, quousque transgressio non peruenerit ad hoc quòd ille dignus sit excommnnicari. Quod ideo dico, quia si debet præcedere monitio ante, quàm ille excommunicetur, non peccat mortaliter antequam monitorio resistat: quia non est adhuc dignus excommunicari. Verbi gratia clericus si nutrierit comam, excommunicetur: si nutriens comam non debet excommunicari nisi monitus generaliter vel specialiter, non peccat mortaliter quousque monitus perseueret, tunc enim vtpote excommunicatione dignus, peccat mortaliter. Verba distinctiua præceptorum non sunt certa, quum ipsum præcepti nomen incertum sit, vtpote commune vtriusque præceptis. Et propterea de præceptis iuris communis incerta est sententia. In qualibet autem Ecclesia seu religione illa tantum verba vim præcepti antonomaticè obtinent, quæ consueuerunt intelligi apud illos pro præcepto antonomaticè: & quę non consueuerunt sic intelligi, non habēt vim huiusmodi præcepti: quia nominibus vtimur iuxta vsum. Intentio demum potest referri vel ad hominem vel ad legem. Et intentio quidē hominis præcipientis si sciri potest, sufficit: quoniam ex intentione præcipientis pendet præcepti vis, intentio autem legis in cōmuni certa est, quoniam est facere homines virtuosos. Et legis Ecclesiasticæ intentio est non iniicere laqueos animabus, sed ad ædificationem corporis Christi mystici promouere. Et hinc fit vt non tam lata multitudo præceptorum obligantium ad

mortale in iure interpretanda sit ne laqueus multiplicatus contra animas censeatur.

Hinc etiam sit vniuersalis regula, quod in iis quæ sunt positiui iuris, si absque contemptu ac refutatione finis ex ignorantia pura, aut ex apparente sibi excusatione transgressio fiat ab eo qui animum habet nullo pacto consentiendo contra præceptum obligans ad mortale, non incurritur mortale peccatum: quando non est intentio piæ ac iustæ matris Ecclesiæ bonas huiusmodi animas illaqueare tam hostili vinculo. Et propterea talis apud Deum non incurret excommunicationem: absoluendum tamen ad cautelam crediderim ignorantem.

Præceps in suis actibus tam interioribus quam exterioribus periculo ruinæ se exponit.

PRæcipitatio (qua homo ad similitudinem præcipitationis localis secundum actus interioris animi præceps ruit) peccatum est consilio contrarium. Maturitas enim consilii gradatim procedit ex memoria præteritorum, intelligentia præsentium, auscultatione aliorum, circunspectione obuiantium, &c. præceps autem omissis huiusmodi statim concludit, deliberat, facit: & propterea peccat contra prudentiam. Quando autem mortaliter, & quando venialiter, ex materia discernitur. Si enim præcipitatio huiusmodi pernicioſa est, vt pote contra præcepta, mortalis est, si autem præter, venialis est: vt in aliis peccatis prudentiæ oppositis contingit.

Prædicatores in quibus communiter peccare dicantur.

PRædicatorum peccata peculiaria sunt sex. Primum est sine authoritate prædicare. Oportet enim

nim vel ex pastorali officio vel superioris authoritate prædicare iuxta Apostoli sententiam,& iura in c. excommunicamus. extrà de hær . Et quia hoc sub pœna excommunicationis interdicitur, ad mortale peccatum spectat. Secundum est, indigno prædicare, hoc est in peccato mortali sibi noto incontrito, iuxta illud , Peccatori dixit Deus : quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Et hoc mortale videtur : quia iniuria fit prædicationi à Christo institutæ , euacuans quantum in se authoritatem prædicatorum Christi: quasi verbo & non facto prædicatores fuerint instituti velut declamatores quidam. Vnde & in prædicto Psalmo subditur: existimasti iniquè quòd ero tui similis. s. dicens bona & non faciens bona. Et hoc intellige in eo qui sic indignè prædicat, vt prædicatione tanquam declamatione abutatur (quoniam hic directè iniuriatur officio prædicationis Christi) & in contemnente. Qui autem prædicat indignus non vt prædicet indignus, sed vellet prædicare mundus, licet per accidens ex humana passione, incuria, & huiusmodi indignus prædicet: quamuis peccet (quia non se exhibet Dei talem ministrum qualis esse debet) mortale tamen peccatum non video, quia prædicare non est secundum se actus alicuius sacramenti . Et licet prædicans non furandum, prædicet contra seipsum, si furto maculatus est : nouam tamen inde damnationem non incurrit plusquam adulter iudex condemnans alterum adulterum , quem non dubito excusari à nouo peccato mortali. Tertiũ est, mendacia prædicare. Et hoc constat esse peccatũ mortale grauissimũ, quoniã euacuat quantũ in se est, vniuersam Ecclesiæ authoritatem, ac Christi fidẽ prædicatione propagatã , siue mendaciũ dicatur contra doct: nã fidei aut mortẽ , siue circa gesta sanctorũ aut miracu-

la aut prophetias, siue quodcunq; aliud quod ad docendum, instruendum, persuadendum, mouendumq; auditorē tanquā verbū Dei prædicatur: quia quicquid à prædicatore vt sic dicitur, oportet esse verū: & si est incertum, debet dici vt incertū: & sic non receditur à verò, dum ita dicitur vt scitur. Sed si dubium prædicatur vt certū, hoc est assertiuè, peccatum est mortale eadem ratione qua mendacium. Quòd si is qui prædicat, impertinentia inferat, non peccat mortaliter mentiendo, nisi fortè ratione scandali: sicut nec iudex de impertinentibus ad iudicium mentiens peccat mortaliter, quamuis sedens pro tribunali illa mendacia dicat. Quartum est prædicare inutilia: vt speculatiuas quæstiones, & leges ciuiles, Poëtas vulgares vel Latinos, Philosophos, gesta Romanorum, & similia. Hoc enim est abuti prædicationis officio, dicente Christo. Prædicate Euangelium: sunt enim huiusmodi prædicationes solo nomine. Et propterea si aduertenter in his exceditur, grauissimum peccatum incurritur: imò tanquam falsarii sunt apud Deum, adulterantes prædicationis officium, annunciantes in persona Christi & Ecclesiæ quæ nec Christus nec Ecclesia sibi commisit prædicanda. Quintum est, affectus mercenarius, siue pecuniæ, siue laudis humanæ, gloriæ &c. Et ad hoc si oculus dexter prædicatoris spectaret, peccatum esset manifestè: mortale quidem, si finis vltimus in huiusmodi poneretur, aut si affectus pecuniæ in effectum procederet simoniæ videndo prædicationem. Veniale autem si vanè propter gloriam aut spem quæstuariæ eleemosynæ, prædicaretur: receperunt enim mercedem suam.

Si autem oculo sinistro (hoc est, non principaliter sed accessoriè) hæc expetuntur, mensuret seipsum apud se prædicator quid plus sibi displicet minui auditores

ditores, aut animarum fructum de quo est magis solicitus, si fructuosè aut si gratiosè auditur, & sic cognoscet quanta rectitudine vel peruersitate affectus tenetur: ac per hoc quantum peccat: quia quantò magis siniſter oculus ipsum solicitat quàm dexter, tanto magis sibimet homo mentitur, tribuens siniſtro oculo illud in quo dextri solicitudo superatur.

Ad hoc autem caput spectant quæcunque gesticulationes, cantilenæ, & huiusmodi, quæ fiunt vt placeant hominibus. Sextum est, immiscere prædicationi facetas fabellas delectandi gratia. Quod beatus Ambrosius reprehendit: quia non debent in tã graui actione de rebus tam arduis qualia sunt diuina, verba immiscerì iocosa & ridicula. Communiter autem est hoc veniale: cauendum tamen ob reuerentiam diuini verbi.

PRælatorum peculiaria peccata vide in verbo, Episcopus.

Præscriptio quandoque licita quandoque illicita est.

PRæscriptio legitima. (hoc est cum bona fide possessio tanto tempore vt iura canonica approbat &c.) ius parit in foro conscientiæ: ita vt sine peccato post retineatur etiam si posteà sciatur fuisse alienũ: quia authoritate legum rationabilium (vtpote pro communi bono sancitarum) factus est dominus præscriptarum legitimè rerum.

Opus vltra suam facultatem aggrediens tanquam præsumptuosus, maximum incurrit vitium.

PRæsumptio (qua homo actu interiore vel exteriore aggreditur opus excedens suam facultatem quasi non excedat, sed sit sibi commensuratũ (pecca-

tum est, vtpote contra rectam rationem. Et quia facultas quandoq; consistit cõsistit in scientia (vt medicina, & in cura animarũ, & vniuersaliter in artibus) præsumptio est ignorantem medicinam velle medicare corpore, & nescium sacrarũ literarum velle medicare animas, sicut in cæteris artibus accidit, ignorantibus similis præsumptio. Quandoque verò consistit in potestate ordinis vel iurisdictionis: & sic præsumptio est diaconum velle dicere Missam: aut non iudicem velle iudicare, aut laicum iudicem velle iudicare clericos. Quandoque autem consistit in habitibus virtutum, seu dispositionibus earundem. Et si præsumptio est in peccato communicare, aut incipientem velle facere ea quæ sunt præfectorum, vt quotidie celebrare, arguere alios, conuersari securè cum mulieribus, velle vacare assiduæ contemplationi, non domitus adhuc passionibus, & similia. Est autem peccatum præsumptionis quandoque veniale, quum scilicet nulli est pernicioſa seu iniuriosa. Et quandoque mortale, quum scilicet iniuriosa est alteri: qualis est præsumptio medici in damnum corporis: & similiter præsumptio confessoris ignorantis, & iudicis, & similium.

Peccatum præsumptionis grauissimum est.

PRæsumptio rursus qua homo sperat aliquid posse consequi à Deo, quod impossibile est secundum diuinam legem ab illo consequi, peccatum est contrarium secundæ virtuti Theologicæ, quæ vocatur Spes & contrarium desperationi: vt quum quis speret consequi peccatorum veniam sine pœnitentia, aut æternam gloriam sine meritis. Et hoc est peccatum mortale: vtpote derogans diuinæ dispositioni, qua decretũ est non dari veniam perseuerantibus in peccato, nec gloriã sine merito. Et est vnum de peccatis

in

in ſpiritumſanctum: vtpote contemnens ſpiritumſancti auxilium ad pœnitendum & merendum.

Officium proprium corrumpens, præuaricator eſt iuſtitiæ.

PRæuaricatio (qua homo à debito officio ſeu certamine variat ad oppoſitum fouendum vt actor ad fouendũ reum, aut econtrario, & ſic in ſimilibus) peccatum eſt: quia contra rectam rationem. Et ſi in iudicio iuſto hoc fiat, aut aliàs in præiudium diuini vel communis boni, aut cuiuſque proximi, peccatum eſt mortale: quia iniuſtitia ipſa peccatum eſt mortale ex ſuo genere. Secluſa autem omni iniuria, penſanda eſt ratio declinandi: & ſecundum illam iudicanda eſt præuaricatio an ſit mortalis.

PRocuratorum crimina, vide ſuperius in verbo, aduocatus.

Res proprias ſuperfluè diſſipans & prodigaliter conſumens viam ambulat perditionis.

PRodigalitas (qua homo ſuperfluè erogat res ſuas) peccatum eſt, vtpote liberalitatis virtuti contraria. Non autem mortale peccatum, ſi pura eſt: quia minus peccatum eſt, quàm auaritia liberalitati contraria: quæ ſi pura eſt, conſtat non eſſe mortalem. Et vtriuſque ratio eſt: quia neutra agit contra charitatem Dei aut proximi, ſed præter illam.

Si verò mixta eſt iniuriæ diuinorum præceptorum, & breuiter cuicunq; alteri vitio (puta impietati filiorum aut filiarũ, aut intemperantiæ: vt filius prodigus diſſipauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus) iudicanda eſt iuxta qualitatem vitii cui admiſcetur: ita quòd prodigus agitur ad appetitu mortali, prodigalitas & ipſa mortalis eſt: vt patet de filio prodi-

go,& de parente ob prodigalitatem impio versus filios effundendo bona debita filiis. Si verò agitur ab appetitu de veniali (vt quum superfluè dat ob vanā gloriam) liberalis est.

PRomissionis violatio, vide suprà in verbo, Perfidia.

Mediator inter negotiatores potest iniquitatem multipliciter committere.

PRoxeneta (id est mediator inter negotiatores) hoc habet familiare peccatum vt fallat vtrunque inter quos mediat, neutri dicendo integram veritatem,& vtrique sæpe mentiendo. Et quia damnificare est suo genere mortale: ideo proxeneta non contentus sua mercede, fallens vtrunque ad alterum,& peccat mortaliter, & tenetur restituere, si quid sibi appropriauit ex huiusmodi fraude: vt si dixit vni, puta venditori quòd non inuenit pretium nisi centum: & sic accipit licentiam vendendi pro centum: & dicit emptori quòd non potest minus solui, quàm centum & viginti, & sic appropriat sibi illos viginti, tenetur restituere illos viginti venditori. Tenetur enim ex officio mediatoris fideliter agere vtriusque negotium.

Animi mollities vitiosa est & pusillanimitati attribuitur.

PVsillanimitas (qua homo ex paruitate animi retrahit se à magnis operibus & honoribus suam facultatem non excedentibus, tanquam si excederēt) peccatum est, vtpote contraria virtuti magnanimitatis. Et est maius peccatum præsumptione, vtpote magis contraria virtuti, quia dissimilior est magnanimitati, vt pater. Est autem peccatum mortale, quando retrahit à magnis quæ sunt de necessitate salutis,

salutis, vt simpliciter: vt si quis ex timore peccandi post baptismum nollet baptizari aut communicare, vel in casu: vt si quis ex timore deficiendi nollet præceptum sibi officium pastorale acceptare. Nec excusatur, sed accusatur ex huiusmodi timore & ignorantia propriæ virtutis, quàm non discutit, quoniam ex his causatur pusillanimitas. Vnde Dominus in Euangelio seruum pusillanimem, qui talentum non exposuerat lucro damnauit. Quando verò retrahit ab aliis vtilibus proximo, & præcipuè saluti animarum, licet veniale sit graue, tamen est tantò periculosius, quantò sub humilitatis specie detinens animum imbibitur & radicatur perseuerans.

Rei alienæ iniusta sententia rapina est, & peccatum iniustitiæ.

RAPINA (qua homo violentia iniusta accepit alienas res) peccatum est mortale: quia iniuriam infert proximo & quantum ad res, & quantum ad modum. Dicitur autem iniusta: quia si violentia iustè infertur, non est rapina: vt quum in bello iusto præda tollitur: & similiter quum authoritate publica, iustitia existente puniuntur in rebus ciues. Sed si iustitia desit, rapina committitur tam in bello quàm in ciuitate res ciuium auferendo, publica authoritate abutendo ad rapiendum.

Rapina differt à raptu eo quòd raptus respicit personam, rapina verò rem.

RAptus quo personæ rapiuntur iniustè, maius crimen est quàm rapina, quantò persona maior est rebus exterioribus. Et specialiter appropriatur ad raptum puellarũ: quæcunque tamen persoua rapiatur, habet in se crimen raptus, & admixtam iniquitatẽ pro qua rapitur: quæ iuxta genus suũ iudicãda est.

Religiosi communiter solent in tribus offendere & peccare.

REligiosorum peccata specialia sunt in triplici differentia. Nam quædã sunt cõmunia religiosis & clericis: quæ vide in verbo, clericus. Quædã sunt communia omnibus religiosis, vel ex tribus votis cõmunibus omni religioso (vt sunt vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ) vel ex sacris canonibus concernentibus specialiter religiosos: vt quæ sunt in Cle. religiosi. de priuile. videlicet. Quibus etiã (.s. religiosis) in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibemus, ne in sermonibus suis ecclesiarũ prælatis detrahant, aut etiam retrahant laicos ab ecclesiarum suarum frequentia vel accessu, seu indulgẽtias pronũtiet indiscreras: néve quum confectionibus testamentorũ intereunt à restitutionibus debitis aut legatis matricibus Ecclesiis faciendis retrahãt testatores: nec legata vel debita aut malè ablata incerta, sibi aut aliis singularibus sui ordinis fratribus, vel conuentibus in aliorum præiudiciũ fieri seu erogari procurẽt. Nec etiã in casibus sedi Apostolicæ aut locorũ ordinariis reseruatis quenquam absoluere, aut personas Ecclesiasticas præsertim corã iudicibus delegatis à nobis suã contra eos iustitiam prosequentes vexare indebitè, aut ad loca plura & præsertim multũ remota conuenire præsumant. Multa quoque recitata sunt superius in tractatu de excõmunicatione, quæ sunt sub excommunicationis latæ sentẽtiæ pœna religiosis specialiter inhibita. Quædã verò sunt propria istis religiosis ex propria sibi regula aut constitutionibus, & hæc quilibet de seipso sciat.

Repræsalia species est belli particularis: & in ea potest frequẽter iniquitas cõmitti.

Repræ-

REpræsaliarum iniquitas frequens fortè est, vel quia iniustæ decernuntur, vtpotè non propter constitutam culpam præsidentium negligentium facere iustitiam. Nam si non constet illos puta Florentinos culpabiles esse negligendo facere iustitiam populo Romano creditori Florentiæ, iniquæ essent repræsaliæ à Romanis contra Florentinos: sicut esset iniustum bellum contra Florentinos sine culpa communicatis propter culpam alicuius particularis ciuis. Repræsalia enim est species belli particularis. Contingit quoque iniquitatem in executione interuenire, vel in quantitate plus exigendo: vel in qualitate clericorum res accipiendo, clerici enim intelliguntur exempti à repræsaliis: vel in substantia, vt si facerent repræsalias non solum res sed personas accipiendo: quia in persona nec pater portat iniquitatem filii, nec filius patris.

Capita octo sunt in materia restitutionis considerandа.

REstitutio confessoribus sæpe occurrit discutienda, & necessaria est (quia non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum) nec facilè potest quilibet discernere casus eius multos, & ex multis capitibus contingentes, ideò diffusiore opus est doctrina. Sunt igitur octo capita in restitutione considerandа, scilicet quis, quid, quantum, vbi quando, quomodo, & quo ordine.

Restitutionis faciendæ duplex est ratio.

CAput primum est quis tenetur ad restitutionem. Et quantum ad hoc notandæ sunt duæ radices restitutionis omnis. s. acceptio, & res: ita quod omnis restitutio aut est debita ratione acceptionis præcedentis, aut ratione rei acceptæ. Et extenditur hic acceptionis & accepti nomen ad omnem actionem

qua

qua alienum accipitur, siue verè accipiendo siue damnificando : ita quod accipere dicitur non solum qui mutuò accipit, aut emit, aut furatur, aut rapit, sed qui comburit, qui detrahit, qui conuitiatur: & sic de aliis. Et quoniam acceptio duplex est (.s. vel iusta: vt per mutuum, aut emptionem, aut depositum, conductionem &c. vel iniusta: vt rapina, vsura detractio &c.) omissa prima, vtpote clara confessoribus, de secunda habendum est pro regula generali restitutionum, quod quicunque est causa iniustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem : ita quod ex prima radice oritur hæc regula: Ad cognoscendum quis tenetur restituere, responde & dic, quicunque fuit causa iniustæ acceptionis: ita quod si vna acceptio iniusta eodem vel diuerso modo à multis causata est, quilibet illorum tenetur restituere. Et ne vageris quærendo quot modis causare quis potest iniustam acceptionem, vt teneatur ad restitutionem, suscipe laborem patrum nostrorum in his versibus positum . Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus: Participans, mutus, non obstans, non manifestans. In his enim, nouem modi ponuntur quibus aliquis cooperatur iniustæ acceptioni, quam alius exequitur: ita quòd computato executore qui ipsam actionem iniustè exercet, inueniuntur decem genera personarum, quæ tenentur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis: quarum septem directè , tria verò vltima indirectè ad causandam iniustam acceptionem concurrunt. Inchoando igitur ab exequutore (qui non computatur in dictis versibus, sed præsupponitur quia de cooperatoribus tantum loquuntur versus) scito quòd executor iniustæ actionis, hoc est ille qui exercet per seipsum illam (vt est ille qui furatur, qui occidit, qui dat ad vsuram , qui detrahit &c.) siue hoc faciat motu proprio, siue ex præcepto domini, siue pro proprio

prio, siue pro alieno lucro tenetur ad restitutionem: quia est verè causa proxima efficiens iniustam actionem: vt clarè patet. Et hinc patet, quod sicut vulnerator aut occisor proximi ad domini sui mandatum & vtilitatem tantummodo, tenetur satisfacere vulnerato vel occisi hæredibus: ita minister vsurarii qu ad mandatum & vtilitatem domini sui tantum exercet vsurariam prauitatem tenetur ad restitutionem: & sic de aliis. Nec obstat quòd si ille minister non facerer, quod per alium omnino fieret: sicut non obstat vulneranti quòd si ipse non vulneraret, quòd omnino per alium vulneraretur, scriptum est enim: Necesse est vt veniant scandala, veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit.

Et hoc intellige secundum veritatem instituæ propter rationem dictam, nam secundum quandam humanam æquitatem ministri vsurarum ad aliorum tantùm vtilitatem excusari videntur à debito restitutionis: veritas tamen iustitiæ præferenda est huic humanitati: magis tamen tenetur ad restitutionem Dominus quàm minister.

Ingrediendo autem expositionem versuum ordine quo numerantur, occurrit primò iussio, hoc est præcipiens fieri actionem iniustam. Iubens enim habet rationem principalis causæ mouentis suo imperio ad patrandam actionem iniustam, & ideo tenetur ad restitutionem. Consilium: hoc est dans consilium efficax ad perpetrandam actionem iniustam, causa est directè mouens suo consilio ad illam: & ideò tenetur ad restitutionem. Notanter autem dixi efficax: quia si consilium non peruenit ad hoc quòd sit causa rapinæ, non tenetur qui dedit consilium iniquitatis ad restitutionem: quamuis peccauerit mortaliter. Consensus: hoc est ille qui suo cõsensu causat

aut

aut concausat actionem iniustam.

Vbi nota quòd de consensu oportet distinguere inter consensum qui est causa, & inter consensum qui solummodo est consensus, & non causa, verbi gratia: tractant aliqui de bello iniusto: requiruntur ii ad quos spectat: consentiunt. Horum consensus non solùm est consensus, sed causa belli iniusti, quia ex horum consensu pendebat negotium. Audiunt plerique alii huiusmodi negotium, placet eis, consentiunt: dicunt, fiat. Horum consensus est solummodo consensus, & non causa belli iniusti: quum ex ipsis voluntas volentium bellum iniustum facere, non pendeat, non mutetur, &c.

Attende ergo si consensus fuit causa seu concausa actionis iniustæ. Et si fuerit causa seu concausa: scito ex tali consensu teneri ad restitutionem ex hoc ipso quod fuit verè causa iniustæ acceptionis. Et hinc habere potes quòd si in communitate aliqua plura vota vincunt, & dum dantur vota aperta, aliquis ex vltimis videns vnita vota præcedentium iam vicisse, & videns quòd suũ votum in contrarium nihil prodesset, consenrit ob aliquem humanum respectum iniusto facinori, peccat quidem mortaliter) quia consentit iniquitati) non tenetur tamen ad restitutionem, quia consensus eius nec est causa nec concausa. Secus autem est de præcedentibus: quia licet præuideant subsequentes consensum daturos, non propterea consensus eorum à causarum numero excluditur: tum quia consensus omnes antecedentes sunt & tendunt verè ad integrandam causam: tum quia in instanti homo mutatur, & propterea possent subsequentes dissentire: quorum nullum locum habet in primo casu. Et hinc fit, vt indigno secundum Deum canonicè tamen electo alii consentiant, peccent quidem mortaliter, non tamen tenentur in conscientia

de

de damnis spiritualibus & temporalibus subsequentibus: quia consensus eorum non est causa quòd eligatur, sed consensus concurrens vt consensus tantum: nisi consensus eorum esset concausa vt confirmaretur: quod tunc non habet locum quando scitur quòd electio omnino erit confirmanda. Et sic de similibus. Palpo: hoc est laudator criminis sub specie boni: puta quia sic oportet domare stultos, &c. Sed hic etiam opus est discretione an adulatio sit causa acceptionis iniustæ, an non. si enim pura est adulatio, non tenetur ad restitutionem: quamuis peccet mortaliter: si verò est non solùm adulatio lætificatiua, sed causatiua iniustæ actionis, tenetur ad restitutionem adulator.

Recursus: hoc est receptator refugiumque iniustè agentis. Est enim huiusmodi complexus causa iniustæ actionis: & antequam fiat, tanquam præbens seu adiuuans securitatem iniustè agendi, ac tanquam conseruans hominem in perseuerando ad iniustas actiones: & postquam facta est, tanquàm saluans illam quasi proprius socius eius, & breuiter sicut patronus iniquitatis patrocinium illi præstans. Et propterea ad restitutionem tenetur. Participans: hoc est qui particeps est criminis siue vt socius, siue vt mediator, siue vt explorator, & vniuersaliter quomodolibet particeps est criminis illius iniustæ actionis. Particeps enim quicunque si sic est particeps criminis vt sit etiam causa seu concausa iniustæ actionis, tenetur ad restitutionem ratione ipsius actionis. De participe autem rei acceptæ dicetur infra in secunda radice restitutionũ: nunc enim de debito restituendi ratione actionis tractatur. Mutus, hoc est qui & potest & tenetur loqui consulendo, reprehendendo, præcipiendo, &c. & tamen tacet. Talis enim quia est causa non directè seu positiuè, sed indirectè & priuatiuè

priuatiuè iniustæ acceptionis sicut in curia seu somnus naucleri est causa submersionis nauis) ideò tenetur ad restitutionem. Notanter autem dixi, qui potest & tenetur: quia licet aliquis possit, si tamen non tenetur, computatur extra causas actionis sequentis, ad priuatiuam enim causam iniustæ actionis exigitur quòd debeat, seu teneatur impedire: alioquin non ei imputatur: vt patet ex hoc quòd Deus potest quidem obuiare cuilibet peccato hominis: quia tamen non tenetur, non ei imputatur peccatum aliquod nostrum. Qui ergo potest & debet præcipere aut cõsulere, & tacet, quia non impedit iniquam actionem quam tenetur & potest impedire, causa est illius, ac per hoc tenetur ad rationem. Et ne vageris quærẽdo quis est qui tenetur, scito illos solos esse quibus ex officio incumbit præcipere, consulere, &c. & idem intellige in duobus sequentibus.

Non obstans: hoc est non præbens auxilium impeditiuum actionis iniustæ, si tamen potest tenetur: quia sic esset indirectè priuatiua causa iniquæ actionis. Et propterea domini temporales qui non obstãt latrociniis crebrescentibus in terris suis, tenentur ad restitutionem damnum passis: quia possunt & tenentur ad hoc de officio: quia sunt custodes iustitiæ.

Non manifestans: hoc est non manifestans inuasorem vel tunc vel post factum, ita quòd non manifestatio sit causa vel iniustæ actionis vel iniustæ detentionis. Et hoc tunc tantũ est quandò aliquis potest & debet manifestare: alioquin non esset causa iniustæ actionis vel detentionis. Et propterea testis non manifestans quod potest: quia ex officio ei incumbit, tenetur ad restitutionem eius damni quod patitur alter ex ipsius non manifestatione. Et sic de similibus. Aduerte quòd in his tribus immediatè præcedẽtibus capitibus (scilicet mutus, nõ obstans, nõ manifestãs)

quamuis

quamuis verum sit regulariter quòd soli illi quibus ex officio incumbit loqui, obstare aut manifestare, comprehendantur: verum tamen quoque est comprehendi illos qui ex occurrenti articulo necessitatis vrgentis, manifestè tenentur & possunt absque suo damno & periculo: vt si quis sciat inuasurum aliquem domum alterius, & rapturum seu furaturum: & nisi ipse præsignificet, sequetur furtum, & potest absque periculo & damno prouidere, reus est furti: sicut reus esset homicidii, si eodem modo sciret homicidium futurum, & posset prouidere & non curaret. Et quia est causa iniustæ actionis quamuis indirectæ, ad restitutionem tenetur. Hæc ergo decem personarum genera teneri ad restitutione intellige cum duplici adiectione. Prima est, si effectus est subsequutus: hoc est iniusta actio inferens damnũ proximo. Nam si actio iniusta nõ est subsequuta, aut si esset subsequuta, non tamen damnificasset proximum, nullus tenetur ad restitutionem: quia restitutio non est necessaria, nisi vt alterius damnum recompensetur: ac per hoc vbi nullum fuit damnũ, nulla est opus restitutione. Secunda est, quòd quilibet supradictorum tenetur ad restitutionem insolidum, hoc est ad restituendum totum damnum quod causauit seu concausauit: quia fuit causa actionis quæ intulit totum illud damnum: quamuis enim non fuerit solus in causando, fuit tamen concausa totius actionis quæ damnum illud intulit. Et hæc quo ad primam restitutionum radicem (scilicet actionem iniustam) pro nunc sufficiant ad discernendum ex hac radice quis teneatur ad restituendum. Secunda verò radix restitutionum est res accepta, & iuxta hanc ponitur generalis regula, quòd quilibet habens rem alienam tenetur eam restituere. Et in promptu causa est: quia res illa non est ipsius, sed alterius: ac per hoc non detinenda sed danda illi

cuius est. Si enim nō redderetur illi, minus haberet de suo, & damnū pateretur: quod cōstat esse iniquum.

Aduerte circa hanc regulam, quòd res aliena dupliciter potest, scilicet vel bona vel mala fide: & rursus vel in seipsa, vel in aliqua re seu effectu loco illius rei. puta quia habetur illius pretium, vel habetur res propria conseruata quæ consumpta fuisset nisi affuisset vsus rei alienæ. Et si quidem mala fide res aliena habeatur: quomodolibet habeatur, tenetur restituere. Si autem bona fide habeatur in seipsa, tenetur eam restituere: quia aliena est. Et hinc fit, vt qui bona fide emit rem alienam quam putabat esse vendentis, teneatur restituere eam Domino rei absque pretio aliquo: quia restitutio illa oritur ex re aliena, & non ex culpa acceptionis. Si autem bona fide habetur non in seipsa, sed in suo vel pretio vel effectu, vel quocunque alio simili aut quasi simili modo, tenetur restituere id in quo factus est ex re illa locupletior & non plus: & si in nullo factus est locupletior, ad nullam tenetur restitutionem. Et hinc primò fit, vt si quis bona fide rem alienam sibi dono datā vendidit, teneatur restituere domino rei pretium: quia factus est ex re aliena locupletior in illo pretio. Fit secundò, vt si ipse emisset, & vendidisset absque lucro eandem rem, ad nullam restitutionem ipse teneretur, sed solus ille apud quem res est: quia aliena est, & alter non est ex ea factus locupletior.

Tertiò, vt si quis bona fide inuitatis ad cœnam de alieno vitulo comedit, si omnino consuetos sumptus in domo sua cœnæ propriæ currit, non tenetur ad restitutionem: quia non est factus ex vsu rei alienæ locupletior. Si verò propter cōuiuium pepercit sumptui quem fecisset pro cœna propria, tenetur ad restituendū non quātum valent comesta in conuiuio, sed quantum factus est ex rei alienæ vsu locupletior.

Et hæc

Et hæc ideò sint specialiter dicta: vt ex his similia scias diiudicare de vsu alienæ vestis aut cuiuscunque alterius rei alienæ quando bona fide actum est: aduertendo quòd nulla est quo ad restitutionem differentia inter rem alienam, & fructus rei alienæ: quia fructus ipse est res aliena si fructus est rei alienæ: secus autem si esset fructus industriæ ex re aliena.

Ex his regulis & exemplis reliqua omnia iudicari posse puto de restitutione ex parte rei consurgente: sicut ex antedictis potest iudicari de restitutione ex parte actionis iniustæ consurgente, & sciri quis teneatur ad restituendum. Quando verò aliquis teneatur ad restituendum ex parte vtriusque, scilicet actionis iniustæ & rei acceptæ (vt quum is qui iniustè accepit, habet rem apud se vel pretium eius) non oportet occupare librum: quia ex simplicibus consurgunt composita: & applicanda dicta de vtraque restitutionis radice, & regulas earum, facillimum est nosse hoc compositum: scilicet obligatum ad restituendum ex vtraque vel altera radice.

Restitutionis affectus est circa quidditatem considerandus.

Caput secundum, quid restituendum est. Vbi distingue de rebus vel damnis restituendo, & scito quòd si res aliena extat, illa restituēda regulariter est, si verò non extat, aut ex aliquo singulari casu occurrente non potest reddi, restituendum est æquivalēs. Damna verò vitæ, membrorum, sanitatis, libertatis, honoris, famæ, iurium, fructuum, seminum, damni emergentis, vel lucri cessantis, & similium, restituenda sunt vt possibile est in bonis aliquibus loco damnorum, ita vt boni viri arbitrio satisfactum reputetur quantum ad quid, pro quo, de quantitate enim nunc dicetur.

Quantitas est in materia restitutionis considerandа.

CAput ergo tertium, quantum est restituendum; constat oportere restitui æquale. Vt autem discernatur & perueniatur ad restituendum æquale, oportet distinguere de certa vel incerta quantitate rei seu damni. Si namque quantitas rei seu damni est certa, opus est vt tantundem restituatur quantum ablatum, seu in quanto damnificatus quis est. Si verò incerta est quantitas (vt contingit in damnis iniuriarum, percussionum, iurium pendentium, seminum lucri cessantis, & similium) restituendum est tantum quantum vir bonus arbitrabitur, consideratis singularibus negotiis, temporis, loci, personarum, &c. Debet autem vir bonus arbitrari tantum quantum ad æquiualens exigitur si fieri potest: quod si fieri nequit, conetur appropinquare ad æquale quantum fieri potest.

Restitutio cui sit facienda.

CAput quartum, cui restituendum est. Distingue de causa restitutionis, an sit acceptio iniusta, an solùm res accepta. Nam si ex sola re aliena consurgit restitutio, reddenda est regulariter domino rei: & appellatione domini intellige illum cui debetur: siue perseuerauerit dominium apud eum, siue translatum sit, siue sit verus dominus, siue dispensator, vt Prælatus Ecclesiasticus. Dixi autem regulariter: quia in aliquo casu (puta si Prælatus est dilapidator rerum Ecclesiæ, & experientia teste dilapidabit etiam hæc) non ei, sed illi Ecclesiæ quæ est vera domina, restitutio in foro conscientiæ fieri potest & debet, conuertendo restituendas res in vtilitatem illius Ecclesiæ, habito (si fieri commodè potest) vt seruetur etiam omnis iustitiæ modus, consensu superioris. Simile autem est iu-

dicium

dicium in casibus in quibus domino rei fieri restitutio non potest propter aliquod aliud accidens: puta quia est omnino ignotus, debet enim restitui tunc Christo qui est hæres vniuersorum. Si autem restitutio consurgit ex acceptione iniusta, discernendum est an acceptio illa iniusta fuerit ex datione prohibita (ita quòd non solum obligatus ad restituendum accepit iniustè, sed etiam ille qui donauit, donatione iniqua dedit) ita quòd ipsa datio fuerit mala: vt quum datur pecunia pro corrumpendo iudice, vel ingressu monasterii, vel quocunque spiritali: & breuiter quando ipsum dare est prohibitum: quia in huiusmodi casibus restitutio facienda est, sed non illi qui malè dedit, sed Ecclesiæ in cuius iniuriam datum est: & eadem ratione homini in cuius iniuriam corruptus est iudex, aut Christo hæredi vniuersorum. Si verò sola interuenit acceptio iniusta, restitui debet damnificato ex illa acceptione iniusta. Ita quòd duæ conditiones oportet quòd simul concurrant. Prima, quòd ille damnum habeat: alioquin nulla esset restituendi eidem ratio. Secunda, quòd damnum passus fuerit ex illa acceptione iniusta: alioquin etiam si damnum haberet, sed non illatum ex illa iniusta acceptione, non esset illi ab hoc restitutio facienda: vt patet quũ quis furatus esset à mercatore aliquod pignus: tunc enim licet damnum sit duorũ: scilicet domini pignoris, & mercatoris qui tenebat pignus: fur tamen tenetur restituere non domino, sed mercatori: quia actio furti mercatorem damnificauit, qui tenetur domino de pignore reddendo. Ita quòd in huiusmodi restitutione, persona cui debet restitui, non ex domino rei, sed ex damnificatione sibi illata discernitur & definitur. Et ratio est, quia ipsius interest saltem custodire, seu reddere rem illam domino, si non est sua. Et hoc in tantum iura exigunt, vt etiam prædo in pos-

sessione tuendus sit: quia præda etsi non est prædonis simpliciter, est tamen ipsius ad custodiendum vt reddatur domino: tenetur enim ipse reddere. Verum tamen quando sine scandalo potest publicè vel secretè res reddi domino sine alterius iniuria, damno vel periculo reali, hoc est quo ad rem, potest in foro cõscientiæ restitui domino, tanquàm exequendo ius naturale dormiente iure scripto: vt si restituenda sit ablata res aliena deposita apud suspectum depositarium: aut ablata à fure aut latrone, aut vsurario qui non creduntur vnquam restituturi: potest restitui vero domino, cum illo salis grano quòd prouideatur ne iterato contingat fieri restitutionem si quandoq; venerint illi occupatores ad pœnitentiam.

Quacunque autem ex causa contingat restituere alicui mortuo, ignoto vel absenti seruandum hoc est quod mortuo succedit hæres: ignoto verò post exactam diligentiam ad cognoscendum succedit Christus: de quo scriptum est quod hæres est vniuersorum. Absenti autem si fideliter & facilè mitti potest, mitti debet, vel saltem significari vt disponat de tali re sibi debita in tali loco, nisi fortè res tam parua sit & absentia tam à remotis, vt arbitrio boni viri censeatur ratum habendum à domino si sciret, quod detur Christo pro salute domini. Verùm quando res mittenda esset, non sine sumptibus debet mitti sumptibus eius qui iniustè accepit: quoniam ipse semper fuit in mora & in causa iniqua quod dominus rei non potuit vti re sua antequàm peruenireturad hunc articulum necessitatis vt oporteat illi mitti.

Restitutio vbi fieri debeat.

CAput quintũ, vbi restitutio est facienda. Discernę, si restitutio consurgit ex sola re aliena, restitutio

tutio est exercenda vbi res illa aliena habetur: vt possessor bonæ fidei ex restitutionis opere iusto non reportet damnum, quum non fuerit in culpa. Si verò restitutio consurgit ex actione iniusta, restituendum est vbi acceptio iniusta patrata est, si locus congruit restitutioni: vt sic restituatur in pristinum statum in quo inuenta est tam res acceptа quàm possessio domini. Si verò locus ille restitutioni non congruit, restituendum est vbi est dominus, seu illic quò tunc dominus translaturus rem suam erat: & breuiter debet dominus seruari indemnis, & grauari occupator qui semper fuit in mora.

Restitutio non debet differri, sed citius quo fieri possit incipienda.

CAput sextum, quando restitutio fieri debet. Certum est oportere fieri statim: quia restituere licet pertineat ad præceptum affirmatiuum obligans pro loco & tempore, habet tamen annexum præceptum negatiuum scilicet non detinebis alienum inuito domino, negatiuum autem præceptum obligat semper & ad semper: & propterea statim oportet restituere. Quod intellige cum grano salis, hoc est quòd quantum ad præparationem animi statim habendus est animus non detinendi alienum inuito domino, sed paratus restituere cuique quod suum est: quantum verò ad exequutionem restitutionis tempore congruo reddere: non enim oportet surgere media nocte ad restituendum, sed cum prudentia actum restituendi exercere, seruando congruas circunstantias loci, temporis &c.

Aduerte hoc in loco, vt quum de restitutione iudicas, habeas semper præ oculis præceptum negatiuum scilicet nõ detinebis alienũ inuito domino: quoniam hinc videbis quod sola aut volũtas domini, aut ignorantia,

rantia,aut impotentia excusat à statim restituendo. Voluntas quidem domini sicut excusaret totaliter à restitutione,si donaret debitori liberes : ita excusat à nunc restituendo si consentit dilationi. tunc enim constat alienum detineri non inuito,sed consentiente domino ad tantum tempus. Ignorantia quoque siue facti siue iuris : quæ tamen rationabiliter excusat talem hominem : quandiu manet sicut excusat à restituendo ,ita excusat à tempore restituendi. Impotentia autem si verè est impotentia nunc restituendi, excusat à statim restituendo : quia reddit detentionem alieni inuito domino,inuoluntariam. tunc enim voluntas restituendi parata sufficit coram Deo, & sufficere debet hominibus, velint nolint. Est autem verè impotens ad restituendum statim, non solùm constitutus in extrema necessitate,sed etiam constitutus in necessitatis articulo tali quod magnum damnum bonorum propriorum incurreret ex præsenti restitutione alienorum,quod magnum damnum vitaretur ex dilatione non damnosa illi cui restituendum est. nam impotens non solùm dicitur qui non potest omnino,sed qui vix potest. In huiusmodi autem humanis vix posse, est cum magno suo damno posse. Et hoc quando restituere quis tenetur ex sola alienare,& non ex iniusta acceptione propria. impiũ quippe videtur vt is qui sine culpa est,damnificetur in suis ex restitutione alieni. Quando verò aliquis ex propria iniquitate tenetur ad restituendum: quia seipsum posuit in tali casu sibi damnoso, sibi imputet, multum tamen æquitati iniri videtur dilatio restitutionis etiam in hoc ad tantum damnum euitandum. Notanter verò dixi damnum magnum propriorum: quia si damnum magnum esset non in propriis, sed quia magna sunt quæ restituenda sunt, non excusaretur ad statim : quia damnũ hoc non est in propriis,

sed

sed in carere alienis. Et similiter si damnum magnum est lucri cessantis: puta quia si restituit, non potest amplius lucrari: hoc enim est damnum in propriis, sed non posse vti alieno. Notanter quoque dixi ex dilatione, non damnosa illi cui restituendum est: quia si dilatio esset damnosa illi cui debet fieri restitutio, oporteret aut statim restituere, aut illum seruare indemnem. Et rursus verè impotens pro tunc, qui non potest tunc sine famæ suæ detrimento tunc restituere: quia non vult occultum peccatum detegere, sed expectat personam idoneam, qua mediante secretè fiat restitutio: quoniam non tenetur incurrere damnum in rebus superioris ordinis (qualis est fama) ob vinculum ad statim restituendum.

Et ne præceptum hoc de statim restituendo, confitentes & confessores reos simul inuoluat, non sunt absoluendi pœnitentes antequam cum effectu restituant, si in alia confessione absolui neglexerunt restituere. dicentibus enim, hac vice pater restituam verè &c. responderi debet, credo tibi: & propterea modò in illa bona dispositione vade ad restituēdum, & postea absolueris. Debet enim confessor credere pœnitenti pro se, & contra se: sed tamen cum hoc debet etiam cauere ne mora pariat delictum, sicut aliàs peperit.

Modus est in restitutionibus obseruandus.

CAput septimum, quomodo est restituendum. Modus restituēdi habet difficultatem vnam vniuersalem, multas autem in quib usdam particularibus scilicet incertis, occultis priuilegiatis, fama & bonis animæ. Communis enim quæstio est, an sufficiat restituere rogando sibi remitti à creditore, subsequente remissione. Dubitant enim de hoc quidam pro eo quod non videtur omnino libera remissio illius, qui si

rem haberet, non donaret. Oportet autem in casibus istis non respicere ad præsumptiones, sed ad veritatem animi illius qui remittit. Si enim in veritate & ex corde intendit remittere (quod si ipse affirmat, credendum est: quum solus ipse possit esse certus testis sui cordis) procul dubio tutus est in foro conscientiæ ille cui remissio facta est, siue interuenerit ipsius rei oblatio, siue solum verbalis oblatio (hoc est paratus sum reddere) siue solæ preces: hoc est, rogo vt remittas: siue interueniant intercessores: & breuiter quomodocunque ad liberam ex corde remissionem veniatur: quia inde pendet totum negotium. Et hoc intellige si ille potest ad libitum donare: vtpote verus dominus debiti sibi restituendi.

Et scito quòd quando pauper obligatur ad restituendum diuiti, expedit non offerre diuiti rem restituendam, sed rogare & interponere intercessores ad remittendum, ne affectus ex præsentia rei durior sit ad remittendum, facilius enim remittimus non habita quàm possessa. Sed hoc non obstat libertati remissionis, sed prodest ad tollendam tentationem inhumanitatis. Ad particularia verò descendendo, de restitutione incertorum difficultas mouetur an per se vel alium, &c. Veritas tamen est quod tutius homo per seipsum restituit Christo. Potest tamen per fide dignam personam restituere cõfitendo quòd melius dabit indigentibus, &c.

Occulta quoque, occultando personæ crimen per se vel alium fide dignum reddenda sunt. Priuilegiata autem, hoc est ea de quibus lex statuit quomodo restituẽda sunt (vt quũ publici vsurarii restitutio agenda est) iuxta c. quanquàm. de vsur. in vi. secunda est lex Famam falso ablatam tenetur restituere dicendo se falsum dixisse. Si autem non falso ablata est, debet restitui dicendo se iniustè infamasse. Esto tamen hic prudens;

prudens: quia si coram populo aut vulgaribus restitutio hæc secunda facienda est, debet sic fieri. Sed si coram sapientibus tantùm: ista restitutio esset confirmatio infamiæ: quia intelligentes penetrant quod licet malè & iniustè, veruntamē dixit detrahendo. De bonis autem animæ, si pertinent ad partem intellectiuam: vt si quis damnificauit aliquem docēdo falsa, tenetur restituere docēdo vera, vel saltem significando illi quod falsa sunt quæ docuit. Si autem pertinēt ad partem effectiuam (vt sunt illa quæ ad mores spectant, quæ non possunt ab inuito tolli, nec ab altero possunt restitui) tenetur dare operam ad reducendum eundem ad bonos mores si potest, vel saltem orationibus, ieiuniis, eleëmosynis iuuare illum vt resipiscat. Et hæc propriè habent locum quando damnificatio in huiusmodi bonis animæ fuit per se: quoniam si fuit per accidens (puta quia doctor putauit se vera dicere: & lasciuus socium prouocauit ad similes libidines, non vt illi noceret, sed delectationis, libidinis, & huiusmodi causa) satisfaciendum est magis Deo quàm hominibus: vt experientia testatur pœnitentium. Satisfacere enim intelligitur vtrique ex eo quòd verè pœnitens est: & plus ædificat pœnitentia quàm læserat petulantia, vt in Maria Magdalena & aliis similibus videmus.

Ordo debet in restitutionibus obseruari.

CAput octauum, quo ordine restituendum est, nullus est ordo in restitutione necessarius, si potest omnibus restitui. Sed vbi facultates ad restituendum non suppetunt vt omnibus satisfiat: seruandus est ordo iste, vt certa prius restituātur quam incerta: quia illa possunt absq; humano damno omitti, certa autem non. Constat enim omnia restituenda, ad humana damna restaurāda ordinari. Et hinc habere

potes quam grauis sit eorum error, qui quum omnia restituere nequeant, componere quærunt pro incertis cum prælatis Ecclesiæ, quasi proprium decætero possessuri quantum æquiualet incertis restituendis, & sic certos creditores eludere. His quippe dicendum est. Nolite errare. Deus non irridetur. Nisi incerta extarent in sua adhuc specie: puta qui inuentus aut furto sublatus calix adhuc extat, & non potest inueniri dominus. Nam in tali casu, redendo prius Christo rem Ecclesiæ seu pauperum, nulli fit iniuria creditori certo: quia debitor non tenetur creditoribus satisfacere de re aliena. Constat autem rem illam in tali casu nunquam fuisse suã, sed adhuc perseuerare alienam: & propterea idem est de illius restitutione iudicium: vt nunc de similibus certis subiungetur. Inter certa igitur prius restituenda sunt quæ adhuc in sua specie extant & aliena sunt: qualia sunt depositæ res, & similiter res furto aut rapina occupatæ: quia res huiusmodi non computantur inter bona restituentis: vtpote quarum dominum nunquam fuit in eum translatum: & ideo res ipsæ ante omnia restituendæ sunt dominis. Similiter etiam si res emptæ & possessæ, sed non solutæ adhuc in sua specie extant, reddendę sunt illi à quo emptæ sunt: quoniam licet translatum fuerit dominium in eum qui emit, subiecta tamen obligationi ipsamet res manet quousque soluta est: & propterea tanquam non fuerit inter bona restituentis computanda est.

Postquam autem res extantes alienæ simpliciter vel propter pendentem solutionem ipsarum restituę sunt, seruanda videntur statuta municipalia si extant & iniqua non sunt, circa restituendi ordinem in huiusmodi: vt in multis locis dicuntur esse circa numularios qui decoxerunt. Si verò nullũ extat statutum, ius ciuile seruandum videtur. & vbi diuersitas opinionum

num occurrit, tutior pars eligatur, si vera nescitur. Esto ergo cautus in huius iudicio interrogando, si ibi extant statuta aliqua de hoc: & si nescis, consule peritos an iustificata sint. Si nanque contra supradicta pugnarent, tuta non viderentur: nisi fortè circa vltimum dictorum aliter disponerent: quia pro communi bono creditorum certorum quos oportet aliquid perdere de suo, tolerabile videtur, vt res emptę ac possessæ extantes, licet non solutæ inter bona debitoris computarentur sicut alia: quia hoc etiam pro communi bono ciuitatis videtur & non contra ius naturale, sed ciuile. Sed quòd res extantes alienæ in veritate & indubiè, computarentur promiscuè. sicut alia debitoris bona contra naturale ius est, quo aliena bona tuenda non occupanda, non minuenda sunt vt alteri bene fiat. Circa quæstionẽ verò illam an quum bona vsurarii non sufficiunt ad satisfaciendum debitis licitè contractis (puta emptionis cõductionis, mutui honesti & similium) & vsuris, prius satisfaciẽdum sit debitis licitò contractis & de residuo vsuris quantum potest, aut econtrario. Naturalis ratio dictat quòd restituenda sunt integrè debita licitè cõtracta: si duæ adsint conditiones. Prima est, quòd res vsurariæ non extent in propria specie, vt si extent pignora per vsuram acquisita. Nam quia huiusmodi res sunt alienæ (hoc est domini pignoris) debent hæc prius restitui dominis reddentibus quod mutuò acceperãt super illis pignoribus, & postea restitui debita licitorum contractuum, hoc enim patet sic oportere fieri ex superius habita regula quod res extantes alienæ debent ante omnia restitui dominis earum. Secunda conditio est, si ex huiusmodi contractibus licitis, non est factus pauperior ad reddenda priora vsurarum debita: vt contingeret in dote promissa, & in conditionibus infructuosis, & similibus: quia huiusmodi

cen-

contractus superuenientes vsurariis debitis non debent tollere aut impedire ius illorum quibus debent vsuræ restitui: constat autem quòd ius illorum tolleretur ex huiusmodi superuenientibus contractibus, eoipso quod ex illis contrahens redditur impotens aut magis impotens ad restituendum vsuras: quia in restituendo hæc, id quod debebant pro vsuris, oportet dari pro istis contractibus. Non sic autem est in contractibus mutui emptionis, & huiusmodi: ex quibus nihil fit quo minus vsurę possint restitui vt prius: nam ex mutuo accreuit in bonis tantum quantum accepit mutuò: & si emit, res empta accreuit. & sic restituendo mutuum, & soluendo rem emptam non fit pauperior ad restituendum. Ratio autem quare regulariter prius restituēda sunt debita ex licitis contractibus quàm vsuræ, est, quia non sunt accipienda aliena inuito domino, vt restituantur aliàs malè accepta aliena, si autem debita ex licitis cōtractibus non redderentur, eoipso quòd inciperent detineri inuito domino, acciperentur aliena inuito domino, quæ vsque in illam horam accepta & possessa erant volente & expectante domino.

Et si insistetur quod si ista ratio efficax est, cōcluderet etiam quod quando esset factus ad restituēdum pauperior ex licito cōtractu: adhuc prius restituenda sunt debita ex licito cōtractu quam vsuræ: quia tunc si debita ex licito contractu non redduntur, incipit detineri alienū inuito domino. Soluitur hæc instantia, intelligendò quòd in tali casu quo ex contractu debiti liciti factus est ad restituendum priores vsuras pauperior, non incipit detineri alienum inuito domino: sed incipit detrahi ex debito talis contractus tantum quantum damnificauit talis contractus præexistentia debita ex reddendis vsuris.

Non enim diximus quòd prius restitui debent omnes

omnes vsurę quàm aliquid debitum ex tali contractu licito. sed quòd debitum ex contractu licito superueniente debito vsurarum, pro quanto facit pauperiorem ad restituendum vsuras, pro tanto non debet proponi debito vsurarum: pro quanto autem non damnificauit, debet proponi debito vsurarum: alioquin acciperetur alienũ inuito domino, eo ipso quòd inciperet detineri inuito domino.

Restitutionis casus quasi infiniti sunt.

QVia verò restitutionis casus infiniti sunt, & innumeræ accidunt quæstiones, an oporteat restituere, an non reducẽdum ad mentem duxi, vt confessor qui iudicare debet, habeat ante oculos mentis duas restitutionis radices, ex quibus consurgit omnis necessitas restitutionis, vt ad illas semper examinet an sit restituendum. Sunt duæ hæ radices acceptio & res. Omnis nanque restitutio consurgit aut ex acceptione (puta quia accepit mutuo, deposito, conducto, pignore, furto, rapina, fraude, combustione, excidio, & similibus) aut ex re: puta quia res aliena est apud eum in seipsa, vel in suo effectu, fructu, seu æquiualente. Aut ex vtraque scilicet acceptione, & re simul: vt quia accepit & habet rem alienam. Et scito quòd seclusis licitis contractibus, acceptio obligans ad restitutionem est duplex. Quædam iniusta propriè (hoc est secundum propriam rationem iniustitiæ) quia scilicet damnificans proximum: vt acceptio furtiua, raptiua, vsuraria, fraudulẽta, violenta tam absolutè quàm mixtum inuoluntarium inducens, vt meretricum blandæ valde extorsiones supra debitam mercedem, & cupida attractio quasi compellens ad ludendum, & siquidem omnis similis actio ex suo genere damnificatiua proximi, causans inuoluntariam dationem rei suæ: quia non minus ne-

necessitatur ex huiusmodi humanus animus ad dandum sua, quàm ad subeundas vsuras (passiones enim nostræ ab extrinseco suasore illatæ quasi vim facisit) detractatiua, contumelioſa, vexatiua iurium, rerum proximorum, &c. & similes quæ proximum lædunt. Quædam verò est iniusta, hoc est mala, quia acceptio ipsa prohibita est: vt acceptio simoniaca, vel ad faciendam iustitiam vel iniustitiam: vt si iudex vendat sententiam, aut testis veritatem. Vide ergo quando occurrit casus aliquis, si aliqua restitutionis radix inuenitur, an non. Verbi gratia: si quæritur an meretrix seu adultera teneatur restituere, cõsiderabis quòd licet personis istis causa accipiendi (scilicet concubitus malus) cadat sub prohibitione, & sit peccatum, ipsa tamen acceptio nõ est peccatum, non enim peccat meretrix accipiendo mercedem, ac propterea non tenetur ad restituendum ratione acceptionis: nec ratione rei quia voluntariè ei data est: si fraudulenter accepisset, teneretur ratione acceptionis. Similiter videre pores in lucratis ex ludo. nam dato quod ludere sit peccatum, accipere tamen quod ex ludo euenit absque fraude, non est peccatum: nisi hoc alicubi esset prohibitum. & esset in obseruantia: quia tunc acceptio ipsa esset peccatum.

Perspice quoque exempla de actionibus iniustis. Si quæritur an impediens proximum à consequutione alicuius boni teneatur restituere, vide si impediuit ius illius, aut gratuitum beneficium. Nam si impediuit ius proximi, tenetur restituere: quia actio impeditiua terminatur, ad iniustum: & propterea tenetur restituere ad æqualitatem iusti reducendo. Et hinc consurgit quod impediens clericum dignum à consequendo Ecclesiasticum beneficium, tenetur ad restituendum: quia impediuit iustum distributiuum, quo illi digno erat debitum, &c.

Si verò

Si verò impediuit gratuitum beneficium (puta donationem, legatum, testamentum procurando quòd donator reuocaret legatum, testamentum aut donandi voluntatem) non tenetur restituere quamuis mortaliter peccauerit si ex odio fecit: quia actio impeditiua non terminatur ad iniustum: quia nullum ius adhuc habebat proximus voluntate existente ambulatoria. Et vt sis capax rationis, considera quòd si testator ipse ex odio reuocet testamentum, quamuis peccet mortaliter, nullius tamen ius violat, ad nullam restitutionem tenetur. Si igitur ipse testator ex odio reuocans non tenetur restituere, quia nullius ius tollit, multò minus inducens testatorem ex odio tenetur restituere: quum sit causa remotior. Radix ergo non restituendi est, quia actio nō terminatur ad iniustum. Ex istis ergo regulis prudens confessor consideret & iudicet, vt non oporteat scribendo singulos casus, implere libros.

Casus sunt speciales multi à confessoribus in materia restitutionis non negligendi.

QVamuis autem non sint omnes scribendi casus sigillatim, quidam tamen qui quasi dubii videntur, tacendi non sunt. Primus est, circa restitutionem famæ indirectè læsæ. Verbi gratia: Petrus accusatur vel denunciatur de furto à Ioanne: & licet verè Petrus fecerit furtum illud, negat tamen affirmando in iudicio se non feciſſe furtum illud: ac per hoc indirectè Petrus facit Ioannē mendacem mendacio pernicioso, vt patet. Dubitatur an Petrus teneatur ad restitutionem famæ Ioannis.

Si respondendo distinguitur de obligatione accusati Petri, vel est obligatus secundum iuris ordinem fatēri veritatem, vel non: & rursus vel Ioannes potest

probare, vel non: & dicatur quòd in casu quo non potest Ioannes probare, aut in quo Petrus non tenetur confiteri: sibi ipsi imputet Ioannes suam infamiam: quia nō debuit temerè accusare. Si sic inquam dicatur, aduerte quòd erratur: tum quia non licet maleficium maleficio compēsare: tum quia non agitur nunc de culpa, sed de fama. Vnde supposito quod Ioannes temerè de vero tamen crimine accusasset, si propterea à Petro accusato fuisset percussus, constat quòd deberet ei à Petro satisfieri de iniuria & damno, & si pro quia sic est, consequens est quòd si est ab eodem percussus in fama, debet ei restitui fama: quāto damnum famæ maius est damno rerum. Vnde non est attendendum in huiusmodi restitutione si Ioannes potest probare vel non: aut si Petrus tenetur confiteri vel non: quoniā hæc omnia per accidens concurrunt ad percussionem Ioannis in sua fama.

Dicendum est autem ad casum, quod quia non directè Petrus accusatus tollit famam (quia nō animo detrahendi Ioanni Petrus negat, sed accusandi sui gratia) ideò secundum regulas detractionis materialiter tantum respondendum est, quòd si ex huiusmodi negatione subsequuta est læsio famæ ipsius Ioannis (puta quia inde reputatus mendax perniciosè) tenetur Petrus restituere illi famam. Si verò ex hoc Ioannes non minus bonus habetur: sed creditur quod ille omni quo potest modo se excusat siue verè, siue falsò, non tenetur ad restitutionem: quia non est illi ablata fama, neque secundum rem, neque secundum affectum: quia vt dictum est: nō animo detrahendi negauit. Secundus casus est circa restitutionem etiam famæ: an falsò confitens se homicidium aut aliud crimen patrasse, ob dolorem seu timorem tormentorum, teneatur ad restitutionem suæ famæ. Sed dicitur quod si potius vult mori in illa sua infamia quàm

experiri

experiri iterum tormenta, quæ oporteret experiri iterum si postquam ratificauit, retractaret restituendo sibi famam, non tenetur ad restitutionem famæ. Aduerte quòd erratur: quoniam detinere alienam famam non restituendo illam, multò grauius est quàm detinere æs alienum, non minus autem tenetur homo ad restituendum sibiipsi Iesu Christi membro famam quàm alteri, est igitur in peccato detentionis famæ quandiu illam non restituit. Vnde sicut tormenta non excusant à negatione veritatis necessariæ ad salutem, ita nec ab huiusmodi omissione restitutionis famæ membri Christi, quum sit necessariũ ad salutem non detinere famam non minus suam quàm proximi à se læsam. Quia igitur iste infamando seipsum ob tormẽta peccauit mortaliter, vt patet (quoniam commisit deliberatè actum ex suo genere peccati mortalis, detractionem scilicet falsam) consequẽs est, vt detinendo quoque famam quam detrahendo abstulit, peccet mortaliter: ac per hoc sicut tormentorum metus aut dolor non excusauit detractionem, ita nec excuset detentionem famæ. Tenetur igitur restituere sibi Christi membro famam.

Tertius casus est de restitutione rerum: an vxor, filia, serua hominis nihil aliud habentes quam bona aliena seu ad restitutionem obligata, peccat victum sumendo, & teneatur restituere? Ad hoc dicitur immiscendo ea quæ sunt per accidens, quòd & personæ istæ consumentes hæc bona, inducunt personas vtiliter gerentes negotium creditorum (puta quia dant operam vt maritus, pater, dominus &c. restituat) sed si tantùm operarum suarum impendunt ad bonificandum bona illa, & huiusmodi: aut si sunt in extrema necessitate, in qua sunt omnia cõmunia, non tenetur restituere. Manendo autẽ in casu secluſis his accidentibus, dicendum est quod non est dubiũ personas istas

quæ aliena consumunt in suo victu, teneri ad restitutionem: quia alienas res consumunt.

Sed an peccent sic vtēdo quasi coactè (quia oportet vxorem, filias, & huiusmodi personas sub aliena potestate constitutas vesci iis quæ in mensa sunt, vestiri vestes quas maritus, pater &c. dat) non facile patet. Crediderim ego has & similes personas posse absque peccato vti rebus huiusmodi alienis, non tāquàm inuito Domino: sed sub rationabili ratihabitionis spe quod ego innocēs vescar, induar, restituturus de meo si habeo: aut si habuero tantundem: ita tamen quod si non habeo in præsenti vnde restituere possim solis necessariis cum timore domini vtar: quia rationabile est vt quisque velit alteri quod sibi vellet fieri. constat autem quòd quilibet innocens sub patria potestate, vellet sibi hoc concedi: igitur rationabile est quod quisque hoc velit alteri in tali articulo constituto. Quum primùm aūt persona sui iuris est, tenetur potius mendicare quàm de alieno viuere. Si autem habeo in præsenti vnde & possūm & volo restituere æquiualens, possum etiam non subditus vti re aliena absq; mea culpa accepta: quia hoc non est vti re aliena inuito Domino, sed hoc est emere eam alienam ad vtilitatem potius Domini, qui ex hoc pro quanto ego vtar, nihil perdet. Verùm oportet in huiusmodi casibus prouidere vt non eueniat alicui scādalum ex hac mea libertate & voluntate bona latente. Quartus casus est de restitutione rerum ex fictione: an fingens se bonum aut pauperem, aut oraturum, teneatur restituere eleëmosynaliter sibi collata. Et breuiter distinguendum occurrit si fictio talis concurrit per se (hoc est ex intentione) ita quod propterea ille fingat vt habeat eleëmosynam: aut si concurrit per accidēs, hoc est si non propter habendam eleëmosynam fictio ista fit, sed propter alium finem.

Nam

Nam si primo modo concurrit fictio, consequens est vt lucrum hoc fraudulentum sit: & iste simulator reus sit fraudulentæ actionis acquisitiuæ: & propterea tenetur ad restitutionem, sicut quilibet alius ex fraude & dolo acquirens. Non est tamen restituendum illi qui eleëmosynaliter dedit, sed Christi pauperibus, seu operibus talibus qualibus ille qui dedit, putauit se dare: quia & quo dator eleëmosynæ principaliter dedit Christi bonis seruis seu pauperibus, seu pro Missis & orationibus expositis, iam ius quæsitum aut quasi quæsitum est Christo, qui mercedem reddidit (iuxta illud: Qui dederit calicem aquæ frigidæ alicui in nomine discipuli, non perdet mercedē suam) iam non est suũ quod dedit Christo in nomine discipuli, siue ille sit verè discipulus siue non.

Si verò fingit quis se bonum aut sanctum non ratione lucri, non tenetur restituere, sed satisfacere deuotioni eleëmosynam dantis: quia licet dans decipiatur in opinione bonitatis ab isto hypocrita, non tamen decipitur ab eodem quantum ad actionem dandi eleëmosynam, sed ad hanc ex propria deuotione ducitur.

Contentio contra proximum qua quis nequiter proximum inuadit, peccatum est mortale.

RIxa (hoc est contentio ad facta proueniens ex inordinato animo: vt quum propria auctoritate vnus alterum inuadit) peccatum est mortale ex proprio genere: quia nociua est proximo. Et si ex vtraque parte rixa tenet (hoc est quod mutuò contra se pugnant irati) vtrinque est peccatum mortale. Si autem altera pars soli defensioni operam dat, non est ex parte eius rixa.

Aduerte tamen si seruata est moderatio inculpa-

cæ tutelæ, & quantum ad factum & quantum ad animum deliberatum, passiones nanque nisi ad deliberatum consensum vindictę inducant, veniales sunt: & similiter modicus excessus moderatæ tutelæ venialis est.

Sacrilegij crimen tripliciter consideratur.

SAcrilegium peccatum est mortale ex suo genere: quia violationem, hoc est irreuerentiam seu iniuriam rei sacræ ponit. Est autem triplex sacrilegii species. Vna, qua fit iniuria personæ sacræ vt sic. vt si clericus percutiatur, aut à seculari iudice puniatur: si contra votum personale (puta castitatis vel abstinentiæ) peccetur: & sic de similibus. Alia, qua fit iniuria loco sacro: vt si de loco sacro extrahatur ibi saluus, aut inde furto vel rapina res accipiatur, aut sanguine vel semine humano voluntario locus sacer violetur.

Tertia species est qua fit iniuria rebus sacris seu dicatis Deo: ita quod non solum iniuria quæ fit sacramentis & vasis sacris & reliquiis sanctorũ ac imaginibus eorum, sed etiam quæ fit rebus Ecclesiæ mobilibus vel immobilibus, quia Deo dicatæ sunt, dum ad vsum ministrorum Dei mancipatæ sunt, sacrilegium committitur. Et si vis cognoscere quando propriè committitur sacrilegium in omnibus eius speciebus, considera ad quid persona, locus, vel res sanctificata est & vide si contra illud ad quod sanctificata dicitur actum est. Verbi gratia: ager Ecclesiæ est sanctificatus quò ad hoc quòd est exẽptus à secularibus oneribus & iurisdictionibus. Committitur ergo sacrilegium si grauetur seculari auctoritate &c. nõ autem si quis ibi fornicetur: quia non est ab hoc exemptus per hoc quòd est Ecclesiæ, & similiter sacrilegium est si quis in loco sacro fornicetur, non autem si quis ibi

detrahat;

detrahat: quia loci sanctitas est ad exemptionem ab effusione seminis humani, non autem à detractione. Similiter sacrilegium est si sacerdos fornicetur: quia sanctificatus est ad castitatem, non autem, si blasphemet: quia non est ad eius oppositum directè sanctificatus, & sic de similibus. Ex his nanque habes vnde potes discernere quæ sint sacrilegia ab his quæ non sint sacrilegia, etiam si sint peiora sacrilegio.

Ars vel officium sagittarij an & quando sit illicita.

SAgittarii ars seu officium, quamuis secundum se non minus liceat quàm aliorum armorum vsus, quia tamen ab Ecclesia prohibetur contra Christianos (vt patet in capitulo artem, extra de sagit.) sub pœna excommunicationis, inter prohibita computatur. Sed quia glossatur inhibitio hæc, & restringitur ad bellum iniustum contra Christianos, promiscuè pro nihilo haberi videtur canon iste, dum quilibet bellum suum vt iustum habet.

Satisfactio vt pars pœnitentiæ diuersimodè consideranda.

SAtisfactio sacramẽtalis (quæ scilicet est tertia pars sacramenti pœnitentiæ, quum distinguitur in tres partes, scilicet constitutionem, confessionem, & satisfactionem) quæ vulgariter vocatur pœnitentia iniuncta à confessore, consideranda est primo, à confessore si imponenda est, & quæ, quanta, qualis & quãdo. Regulariter siquidem in omni confessione sacramentali imponenda est satisfactio aliqua: vt sacramentum pœnitentiæ omnes materiales suas partes habeat. Dico autem regulariter: quoniam in tribus casibus omitti potest: Primus est, si constaret pœnitentem satisfeciſſe integrè: nam tunc nulla satisfactio

iniungenda: quia sacerdos debet Dei iudicium imitari, vtpote Christi minister: ac per hoc pœnitentem coram Deo non amplius obligatum ad satisfaciēdum pro confessis peccatis, debet non ligare ad satisfaciendum pro peccatis illis. Secundus est, quando impotentia pœnitentis excusat, vtpote quia in extremis constitutus tantam non potest satisfactionem exoluere. Potest enim tunc absolui, & satisfactio iudicari tali infirmo, & diuino relinqui iudicio, adiuuanda tamen suffragiis Ecclesiæ: vt habetur xxvi. quæst. vii. ab infirmis.

Tertius est, indispositio pœnitentis, quia nullam vult pœnitentiam hic peragere, sed offert se in purgatorio subiturum. Talis enim videtur absoluendus & relinquendus purgatorio ad satisfaciendum, si casus sit possibilis: quia saltem semel signare se signo Crucis, nullus refutaret. Quid autem imponendum sit, constat: scilicet vel ieiuniū vel oratio vel eleëmosyna, extenso ieiunii nomine ad omnes corporales exercitationes propter Deum, &c. Quanta autem & qualis debet esse, considerandum est vt sit commensurata tribus scilicet peccatori, peccato, & fini, hoc est sanitati animæ: sicut medicina debet esse proportionata primò infirmo, secundò infirmitati, & tertiò sanitati. Oportet enim videre fortem vel debilem infirmum secundum animam, & qualiter dispositus seu promptus est ad satisfaciendū, nam sicut infirmo secundum corpus, forti & bene disposito potest dari fortis medicina, debili autem minimè: ita pœnitenti bene præparati & robusti animi satisfactio quam meretur imponenda est: debiliter autem dispositis detur satisfactio paruula iuxta debilitatem sui animi, & paruulus ignis foueatur apposita palea, & non suffocetur appositis magnis lignis desuper. Similiter considerandum est quali morbo laboratur, Nam luxuria

ieiunio,

ieiunio, auaritia eleëmosyna, blasphemia diuinis laudibus, &c. curatur. Oportet & plurimum aduertere, vt sanitas animæ conseruetur, inungendo pœnitenti vt excidatur causa peccatorum: puta tollere talem conuersationem, manere in tali modo, & sic de aliis. Quando demum imponenda est, nihil refert imponere ipsum ante vel post absolutionem: sufficit siquidem præparatio pœnitentis ad illam.

Caueat autem confessor ne illorum vsum sectetur qui dant pro sacramenti pœnitentia semel Pater noster, aut aliquid parum tunc implendum, vt pœnitentia fiat in gratia, & nihilominus multa imponunt pro satisfactione. Nociua est hæc cautela pœnitentibus: quia tota illa reliqua satisfactio imposita, non est sacramentalis, ac per hoc non tantùm valet sicut si esset absolute imposita. Timetur quoque plus quàm oportet: quia non oportet iterare confessionem, vt isti fortè putant aut dubitant, si pœnitentia quæcunque facta est in peccato mortali, vt alibi declaratum est. Est & secundò satisfactio exequenda à pœnitente necessario in charitate, totam, quando vbi, & sicut imposita ac acceptata est. Vbi scito quod regulariter exequutio pœnitentiæ seu satisfactionis fructuosæ, omnes dictas conditiones requirit. Et licet varia videatur opinio circa hæc, vt diffusè scripsimus in fine commentariorum super tertia parte, concluso tamen est quantùm ad necessitatem, quòd omittere satisfactionem est peccatum, sed non mortale, si desit contemptus: quia non omittitur aliquid necessarium ad salutem: quia satisfactio est solutio pœnæ temporalis omissæ debitæ, quæ si hic non soluatur, in purgatorio soluetur.

Quantùm verò ad charitatem, quòd si non fit in charitate, licet valeat in foro Ecclesiæ (sicut valet hæc canonicæ dictæ in peccato mortali à sacerdote)

non tamen tunc valet ad expiationem pœnæ debitæ coram Deo pro peccatis: quia sine charitate nihil mihi prodest, inquit Apostolus: Valebit tamen quo ad hoc quando redibit peccator ad cor, quia sacramentalis pars est, sicut confessio informis & baptismus informis incipit valere postea. Vide ibi si vis. Quantum verò ad integritatem, tempus locum, &c. nulla ambiguitas. Si tamen debito tempore pœnitens non impleuit orationem aut ieiunium, impleat pòst, quoniam principale in satisfactione est ipsum opus, non circunstantia temporis.

Satisfactio sacramentalis an possit per alium exolui.

POtest demum satisfactio sacramentalis exolui per alium ad hoc voluntarium: siue ille alter à confessore sibi imponi acceptet, siue acceptatam à pœnitente suscipiat in se, de consensu tamen confessoris qui imposuit, vel alterius: vt mutatio sententiæ quantum ad personam satisfactricem à iudice fiat. Posset tamen in articulo necessitatis sub ratihabitione hoc fieri.

Exiguntur autem ad fructuosam satisfactionem vnius pro alio, duo, scilicet charitas, qua opera vnius communicantur alteri, & computantur vt vnum in Christo, & causa rationabilis: quoniam declinare à bono ad minus bonum non debet quis absque causa rationabili, satisfactio autem per alterum est minus bona pœnitentia: quia non est nisi pœnæ solutio: si autem ipse per seipsum satisfaceret, esset & pœnæ solutio, & sibiipsi meritum & remedium seu medicina.

Vitium scandali dupliciter committitur.

SCandalum (hoc est dictum vel factum minus rectum occasionem spiritalis ruinæ præbens) peccatum

tum est: quia charitati (qua spirituale bonum proximi amare ita debemus vt non in periculum ruinę ponamus) opponitur. Committitur autem dupliciter. Vel per se, hoc est ex intentione vt alter peccet. Et sic est speciale peccatum: & est mortale, nisi intendat vt alter imperfectè, hoc est venialiter peccet: quia tunc esset veniale. Vel per accidens: hoc est non ex intentione vt alter peccet. Et hoc duobus modis fit. Aut committendo aliquid quod habet speciem mali: Et sic etiam est speciale peccatum: quia ad scandali speciem hoc peccatum reducitur: sicut detractio præter detrahendi intentionem reducitur ad detractionis speciem. Aut committendo aliquod verè malum: puta adulterium publicum, vnde aliis præbetur malum exemplum, non intentum ab adultera. Et hoc non est speciale peccatum, sed circunstantia peccati, puta adulterii: quia grauius est, si est publicum. Vtroque autem modo scandalum per accidens potest esse peccatum mortale & veniale. Nam vltimo modo, si peccatum publicum est mortale, constat scandalum esse mortale: si verò est veniale, scandalum quoque est veniale.

Sed primo modo non est ad qualitatem actus in se spectandum (quia sola apparentia mali in illo ponitur) sed ad periculum ruinæ alienæ cõsideratis conditionibus personarum, locorum, temporum, & causarum. Si enim ex facto meo habente mali speciem audio à fide dignis ignorantes aut infirmos scandalizari (hoc est disponi ad ruinam peccati mortalis) abstinere debeo donec informentur & clarificẽtur de veritate & bonitate operis: ita quòd peccarẽ mortaliter non curando de pusillorum ruina. Videte (inquit Christus, de hac materia loquens) ne contemnatis vnum ex his pusillis: & Apostolus, ad Romanos xiiii. Noli cibo tuo perdere pro quo Christus mortuus est.

Si verò

Si verò venialis tantùm peccati periculum est in proximo, constat non esse mortalem incuriam talis periculi. Et similiter non est mortale, si ex ignorantia facti latet me talem meum actum esse occasionem ruinæ aliis. Et hæc de actiuo scandalo intellige. Nam de passiuo scandalo nihil dicendum est, nisi quòd est generale peccatum. Est namque quodlibet peccatum in quod homo ex alterius minus rectè dicto vel facto ruit. Vnde nec circunstantiam aggrauantem peccatum, sed monstrantem infirmitatem peccantis addit. De perfectè siquidē firmis in charitate scriptum est. Non est illis scandalum.

Schismatis crimen dupliciter incurritur.

SChisma (hoc est separatio ab Ecclesiæ vnitate ex intentione) peccatum est mortale: vtpote contra vnitatem catholicæ Ecclesiæ. Incurritur autem schismatis crimen dupliciter. Primò, si quis ex intentione non se habeat vt pars vnius vniuersalis Ecclesiæ: ita quòd operationes suas (credere, sperare, ministrare sacramenta, dare eleëmosynas, orare, ieiunare, &c.) nolit facere vt pars vnius sanctæ Ecclesiæ, sed ipse velit habere tanquam sit quoddam totum seorsum: ita quòd non sit alterius, id est vniuersalis Ecclesiæ pars. Sumus enim omnes membra vnius corporis Christi mystici, quod vocatur Ecclesia catholica. Et similiter iuxta hunc quoque modum incurritur schisma, si quis non se habeat ex intentione ad Christi vicarium in terris Romanum Pontificem indubitatum vt caput vice Christi istius corporis: quoniam hoc est subtrahere se ab vnitate corporis in ordine ad vnum caput.

Et aduerte perspicaciter quòd horum vtrunq; dupliciter incurrere homo potest. Primò stando infra limites voluntatis præcisè, hoc est quia non vult recognoscere

cognoscere vnitatem Ecclesiæ seu capitis, quamuis credat illam: & tunc est schismatis crimen purum. Altero modo extendendo malam hanc voluntatem ad actus fidei: ita quòd non solùm vult vnitatem Ecclesiæ scindere, aut vnum caput non recognoscere: sed etiam credit non esse vnam omnium fidelium Christi morum Ecclesiam: aut si credit vnam Ecclesiam in seipsa, non tamen vnam etiam secundū vnum caput Christi in terris vicarium. Et sic est non schisma purum, sed admixtum hæresi contra illum articulum. Et vnam sanctam Ecclesiam catholicam. Et si quidem vnitatem Ecclesiæ non credit, manifesta est hæresis. Si verò vnitatem capitis, hoc est Papæ non credit, quamuis in dubium fortè reuocetur an sit hæreticus propterea quia non inueniri videtur in sacris Conciliis damnata hæc hæresis, communis tamen doctrina hæreticum reputat.

Alio autem modo incurritur schisma, quum aliquis mauult voluntatem suam implere, seu opus aliquod efficere vel perficere, quàm seruare vnitatem Ecclesiasticam: vt cōtingit iis qui vniuersales synodos contempto capite celebrant aut celebrare volunt, quasi ipsi sint Ecclesia catholica. Tunc enim secundum effectum schisma incurrunt, sicut homicidiū secundum effectū incurritur ab illo qui etsi nō intendit occidere, intendit tamen potius suam implere voluntatem sagittando in loco non deserto, quàm homicidii periculum vitare: dum enim vsurpant isti Ecclesiæ nomen, ab vnitate veræ Ecclesiæ catholicæ quæ secundum vnitatem capitis est, seipsos separant. Vtroq; autem modo schismatis crimen cum suis pœnis incurritur, sicut homicidii crimen vtroque simili modo incurritur. Si autem tempore dubiorum pontificum incertitudo veri pontificis hominem dubium reddat de certo Christi vicario teneatur primò quòd certū

est

est: scilicet vt quilibet se reputet & habeat vt vnius Ecclesiæ catholicæ, & ad vnum ipsius caput in cœlo Christum, & dubios vicarios Christi habeat vt dubios, nulli vt certo & indubitato pontifici inhæreat, quoniam errandi periculo non se tenetur exponere: nec dubia tenetur habere pro certis: imò temerè ageret inhærendo dubio pontifici tanquam certo. Deinde consulat peritos viros simul ac bonos: à quibus si certum consilium tutè se habendi habere poterit, sequatur illud: si verò in ambiguo consilium manet, eligat tutiorem partem. Et hoc ideo summariè pertranseo: quia longo opus est tractatu de modo se habendi quò ad obedientiam tempore schismatis propter multitudinem dubiorum ex vario facto causante schisma emergentium: quem si Deus concesserit, intendimus seorsum condere.

Aduerte tamen perspicaciter quod schismatis peccatum tendit contra vnitatem siue Ecclesiæ siue capitis formaliter, & non contra vnitatem cum ista vel illa persona determinatè. Et propterea si rationabiliter dubitatur has personas esse partes seu membra Ecclesiæ, & similiter si rationabiliter dubitatur hanc personam esset caput Ecclesiæ, & propterea non habetur hic pro papa certo, aut non habetur totaliter pro Papa ratione ad hoc ducente, non incurritur crimen schismatis, etiam si error interueniret: quia non interuenit schisma formaliter. Et ratio probabilis excusat vt schisma materialiter non redeat in naturam suæ formæ, hoc est in formale schisma in casu quo sic erraretur.

Gratia Dei curantur scrupulosi.

SCrupulosorum medicina diuina, est gratia Dei nõ solùm intus habitans, sed exteriori assistentia custodiens: quæ propriis & alienis orationibus, ieiuniis

&

& eleëmosynis continuè quærenda est humiliter, deuotè & cum fiducia diuinæ largitatis ex ipsius misericordia immensa. Humana autem medicina est consulere, & acquiescere, rursus vitare principia scrupulorum, hoc est vitare cogitationem de illis in quibus est scrupulosus: quoniam in hoc videtur consistere naturalis causa scrupulorum, scilicet quòd mota vna phantasia oportet multos consequi: ita quòd non est in potestate sua compescere sequētes commotiones: sicut in lateribus ordinatè hærētibus est videre quod moto vno cæteri sequitur cadendo vnus post alium. Ipsa siquidem attento ad scrupulum vitandum, scrupulum parit: quia mouet phantasiam impedientem liberè incipere vel prosequi.

Medicina autem particularis contra præteritorum peccatorum reconfessionem, est habere credulitatem propriam quod de illo peccato confessus sit pro certitudine, ita quòd non amplius cōfiteatur. Et in hoc acquiescant consilio meo omnes scrupulosi timorem Dei habentes, qui confessionem suam diligenter perfecerunt. Nec hoc dico voluntariè, sed rationabiliter: quia quæ apud istos est credulitas, apud ipsosmet si non essent impediti, haberetur pro certitudine. In cuius signum multi horum fatentur se pluries de eisdem oportere confiteri: quia pluries post confessionem occurrunt vt dubia: timor enim facit eos dubios: sed consilium hoc rationabile reddat eos quietos vt certos.

Medicina rursus vniuersalis scrupulosos sanans aut quasi sanans est quotidiana examinatio cum diligentia & contritione propriæ conscientiæ, notando commissa & suas inclinationes seu passiones cum frequenti confessione.

Est & magna ac vtilis medicina solicitudo cū factis ad cauendum ea quæ sunt manifestè peccata: qui enim

enim parum curat committere venialia (ita quòd quum scit aliquid non esse morte, paruifacit incurrere) solicitus non est ad curam animæ suæ vt fructum reddat in tempore suo. Et propterea mirum non est si Angelica deest custodia ad præseruandum illum qui sibiipsi deesse paruipendit.

Scurræ infames dicuntur, & per consequens vitiosi.

SCurrilitas (qua homo ad risum prouocat inuerecundè nō habita ratione dignitatis, locorum, temporum &c.) peccatum est: vtpote honestæ vrbanitati opposita. Sunt autem huic negotio dediti quasi infames: & vocantur scurræ, ex scurrilitate viuentes. Qui verò opus hoc rarò exercent, licet peccēt, ab infamiæ tamen nota excusantur. Et quia scurrilitas non est mortalis ex suo genere, considerabis si admixtum habet aliquid contra dilectionem Dei aut proximi, ad hoc vt discernas si in aliquo casu est mortalis. nam ex sola tali admixtione potest effici mortalis.

Seditiosi vnitatem bonam dissoluentes peccato mortali se obligant.

SEditio (qua vnitas multitudinis dissoluitur discordantibus contra se inuicem partibus illius multitudinis) peccatum est mortale: vtpote contra pacem multitudinis vnitæ. Vnde seditiosi sunt non solùm auctores discordiæ, sed etiam sequaces scindentes ciuitatem, regnum exercitum, aut etiam domum. Et si vtraque pars hoc malo gaudet (quia neutra ad commune bonum, sed proprium tendit) vtrique seditiosi sunt. Si verò vna ex parte conatus est ad commune bonum, & ideo resistunt seditiosis, non inuoluuntur seditionis vitio, sed tuentur laudabiliter commune bonum pugnando contra seditiosos.

Sicut

Sicut enim cum persona vna inuaditur, licitè pugnat ad sui conseruationem illæsam, ita quum commune ciuitatis bonum præcipuum (quod est vnitas, pax, libertasque) inuaditur, aut inuasio præparatur à seditiosis, licitè ciuitatis pars bona tuetur cõmune bonũ & præperando se & alios, & pugnando vt illæsam seruetur commune bonum.

Capita tria circa simoniam examinanda.

SImonia (hoc est emptio vel venditio spiritalis rei) peccatum est mortale: quia iniuriosa est religioni vilipendendo res spiritales dum pretio ponuntur. Vt autem clara casuum notitia habeatur, tria sunt capita pertractanda, scilicet res spiritalis, emptio vel venditio extrinseca & rursus emptio vel venditio interior seu mentalis tantùm.

Circa caput primũ (quid appellatione rei spiritalis intelligatur in proposito (scito hic appellari rem spiritalem à spiritu sancto vt est spiritalis ratio vitæ qua in Christo viuimus, sentimus, intelligimus, & operamur: in cuius signum simonia vitium est Ecclesiasticum non habens locum in prophanis.

Sunt autem res spiritales multis modis. Vel quia sunt merè spiritales: vt dona Dei gratuita quæ ad vitam Ecclesiæ spectant: virtutes gratiæ gratis datæ, potestas spiritalis tam ordinis quam iurisdictionis, sacramentalis effectus, ius spiritale quocunque etiam viuendi ex altari habendi decimas, beneficia Ecclesiastica, & similia. Vel quia sunt compositæ ex spiritali & corporali, sed formaliter ac principaliter sunt spiritales: vt sacramenta Ecclesiæ omnia, & similiter sacramentalia: vt consecrationes virginum benedictiones nubentium, Missæ, orationes vocales, Ecclesiasticus cultus, prædicare, oleum sanctum chrisma, Ec-

cleſiaſtica beneficia,& alia huiuſmodi. Vel quia compoſitæ ſunt ex ſpiritali & corporali, ſed principale in illis eſt corporale, vt calices, cruces, officia Eccleſiaſtica, vt officium iudicis, doctoris, ſacriſtæ, œconomi. Multis igitur modis quum inueniantur res ſpiritales, notandæ ſunt regulæ ſex, vt non erretur in iſtis.

Prima regula eſt: Nulla res ſpiritalis, quatenus ſpiritalis, eſt licitè vænalis, aut ratio maioris pretii: itaque ex hac regula habes tria. Primò, quòd res purè ſpiritalis non poteſt emi aut vendi. Secundò, quòd res compoſita ex corporali & ſpiritali, non poteſt emi aut vendi, ex ea parte qua ſpiritalis eſt, quantumcunq; ſpiritalitas illius ſit minima. Tertiò, quòd ſi aliqua res compoſita ex ſpiritali & corporali vendi aut emi licitè poteſt (vt calix conſecratus, aut officium docendi &c.) non tamen poteſt pluris æſtimari, nec pluris vendi aut locari &c. ratione ſpiritalitatis, ſed ſolummodo tanti, qnantum valet ratione rei corporalis, alioquin ſimonia committitur.

Secunda regula eſt. Nulla res compoſita ex ſpiritali & corporali ſic, vt principale illius ſit ſpiritale, poteſt vendi vel emi abſolutè: quia ex quo principale in iſtis eſt: ſpiritale, ſi ſimpliciter & abſolutè ſub pretio ponitur, intelligitur vendi ſpiritale. Vnumquodq; namque quum abſolute tractatur & iudicatur, intelligitur tractari & iudicari ſecundum ſuum principale: vt quum tractatur de homine, tractatur de homine ſecundum quod eſt rationabilis: & quum tractatur de naui, tractatur de illa ſecundum quòd quid artificiale: & quum tractatur de Epiſcopo, tractatur de illo ſecundum quòd paſtor ouium Chriſti: & ſic de aliis. Et ex hac regula habes, quòd non licet prædicatori pro prædicatione, ſacerdoti pro celebra-

tione

tione, vel pro officio mortuorum, ordinatori pro collatione ordinum, & cæteris similibus pro similibus paciſci aut quouis modo hæc ſub pretio ponere abſolutè.

Tertia regula eſt: Res quæcunque compoſita ex ſpiritali & corporali ſic vt principale in illa ſit corporale, poteſt abſque ſimoniæ vitio vendi vel emi abſolutè, niſi ex poſitino iure inhibeatur. Ratio regulæ eſt: quia ex eo quòd principale eſt corporale, non intelligitur vendi niſi corporale, quum abſolutè venditur, & ſeruatur antedictum moderamen quod nō pluris æſtimatur ratione ſpiritalitatis, ſed purè tanti venditur, quantum corporalis res valet. Addidi autem niſi ex poſitiuo iure inhibeatur: quia quantumcunque res ſecundum ſe venalis ſit, ſi iura diſponunt ibi interuenire ſimoniam, non quia ſecundum ſe ſit, ſed quia prohibita, oportet parere iuri: vt de multis officiis canonica iura ſic diſponunt: vt ſunt œconomi, caſtaldi &c.

Quarta regula eſt. Stipendium ſuſtentationis exercentium ſpiritualia, licitum eſt velle & accipere, & in articulo neceſſitatis etiam paciſci.

In hac regula dicuntur duo. Primum, quod pro ſuſtentatione miniſtrantium ſpiritalia licitum eſt accipere temporalia. Et hoc ſatis clarè patet ex doctrina domini in Euangelio, & Pauli Apoſtoli. Et ex ratione, quia hoc non eſt vendere ſpiritalia, nec locare operas pro mercede, ſed eſt velle habere neceſſaria ad vitam corporalem, ſine qua non poſſumus ſpiritalia exercere. Secundum eſt, quòd in articulo neceſſitatis licitum eſt deducere in pactum ſtipendium ſuſtentationis. Hoc namque articulus neceſſitatis tunc ſupplet, quod & iuſtitia deberet efficere apud populum recipientem ſpiritalia (quia tenetur ſuſtentare miniſtros ſpiritalium) & ad quod

ſuperiorum authoritas deberet cogere populum. Et licet hoc licitum ſit: quia tamen habet ſpeciem mali & prohibitum regulariter eſt ex iure poſitiuo paciſci in huiuſmodi, ideo non eſt faciendum. Habes tamen ex hac regula, quod licitum eſt cogere ad ſubuentiones ſtatutas authoritate ſuperiorum vel conſuetudine exhibendas in conſecratione Eccleſiarum & virginum, in benedictione nubentium, viſitationibus & aliis huiuſmodi: quia hæc in ſubſidium miniſtrorum intelliguntur ſtatuta vel conſueta: ſicut decimæ & prouentus alii Eccleſiaſtici. Debent tamen Prælati & eorũ officiales prius exhibere gratis ſpiritalia hæc, & poſt cogere ad ſeruandas laudabiles conſuetudines: ne nomen clericorum blaſphemetur tanquam auarum, & quaſi venalia ſpiritalia reputans.

Quinta regula eſt. Locare opera ſuas ad exercitia ſpiritalia, quæ principaliter ſunt ſpiritalia, non eſt licitum niſi per accidens. Vbi ſcito quòd tribus titulis res qualitercunque ſpirituales contingit afficere. Primus eſt venditionis & emptionis. Secundus eſt, ſuſtentationis miniſtrorum. Tertius eſt, locationis & conductionis non ſpiritalium, ſed operarum ſuarum. Primus, qui (vt infrà declarabitur) comprehendit ſub ſe omnem contractum debiti legalis, & totaliter prohibitus: vt in primis tribus regulis declaratum eſt. Secundus eſt ſecundum ſe totaliter licitus: vt in quarta regula explanatum eſt. Tertius autem qui ſecundũ rem ſpecies eſt venditionis & emptionis (quia locare eſt quoddam vendere, & conducere eſt quoddam emere) & qui non refertur ad ſpiritale, nec vt rem locatam, nec vt rationem locandi, ſed refertur ad operas humanas cõcurrentes ad exercitationem ſpiritalium, venit in quæſtionẽ, vtpote medius: & de ipſo dicuntur duo in hac regula.

Primum eſt, quod locatio operarum non habet

pœ

per se locum in exercitationibus spirabilibus quæ principaliter sunt spiritales: vt sunt missæ, prædicationes, consecrationes virginum, Ecclesiarum, collationes sacramentorum, orationes, & huiusmodi. Et ratio iam dicta est: quia quum illa quæ sunt secundum suum principale spiritalia, tractantur absolute, intelliguntur tractari secundum suum principale, quod est spiritale: ac per hoc hoc intelligitur locari & conduci spiritale, vel vt res conducta, vel vt ratio conducendi: & consequenter appretiantur opera ex spiritali: quòd constat esse simoniacum.

Secundum est, quòd per accidens, hoc est propter adiunctum vinculum, locum habet in istis locatio operarum consueta & approbata ab Ecclesiæ consuetudine. Multi enim sacerdotes locant operas suas ad officiandam aliquam Ecclesiam per annum vel menses, toties celebraturi in hebdomada, &c. Quamuis enim non liceat sacerdoti locare operam suam ad celebrandum Missam (quia hoc esset locare spiritale: quia Missa secundum suum principale est spiritalis vt dictum est) licet tamen eidem locare libertatem suam, contra quam toties debet occupatum se tenere, & impedimentum ab operibus aliis, & breuiter tot cõcurrunt temporalia in istiusmodi annuis, menstruis, hebdomadariis, &c. obligationibus vt intelligatur non spiritalem rem aliquam, sed temporalia locari & conduci.

Sexta regula est, Locatio operarum in illis exercitiis spiritalibus quæ principaliter sunt corporalia, locum habet absque scrupulo conscientiæ, vt patet de officio vicarii, sacristæ, iudicis, doctoris etiam in theologia, & aliis huiusmodi, de quibus debentur certa stipendia.

Et possunt in istis inuenire conuentiones ac pacta de quantitate stipendii; quia de corporali ac veniali

opere pactio fit, non de spiritali iustitia, veritate, &c. Et hanc intellige ex arte operarii: ita quòd ille qui in vicarium aut iudicem, &c. petitur, potest locare operas suas ad huiusmodi officia. Et similiter is cuius est dare officium illud: potest illud conuocare sub certo stipendio. Et non intelligas hoc ex parte Prælati, quia si ipse potest locare huiusmodi officia sub certo pretio: quoniam hoc est vendere officia spiritalia, & est expresse prohibitum, ne Prælati committant vices suas sub annuo censu, &c. Circa secundum caput (scilicet extrinsecam emptionem, vel venditionem, in qua consistit ipsa simonia) scito tam emptionem quàm venditionem ex tribus constare: scilicet intentione conuentione, & exequutione.

Ex eo enim quòd humanus actus est, intentione sui requirit ad hoc, vt per se fiat, hoc est vt intendat quis vendere seu emere.

Et ex eo verò quòd commutatio voluntaria est, oportet conuenire vtrinque de pretio. Nec refert vtrum tunc disceptando conueniant, an primo verbo conueniant: an sciendo pretium seu mutuum affectum detur & accipiatur pretium: semper enim interuenit conuentio vel prius statuta, aut scita, aut tunc facta, etiam si subitò & imperceptibiliter fiat, & breuiter explicita vel implicita: alioquin resiliretur ab altera parte: & non subsequeretur emptio & venditio: vt patet in quotidianis venditionibus & emptionibus.

Ex eo autem quòd actus talis exterior ad alterum est, exigitur ad sui cõsummationem datio & acceptio rei quæ venditur, & pretii: non enim consummata est venditio, nisi detur res quæ venditur: & similiter non est consummata emptio nisi detur pretium: quia neutrum ab altero consummatè transfertur nisi tradatur: & similiter neutrum consummatè

matè acquiritur nisi habeatur : constat autem per emptionem & venditionem consummatam debere transferri hinc rem, inde pretium:& similiter acquiri hinc pretium, inde rem. Vnde iuxta hæc habeto pro regula ad simoniam quæ ab Ecclesia punitur, exigi duo. Vnum ex parte venditoris scilicet venditionem consummatam rei spiritalis. Alterum, ex parte emptoris : scilicet conuentionem implicitè vel explicitè de pretio, aut traditionem pretii. Vbi nota quinque. Primò, differentiam partium penes hoc quòd ex parte rei spiritalis exigitur actus consummatus ad hoc quòd Ecclesiæ censuris subsit : ex parte verò pretii non exigitur actus consummatus, ita quòd si simoniaca conuentio inter aliquos sit de ordine, beneficio, sepultura, Missa, &c. pro tali prætio, si ordo beneficium, & breuiter res spiritalis non datur, etiam si pecunia pro pretio fuerit data, non incurritur simonia subiecta censuris Ecclesiæ: quamuis incurratur crimen simoniæ. Et ratio est, quia non est consummata venditio rei spiritalis, sed inchoata & in mente & in conuentione. Pœnæ siquidem restringendæ sunt ad consummatos actus. Secundò, disiunctiuam seu alternatiuam æquiualentem ex parte pretii penes conuentionem vel traditionem pretii : ita quòd ex parte emptoris æquipollent pactio vel traditio pretii: ita quòd licet simonia punita ab Ecclesia exigat conuentionem seu pactum, si tamen concurrit traditio pretii, æquipollet conuentioni. Imò (vt melius loquar) inuenitur plusquam pactio : quia ipsa traditio pretii claudit in se conuentionem, vtpote consummatio illius, nam consummata emptio conuentionem explicitam vel implicitam adimplet. Et propterea non fallaris inspiciendo solùm ad pacta explicita : sed intueri si interuenit solutio seu traditio pretii, & perspice

pessimam ibi simoniam. Tertiò, formalem loquutionem de pretio : quum enim dicimus traditionem pretii includere pactionem , loquimur de pretio inquantum pretium: hoc est sub ratione pretii. Potest siquidem multis modis tradi aliquod temporale: scilicet vel per modum liberalis doni , vel per modum sustentationis, vel per modum reuerentiæ , vel per modum oblationis vel per modum debiti ex lege, aut laudabili consuetudine , vel per modum pretii. Et hoc solo vltimo modo vocatur prætium , & vocatur traditio pretii. Quarto nota, quia timoratam habes conscientiam, quod licet sacerdos minus bene faciat exigendo id quod secundum laudabilem consuetudinem solet dari , si ante collationem spiritalium exigat, aut si negat aut differt spiritalium collationem vt illud habeat , non tamen propter simoniacum iudices : quoniam si vt conseruet se indemnem, cognoscens præcipuè quòd postea oportebit illum litigare hoc facit, simoniacus non est secundum rē: quia non vendit spiritale. Nec huiusmodi exactio inducit modū pretii, quoniā nō mutat modū debiti: quāuis speciē quasi simoniæ habeat huiusmodi præuentio & cautela: & propterea reprehenditur. Quintò nota, quòd triplex muneris genus (scilicet à manu: vt pecunia & illa bona mobilia vel immobilia, ab obsequio vel seruitia, & à lingua, vt laus. adulatio, preces, &c) ad hoc vt simoniam ab Ecclesia punitam constituat, exigitur, quòd pretii rationem habeat alioquin ad venditionem specialem , non spectabit, vt emptio. Et propterea si laus, adulatio, preces non nisi per modum laudis, per modum adulationis, per modum precum concurrunt quantumcunque sint nephariæ & carnales, ac pro indigno, & efficaces ita quòd inducant Prælatum ad dandum beneficium, ad conferendum ordinem, &c. simonia

vera

vere proprie non incurritur, quamuis crimen aliud incurratur: quia nulla est hic venditio aut emptio nisi mentalis, si intentio adulantis aut Prælati est adulationem vt pretium ponere: & se de aliis. Circa tertium caput (scilicet emptionem seu venditionem mentalem) scito simoniam mentalem consistere in intentionem pretiirita quod ex hoc ipso quòd homo intendit sub pretio ponere siue emendo siue vendendo rem spiritalem, aut vt venalē rem, aut vt rationē appretiandi, simoniam mentalem incurrit. Et hoc est quandocunq; intendit pro spiritalibus tēporalia habere aut econtrario, ita quòd lypro, pretium denotet: & similiter quandocunque principalis intentio ad temporale habendum ex collatione spiritalis aut econtrario tendit. Qui enim temporalia ex spiritalibus intendit non vt pretium, sed vt sustentationem necessariam ministrorum Ecclesiæ liberaliter seu eleëmosynaliter, aut statutam seu laudabiliter consuetam, simoniam mentalem non incurrit. Et similiter econtrario qui ex temporalibus spiritalia intendit non vt ex pretio debita, sed vt ex his excitata ac prouocata aut expedita (vt contingit in eleemosynis, oblationibus, legatis, & quasi stipendiis sacerdotum & orantium ac prædicantium, & in seruitiis honestis quæ Prælatis exhibentur, & aliis huiusmodi) simonia nulla in animo est: quia gratis dandum spiritale expectatur, & temporalia non vt pretium intenduntur. Potest autem mentalis simonia tripliciter inueniri. Primò, ex eo quod in solo actu interiori consistit: vt sicut homicidium mentale est deliberatus animus occidendi, ita simonia mentalis sit deliberata voluntas emendi vel vendendi rem spiritalem. Secundò ex eo quod exterius imperata latet intus: vt quum aliquis seruit aut munus offert pro spiritali consequendo, vel econtrario spiritale dat pro tempo-

rali consequendo, non tamen declarat prauam suam intentionem. (quod intentione emendi seu vendendi hoc facit. Est siquidem tunc simonia non solùm intus, sed exteriori actu imperata & exercitata, sed latente intus venenoso semine. & proptrea inter mentales simonias locatur. Tertiò, ex eo quod non est consummata ex parte rei spiritalis: vt quum conueniunt simoniacè aliqui, & postmodum aut pœnitentia ducti, aut propter impotentiam aut quamuis aliam causam receditur à pacto, & breuiter non mandatur executioni promissum spiritale. Hæc etiam simonia quò ad crimen, non mentalis, sed exterior est, sed quò ad pœnas censurarum inter mentales collocatur: quia non est simonia consummata. Quòd si pecunia in hoc casu vt pretium recepta fuisset, restituenda proculdubio est. Et quamuis prima facie appareat quod danda esset Ecclesiæ, & non emptori, quia datio fuit contra legem, rationi tamen magis consonat vt reddatur illi qui dedit, vtpote adhuc ipsius: quia non plenè abdicata ab eo intelligitur pendente consummatione contractu simoniacæ emptionis & venditionis: vt sic & pœnæ simoniæ non amplientur, sed restringantur ad consummatam simoniam: & fides naturalis qua venditor receptum ab emptore pretium tenetur illi si non sequitur executio venditionis, restituere, seruetur: quasi perfidus namque haberetur si promissum spiritale non dans, nec acceptum pretium redderet Ecclesiæ vel pauperum obtentu. Et hoc intellige quantum est ex parte illius qui accepit, nam si authoritas iudicis interueniret, non crederem ei restituendam, sed in pœnam ab illo tollendam, & pro Christi honore exponendam. Aduerte simoniacos non teneri ad resignationem tam spiritalium quàm temporalium quæ nullo pacto sed affectu animi præcedente vtrinque

acqui-

æquiruntur: quoniam pro huiusmodi simonia sufficit delinquentibus per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori. Textus est clarus & vniuersaliter ac vniuersaliter intelligendus. extrà de simonia. cap. vltim.

Et hinc habes vnde infinitas quæstiones de seruitoribus, de precibus carnalibus, &c. soluas: quia hinc clarè patet non teneri ad resignationem beneficiorum sic adeptorum absque pacto aliquo, nulla facta differentia inter manum, obsequium, linguam, & quicquid aliud temporale interuenire potest, & similiter nulla facta differentia spiritalium.

Mendacium & simulatio æquiparantur.

SImulatio qua homo mentitur facto, peccatum est: sicut mendacium quo mentimur verbo. Est autem peccatum veniale, si iocosa aut officiosa est, mortale autem si perniciosa: sicut de mendacio dictum est, & eadem ratione.

Mercimonialis societas duobus casibus est illicita.

SOcietas mercaturæ seu artificii illicita redditur duobus modis. Primus, si capitale vnius subsset lucro & non damno: hoc enim cõstat iniquum esse. Secundus est, si lucrum aut damnum non respondeat proportionabiliter sociis vnicuique pro rata sua, interueniret siquidem manifesta iniquitas, dum non redderetur vnicuique quod ei debetur secundum æqualitatem iustitiæ. Et quoniam in huiusmodi societatibus frequẽter contingit diuersarum rationum cõcurrere socios (dum vnus ponit pecuniam & alius operas seu industriã) nec par est vtriusq; periculum: ideo aduerte & nota diligenter quòd societas huiusmodi, ex sua natura hoc habet quòd ponens pecuniam

niam ſubſtet duplici periculò: ſcilicet perditionis pecuniæ, & perditionis negotiatorii vſus eiuſdem pecuniæ, qui verò ponit induſtriam ſeu operas ſuas, ſubſtet vni tantùm periculo, ſcilicet perdendi vſum induſtriæ ſeu operarum ſuarum. Quod vt melius intelligas, conſidera triplicem euentum ſocietatis, aut enim in fine inuenitur lucrum, aut ſine lucro capitale tantum, aut damnum capitalis in toto vel in parte. Et ſiquidem inuenitur damnum capitalis in parte vel in toto, ſentiret quicquid damni eſt dominus pecuniæ, qui illam poſuit. Si verò capitale tantum inuenitur, ſaluum erit domino eius qui illud poſuit: nam ex eo quòd poſuit pecuniam in ſocietatem, nõ deſinit eſſe illius dominus. Si autem lucrum inuenitur, reddetur ante omnia capitale domino, & diuidetur deinde lucrum æquis portionibus: ſuppoſito quod pecunia poſita in ſocietate, & induſtria æquiualeant. Et omnium horum vna eſt ratio: quia ſcilicet qui poſuit pecuniam, ſubſtat duplici periculo, ſcilicet perdendi ſubſtantiam pecuniæ, & perdandi negotiationis vſum, tenendo ſcilicet vanè tanto tempore ſuam pecuniam occupatam tali negotio: ex hoc enim fit vt iuſtitia exigente ei capite ſaluum ſit, ſi ſaluatur in toto vel in parte, cui deperderetur ſi periret. Ponens autẽ induſtriã vel operas, quia ſolùm poteſt perdere vſum induſtriæ vel operę ſuæ (ſcilicet in vanũ laborando) ideo nihil de capitali ſaluo ei debetur, ſubſtantia namque operarum ſuarum non ex negotiatione, ſed ex neceſſitate materiæ perit, quia ſcilicet eſt res ſucceſſiua in motu conſiſtens, ſi enim res permanens eſſet, ei eſſent ſaluæ. De ſocietatibus autem in materia animalium quæ foccidæ appellantur, tam varia eſt materia & conſuetudo, vt fortè ſcribi completè nõ poſſit. Et propterea in qualibet patria vide vt ibi fieri conſueuit à viris probis,

vel

vel secundum morem approbatum à viris probis.

Peccatum Sodomiticum grauissimum.

SOdomia, qua contra naturam venerea exercentur (vel dum commiscentur personæ eiusdem sexûs) puta mares inter se, aut mulieres inter se, vel dũ commiscentur mas & mulier, sed non in loco naturali, aut consummando innaturaliter, peccatum grauissimum est.

Obseruatio somniorum diuersis respectibus est illicita.

SOmniorum obseruatio quadruplici peccato explicitè, & quinto periculo afficitur. Prima duo peccata sunt in opinione dum somnium vel temerè attribuitur alicui certæ causæ, puta cœlo: quia quum possit à multis causis prouenire, temerarii erroris est vnam determinatè inferre. Vel temerè determinatur ad futurum vnum aliquid significandum: ex eo enim quod nascitur causa somnii, incertum oportet restare an somnium illud futurum significet: quoniam ex causa pendet significatio, & nullum videtur somnium procedens ex certa causa quod non possit ab alia causa prouenire: & propterea semper temerarium inuenitur iudicium si vt certum fiat. Vtrunque autẽ peccatum veniale est: vtpote iudicium temerarium de re singulari in nullius damnum. Tertium peccatũ est in vsu, quum quis propter somnia committit vel omittit contra necessaria ad salutem: & hoc est peccatum mortale, vt patet. Quartum peccatum in vsu quoque est, quum quis tantam fidem dat somniis vt propterea omittat vel committat contra aliquid ad quod tenetur, quamuis non sit de necessitate salutis illud: & hoc est peccatum veniale, quia non contra, sed præter charitatem, & erratur in intellectu, & peccatur in effectu. Periculum autem quod imminet

omnibus

omnibus his,& præcipuè secundò,& tertiò, & quartò, est cadere in crimen superstitionis diuinatoriæ per somnia, quoniam vanis ac incertis opinionibus seu coniecturis vtens quasi certis ad cognoscendum vel operandum, aut omittendum circa futura contingentia,meretur vt diabolica illusio se immiscear,ac de vanis fiant pernicioſa , & sic in tacitam dæmonum societatem incidatur,dum paulatim tantùm homo credit somniis, vt somniis vtatur pro regulis suarum actionum: aut incidat in scelera quæ diximus de obseruatione astrorum.

Sors damnorum societati innixa semper damnabilis est.

SOrs triplex quum sit(diuisoria, consultoria,& diuinatoria) tertia damnata est, vtpote dæmonum societati innixa: & propterea peccatum est mortale ex suo genere. Secunda autem qua consulimus quid agendum sit,tot exigit conditiones ad sui rectitudinẽ, vt rarò sit licita . Exigit siquidem primo articulum necessitatis,ne tentetur Deus ubi opera humana potest prouideri. Secundò,reuerentiam,ne irreuerenter consulatur Deus. Tertiò, proportionatum modum ne scilicet diuina oracula aut sanctorum reliquiæ ad secularia negotia conuertantur:quod Augustinus reprehẽdit. Quartò debitam materiam ne pro electionibus spiritalibus hoc fiat. Prima verò qua determinatur quod ab hoc vel illo habendum fit boni, aut patiendum mali in temporalibus bonis & malis illicita inuenitur dupliciter. Primò, si imprudenter fit, omnis enim humanus actus prudenti circunspectione,cautela rationeq; formandus est. Secundò,si cum periculo communis boni , aut iustitiæ fit:vt si fortè regiminis officia fiant admissis ad sortes tam idoneis quàm ineptis. Et hoc enim periclitatur respublica,vt

patet;

patet: & rationabilis homo dignitate sibi rationi adimit sic prouidendo reipublicæ de rectoribus. Secus autem si admissis tantum idoneis, sortibus officia cõmittantur ne pax turbetur. Quando autem sortium illicitus vsus mortale peccatum est, ex admixtis contrariis ad religionem & iustitiam accipiendum est. Diuinatoria enim ideò mortalis est, quia contra religionem est. Diuisoria verò, si contra iustitiã, in præiudicium. s. proximi vel communis boni est, mortalis est. Consultoria quoque si altero dictorum criminũ polluitur, mortalis est. Verùm aduerte non omnẽ irreuerentiã esse mortalẽ. Ex hoc enim quòd Euangelia, ad secularia negotia consuluntur, non incurritur mortale: quia non contra diuinam est hoc reuerentiam: sed quia præter eam videtur, ideo Augustino displicet. Posset tamen (vt puto) tali fide & reuerentia ac necessitate fieri, vt nullum esset in hoc peccatum. Ex materia quoque electionum spiritalium ministrorum si inhibitio positum iuris secludatur, non video peccatum aliquod si sortibus committeretur super aliquos prælectos æquè idoneos, vt factũ est in electione Apostoli Matthæi. Et breuiter quia vti sortibus non est ex suo genere malum, ex admixta irreligiositate, aut iniustitia, aut imprudentia vel econuerso ex admixta religione, prudentia, & pace iudicandum est.

Peccatum sortilegij grauissimum est & hæresi simile.

SOrtilegium (quo explicitè vel implicitè ad dæmonis auxilium seu consilium sorte recurritur) peccatum mortale est ad superstitionem spectans: vt quum quis per sortes inquirit quis fecerit furtum aut aliquid huiusmodi ad diuinationẽ pertinens: & simile est si forte quæratur quid agendum. Sortilegii enim

crimen

crimen, & diuinatoriam & consultatoriam sortem comprehendit quum ad dæmonem recurritur non solùm explicitè, sed etiam implicitè : vt contingit inquirentibus per sortes occulta, & vniuersaliter ea quæ à sola intellectuali natura sciri aut fieri possunt. Ex eo enim quod non quærunt à Deo, nec à natura, nec à fortuna hoc expetunt, coguntur velint nolint fari quod ad dæmonem recurrunt, implicitè quidem, dum ad sortes vt ad institutas ad hunc effectum recurrunt, explicitè autem sicut in aliis diuinationibus & incantationibus contingit.

Spectaculum diuersis modis & causis prohibetur.

SPectacula impudica, crudelia aut irreligiosa, absque peccato non fiunt. Et si notabiliter admixtum horum aliquid habeant, mortale peccatum sine dubio incurritur à facientibus & præcipientibus illa. Spectantes autem si delectantur huiusmodi malis, proculdubio peccant mortaliter : delectio enim de peccato mortali peccatũ est mortale. Si autem præter opinionem occurrit hæc spectare quæ non placent, quilibet de seipso rationem reddat, quare non recessit: & communiter videtur veniale in huiusmodi casu, secluſa ratione scandali.

Sponsalitia triplicitèr possunt esse vitiosa.

SPonsorum per verba de futuro, peccata triplicia sunt. Primò, in ipso contractu sponsalium. Et tũc peccatur, aut quia fictè contrahuntur. s. intentione non contrahendi sponsalitia, seu non seruandi fidem : & est peccatum mortale pernicioſi mendacii. Aut quia clandestinè fiunt: & videtur etiam peccatum mortale: sicut de contractu matrimonii dictum est: quamuis minus graue quàm contractus clandestinus matrimonii. Aut quia pœna apponitur quasi

pœna

pœna couentionalis, contra prohibitionem iuris canonici in cap. gemma. de sponsal. & est peccatum veniale: si desit & contemptus præter hoc quòd pœna apposita nulla est: quia coniugia debent fieri liberè. Secundò, in dissolutione sponsalium. Et tunc peccatur peccato perfidiæ : quum scilicet absque sufficiente causa promissa fides non seruatur. Et est perfidia huiusmodi mortale peccatum , etiam si periurium non interueniat : quia est iniurioſa proximo. Tertiò, peccatur in vsu: vt si impudicis actibus vacent sponsus & sponsa. Sunt enim impudicitiæ mortalia peccata in ipsis in omnibus casibus in quibus apud coniugatos sunt mortalia: & tantò grauiora quantò adhuc neutrius corpus est alterius , sed promissum tantùm. Oscula tamen & amplexus inter sponsos beneuolentiæ causa non fiunt peccata: vt patet. Si verò delectationis causa fiunt affectu maritali inchoante absque impudicitia tamen, venialia sunt, quia sicut sponsa inchoatiuè est sponsi , ita delectatio venerea coniunctionis carnalis inter eos, inchoatiuè permittitur inter eosdem : constat autem oscula delectationis causa facta , non nisi inchoationem venereæ delectationis importare.

Peccatum stupri quid dicatur, & quòd semper peccatum mortale.

STuprum quo mulier virgo extra matrimonium defloratur , peccatum mortale est propriam constituens speciem. Notanter autem dixi mulier: quia licet virginitatis virtus communis sit vtrique sexui, stuprum tamen proprium est mulieris , vir enim virgo extra matrimonium primò concumbens, non peccat peccato stupri: quia non additur specialis deformitas sicut in muliere.

Exaltans seipsum supra id quod est, superbiæ peccatum incurrit.

SVperbia, qua quis seipsum exaltat seu supra seipsum it, peccatum est, quia cõtra rectam rationem est, vt aliquis supra id quod est, seipsum habeat, tam in actu æstimandi quàm eligendi. Inuenitur autem superbia dupliciter: vel consummata, vel imperfecta. Superbia consummata est, quum quis adeò seipsum magnificauit, vt ad hoc perueniat quòd nolit seipsum subiici diuinæ regulæ. Et hoc est peccatum mortale maximum, vt patet: quoniam nolle subiici diuinæ regulæ cõtemptus diuinæ dispositionis est. Spargitur autem huiusmodi consummata superbia per quatuor ramos qui species eius vocantur: quarũ tres per bona quæ quis habet, tripliciter diuersificantur: scilicet aut quum quis ita se extollit ac si non haberet bona à Deo, aut ac si ex suis meritis à Deo haberet, aut si singulariter despectis aliis haberet, & demum si per bonum quod non habet, ita extollitur ac si illud haberet. Consummata namque superbia in primo contemnit Deum benefactorem: in secundo, diuinã gratiam: in tertio, multiplicationem diuinæ largitatis in aliis: in quarto, diuinam miserationem, dum ex fastidio subiectionis ad diuinam dispositionem inducis.

Superbia verò imperfecta, qua se homo magnificat in suo affectu, non tamen vsque adeò vt velit se non subditum Deo & omnibus quibus oportet de necessitate salutis se subiici, in hac eadem imperfectè tamen ducit: quod melius ex effectibus discernitur quàm ex propriis actibus. Nam qui ita irreligiosum & ingratum se exhibet acsi non accepisset à Deo omnia quæ habet, superbum habet iuxta primam speciem affectuum, ex simili quippe effectu Apostolus inquit,

inquit. Quid habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis? vbi ex effectu gloriæ superbia interior monstratur, quasi non acceperit. Similiter quum quis affectum quasi securum de bonis quæ habet, aut querulum de bonis perditis, aut admiratiuũ quòd non exauditur à Deo, in secunda est superbiæ specie: quoniam quasi deberi sibi hæc existimat talis. Qui verò alios seipsum præfert & pronus est ad videndum imaginatione vel mente aliorum defectus, ad sua mala excusandum ad aliena ponderanda, in tertia est superbiæ specie, qua magnum se vult quasi solum magnum.

Qui denum parum solicitus de cœlesti patria, de membris Christi, de satisfactione peccatorum, dies suos pertransit quasi somnians aut parum vigilans, superbus est iuxta quartam speciem: est enim quasi existimans, imò præsupponens se ciuem cœlestem. Dei amicum, filium, membrum: quum negligentia & incuria huiusmodi non sint testimonia talium donorum in animo, operatur anim magna Dei amor, si est.

Et similiter in ordine ad proximos cruditas animi, incompassio ad alios, intolerantia iniuriarum, impatientia, ægrè ferre se despici, indignatio, & huiusmodi monstrant hominem plus de seipso sentientem quàm sit: pro quanto tantùm se quis habet malorum pœnæ particeps esse quasi non possit aut debeat.

Sunt autem hæc & multa alia quæ imperfectæ sunt superbiæ, communiter venialia peccata propter imperfectionem actus, dum per modum passionum occurrunt absque iniuria Dei & proximorum. Impediunt tamen huiusmodi peccata valde vitã spiritalem: vtpote ex genere superbiæ existentia: quum scriptum sit, Superbis Deus resistit. Et hæc dicta

sint non solum ad discernendum inter superbiã consummatam & imperfectã, sed pro confessoribus personarum volentium proficere ad vitam spiritalem: quandoquidem redeuntibus ad Deum quod vltimò relinquendum supereſt peccatum, superbia est: difficillimè enim eraditur.

Cultus diuinus debet omni superstitione carere.

SVperstitiio qua circa diuinum cultum erratur, peccatum est: vt patet. Sed quia quatuor specierũ ipsius duæ sunt tractatæ (scilicet diuinatio & idololatria) nunc reliquæ duæ, quæ sunt indebitus cultus veri Dei, & obseruatio quarundam rerum actuum, temporum, locorum &c. tractandæ sunt. Superstitio igitur exhibens vero Deo indebitum cultum, dupliciter inuenitur. Aut enim exhibet cultum indebitum, quia pernicioſum, aut quia superfluum. Scriptum est enim . Veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate. Cultus pernicioſus est contra veritatem cultus superfluus recedit à spiritu . Est autem cultus pernicioſus contra fidei veritatem, non solùm si quis Iudaicis ceremoniis modo coleret Deum significantibus Christum incarnandum: aut Mahumetano ritu coleret Deum (vtpote in persõna Ecclesiæ faciens contra ordinationem Ecclesiæ, ac per hoc falsarius in cultu) sed etiam si quis falsas sanctorum reliquias edendas proponit. Offerentes quoque votiuas statuas seu imagines miraculorum seu beneficiorum falsorum Crucifixo seu beatæ Virginis imagini lucri gratia (vt scilicet inde prouocati alii ad offerendum similia concurrant aut emant) superstitionem falsi cultus diuini incurrunt : quia falsus est hic cultus, vtpote significans quod non est. Et peccant mortaliter, quia irreuerentiam notabilem Deo inferunt

in actu

in actu colendi Deum, quantum est ex natura actus. Quamuis enim ex intentione offerentium non fiat machinatio contra diuinam reuerentiam, sed ad lucrum vel aliquid huiusmodi: ex natura tamen operis contra diuinam agitur reuerentiam. Sicut enim in periurio inducitur ex natura actus Deus, quasi testis falsitatis, quamuis periurans non credat Deum testificari falsum, nec intēdat quòd Deus attestatur (quia attestaretur contra ipsum periurii) ita hic superstitiosus vtitur Deo tanquam colendo falsitate seu falso cultu, quantum est ex natura cultus: quamuis sciat quòd Deo non placet, nec intentat Deum, sed homines fallere. Et propterea sicut ibi est peccatum mortale ex suo genere: ita & hic.

Superstitio autem diuinum cultum indebitum quia superfluum exhibens, si contemptus & scandalum desit, peccatum est communiter veniale: quia nō contra, sed præter diuinam reuerentiam hoc est. Et appellatur cultus superfluus secundum se quicquid in eo fit non ordinatum ad interiorem cultum qui est cultus spiritus. Vnde actiones aut iucunditates quæ solum ad exteriora vtiles essent, ad superfluum cultum spectant. Secundum verò statuta Ecclesiastica quicquid in eo dicitur aut fit supra rubricas seu statuta: vt si dicatur bis alleluia vbi semel scriptum est: & si fit in Missa crucis signum vbi non mandatur fieri: & si plures acolythi aut cantores quàm consuetum sit, parentur.

Obseruationum superstitio potest esse quadruplex.

SVperstitio autem obseruationum quadrifariam partita est. Et prima est superstitio obseruationum artis notoriæ: qua certa ieiunia & orationes fiunt secundum institutta illius artis ad acquirendum

scientiã per infusionem. Et hæc superstitio est peccatum mortale propter initam societatem cum dæmone, de cuius institutione hæc seruantur, & inutiliter: quia dæmonum non est infundere scientiam animabus nostris. Secunda est superstitio obseruationum, vtendo lapidibus, herbis, signis, animalibus, imaginibus, carminibus, ritibus ad faciendum aliquid: puta sanandum dolorem capitis, curandum caballum, sistendum sanguinem, medendum vulnus &c. Et de hac dictum est superius quum de incantatione dictum est, vide ibi. Tertia est superstitio obseruationum ex præsagiis futurorum bonorum vel malorum conceptis propter incidentia: vt si ilernutare contingit surgentem, redire ad lectum: & offendere ante hostium exeuntem, redire domum: & sic de infinitis huiusmodi vanitatibus. Et si hæc quidem fiant aut vitentur: vt communiter videtur fieri quia scilicet timent homines significari aliquid mali ex nescio qua causa, peccatum veniale communiter videtur: quia licet appareat multa horum ad gentilitatis superstitiones olim spectasse, quia tamen nunc non vt instituta religionis hæc sumuntur, sed tanqnam quasi experta aut solita ex maiorum traditione hæc habentur, inter alias hominum vanitates computanda hæc sunt: & tolerari possunt, quum nulla adest comes sinistra intentio. Et scias quòd potest homo quandoque absque omni peccato ex aliquo præsagio cauere prudenter ab imminentibus, dubitando ne præsens occursus sit signum futuri, ex communi vtriusque causa cœlesti, vel etiam diuina prouidẽtia, sicut de somniorum obseruatione & diuinatione dictum est: vt si quis cadens corporaliter timeat aliquẽ casum sibi futurum in statu vel honore &c. propterea tamen non desistat ab operibus prudenter agendis, sed cautus vigilet &c. potest enim esse vt iste casus

sus effectus sit causa futuri casus, & propterea significet illum. Quarta superstitio est obseruationum in verbis, aut rebus sacris portandis, dicendis, vtendis, adiunctis aliquibus conditionibus non malis quarum ratio nescitur: vt patientes spasmum neruorum, primo carlino oblato Christi cruci in parasceue vtuntur pro remedio, confecto ex illo annulo: & sic de similibus. Quantum enim apparet, in huiusmodi superstitio interuenit: quoniam vanæ conditiones apparent. Si tamen ex mera deuotione fiunt, & non nisi à Deo intendant & expectent effectum putantes Deum inspirasse alicui sancto viro huiusmodi conditiones, non audeo damnare, sed tolerabile mihi videtur.

Suspensio à diuinis officijs non semper est peccatum, sed pœna peccati vel alicuius vitij.

SVspensio vna ex censuris Ecclesiasticis (qua homo à iure seu à iudice excluditur ab exequutione ordinis vel officii Ecclesiastici) pœna est, non culpa: incurritur tamen communiter propter culpam. Non oportet autem peccare mortaliter ad hoc vt incurratur suspensio, sed potest ex solo veniali peccato incurri suspensio. Quod ex eo patet, quòd excommunicatio minor potest incurri ex solo veniali peccato. Constat autem excommunicationem minorem à maximis excludere scilicet susceptione sacramentorum omnium, quæ sunt maxima bona spiritalia & maximè necessaria ad humanam salutem, &c. Suspensio igitur ab exequutione ordinis vel beneficii, vel ab ingressu Ecclesiæ, vel à solennitate diuinorum, vel ab omnibus his & similibus excludens, non est tantæ malignitatis vt supponat vel

ferat secum peccatum mortale, sicut excommunicatio maior. Et potest suspensus absolui ab excommunicatione maiore & minore & à peccatis, & communionem sumere, & postea absolui à suspensione: quia suspensio non operatur nisi ad limites ipsius, hoc est, quasi si suspensio est ab ordine, non excludit nisi ab iis quæ sunt ordinis: si est à iurisdictione, non excludit nisi ab iis quæ sunt iurisdictionis, & sic de aliis, & propterea reliqua sunt licita. Casus autem quibus incurritur suspensio, multi valde sunt. Et quia solos clericos propriè tangunt, ipsi de seipsis loquantur.

Iudicans leuiter & per suspitionem peccare potest.

SVspicio, qua ex leuibus iudiciis malam de proximo opinionem habemus, peccatum est: quia actus est voluntarius à recta ratione dissonans. Non enim ex leuibus moueri in animo nostro debemus contra nostros proximos. Est autem nonnuulla iniuria, mala opinio absque rationabili causa. Et quoniam suspitio ambiguitatem quandam in seipsa claudit: ideo quandiu intra ambiguitatis latitudinem manet quantumcunq; crescat, nunquã est iudicium, quod definitiuam determinationẽ sonat: ac per hoc quantumcunque suspitio sit temeraria & vehemens, & æstimatio firma, nunquam est peccatum mortale: quia non est iudicium temerarium, sed æstimatio temeraria: quia non interuenit tunc completè contemptus proximi, dum non prorumpitur in definitionem. Si enim proximum cõpletè despiceret, prorumperet in definitiuam sententiam, & diceret in seipso, Ioannes in peruersę mentis, & non diceret in seipso. Quantum mihi videtur. Ioannes est peruersæ mẽtis. Hoc enim est suspicantis, illud iudicantis. Vnde

iudicium

iudicium temerarium de scelere personali proximi, est peccatum mortale: suspitio autem temeraria quantumcunque vehemens, est peccatum veniale.

Obloquutio amicitiam inter amicos minuēs vel destruens peccatum est.

SVsurratio (hoc est obloquutio ad amicitiam tollendam inter aliquos) peccatū est mortale ex suo genere: quia tendit ad nocendum proximo, vtpote tollere volens maximum bonum, scilicet amicum. Et est grauius peccatum quàm contumelia & detractio, quantò amicitia melior est fama & honore. Contingit tamen susurrationem esse peccatum veniale propter imperfectionem actus vel ex parte intentionis, quia non intendit contra amicitiam, licet materialiter dicat aliquid prouocatiuum cōtra amicum. Et hoc nisi ex grauitate nocumenti actus rediat in naturam suæ speciei: quia tunc esset peccatū mortale: vt de detractione materiali dictum fuit. Vel ex parte eius quod dicitur: puta quia minimum est ad prouocandum contra amicum. Vel ex parte modi, quia iocosè dicitur, & non seriò. Communiter enim hæc sunt venalia.

Temeritas dupliciter considerari potest.

TEmeritas (qua absque ratione regulante opera fiunt) manifestè peccatum contra consilii rationem est. Et dupliciter inueniri consueuit. Vel ex impetu appetitus passione affecti: vt apparet in iratis. Vel ex contemptu regulæ directiuæ: vt patet in superbis despicientibus aut quasi despicientibus subiici alienæ regulæ, & temerè propterea agentibus ea quæ fecisse postea pœnitet.

Est autem peccatum veniale vel mortale temeritas

secundum subiectam materiam. Si enim iocosa aut officiosa est materia, veniale peccatum est: Si autem pernicioſa, peccatum mortale est, quia contra dilectionem Dei aut proximi est.

Deum tentans præsumens explorare suam naturam, peccat grauiter.

TEntatio Dei (qua homo explorat diuinam potentiam, scientiam vel voluntatem) peccatum est mortale ex suo genere: quia irreuerentiam exhibet diuinæ excellentiæ dubitando de illa. Et hoc intellige formaliter: hoc est de tentatione Dei ex intentione tentandi Deū: quemadmodū de cæteris vitiis formaliter doctrina intelligenda est. Aduerte tamen hic duo. Primum est quòd circa voluntatem Dei aliud est quærere humiliter à Deo instructionem quid circa aliquid particulare velit, ex aliqua rationabili causa: & aliud est quærere à Deo instructionem seu notitiam eiusdem absque rationabili inquirendi causa. Primum enim ad charitatem, humilitatem, ac prudentem religionem spectat: & propterea liceret petere signum ad hoc opportunum. Secundum autem ad irreuerentiam diuinam spectat. Si enim diuinæ excellentiam voluntatis homo reuereretur, non nisi ex rationabili causa præsumeret quærere secretum illius velle nosse: vt experimur in hominibus, nullus enim absque irreuerentia principis quærit absque rationabili causa à principe quid ipse velit, sicut nec quid sciat aut quid possit. Secundum est, quòd tētare Deū materialiter (hoc est non intentione explorandi diuinū posse nosse aut velle) non est peccatum mortale, nisi magnitudo seu qualitas tentationis reducat actū in naturā suæ formæ: sicut de aliis peccatis dictū est.

Et

Et tamē Dei tentatio materialiter tantū, imperfectū quid in specie tentationis: & ideo venialis est propter imperfectionem actus ex parte formæ. Potest etiam esse venialis propter actus imperfectionem ex parte actus: vt in primis motibus.

Falsum in iudicio testimonium proferens grauissimè peccat.

TEstimoniū falsum in iudicio, peccatum est ex suo genere mortale: quia iniustū. Negare quoq; testimoniū si articulus necessitatis vrget, peccatum est mortale: vtpote in damnū proximi vel cōmunis boni cedens, præceptū enim affirmatiuū de ferendo testimonio, pro loco & tempore obligat, & propterea si tunc non vult homo parere perhibendo testimoniū necessariū, non excusatur à mortali. Extra iudicium autē falsum testimoniū iudicatur sicut mendacium.

Timor potest multipliciter effici peccatum.

TImor nullum est secundum se peccatum. Potest tamen multipliciter fieri peccatum. Et ex modo timendi, puta si plus aut minus timeatur quā oportet. Et ex collatione vnius timendi ad aliud timendū. Et hoc est quādoq; mortale: vt si plus timeatur occisio corporis quā mors animę: plus timeatur ira principis quàm ira Dei: & sic de similibus.

Ponitur quoque speciale peccatum timor pro tristitia de bono alterius, quia nocium est mihi aut aliis, si temerarius est timor, nā si veritati aut rationabili æstimationi innititur, nullum est peccatum moderata tristitia de alterius prosperitate ex qua bonorum oppressio venit.

Ludus ad virium ostentationē in quo mors corporalis sequi possit, prohibitus est.

Tertia

TOrneamentum (hoc est ludus quo ad ostentationem virium & audaciæ milites multi ex condicto conueniunt & congrediuntur temerè: ita vt sæpe mortes hominum inde proueniant) peccatum esse mortale constat ex admixta pernicie vitæ humanæ, siue in effectu, siue in periculo frequenti, absque rationabili causa. Vnde tales ibi vel propterea mortui carent Ecclesiastica sepultura, etiamsi ad pœnitentiam conuersi fuerint: vt canonica iura disponunt.

Rempublicam tirannicè occupare peccatum est grauissimum.

TYrannus qua respublica occupatur (vel quantum ad dominum vt contingit iis qui se vt dominos constituunt, siue immediate siue mediante, coacto consensu subditorum. Vel quantum ad effectum modumque regiminis: vt contingit iis, qui quamuis veri sint Domini, non quærunt publicum bonum sed proprium) est peccatum mortale grauissimuum: vtpote contra bonum publicum & tantò peius quantò remotius est à pœnitentia. Regnandi siquidem amor tantus est, vt non permittat tyrannum quò ad dominium conuerti ad pœnitentiã, vtilis quoq; boni proprii amor radicitus, difficillimè euelli potest.

Sed nunquid gubernante tyrannno (qui scilicet non habet legitimè dominium sed tyrannicè occupat illud) peccent illi qui recurrunt ad ipsum pro iustitia? quia inducunt illum ad actum quem non potest licitè exercere.

Respondetur quod excusantur à peccato inducendi tyrannum ad actum & opus sibi illicitum petentes ab illo iustitiam: quia non petunt actum illicitum, sed iustitiam actus illius illiciti. Sicut enim luxuriosa sanctè consulitur vt non adulteretur sed fornicetur, hoc est minus malum committat: quia subintelligitur si luxu-

si luxuria vti visitia occupatori domini sancte suadetur quòd minus male vtatur domino illo, constat autem quòd minus male vtitur qui vsurpato dominio vtitur in actibus aut operibus aliâs iustis, quam si in actibus aut operibus aut etiam omissionibus iniustis & perniciosis Reipublicæ aut particulari personæ vteretur. Eadem ante ratio est de suadente & petente. Et propterea piè interpretandæ sunt petitiones tam iustitiæ quàm honestæ gratiæ quæ offerantur tyrannis: scilicet si vis, seu ex quo vis detinere & exercere hoc dominium, vtere illo iustè, vtere honestè, vtere piè, vtere ad vtilitatem publicam & priuatorum prout deceret dominum. Attestatur quoque hoc esse licitum communis vsus omnium qui sub tyrannis & dubiis Dominis degunt: dum absque conscientiæ scrupulo passim omnes ad tyrannos & dubios dominos recurrũt, ac si essent domini. Hoc enim signum est licitum esse hunc ad tyrannos recursum: quia alienum à ratione est, vt omnes (inter quos sunt viri probi) errent, & peccent absque remorsu conscientiæ. Attestatur etiam supradictæ piæ interpretationi intentio recurrentium ad tyrannos: constat namq; quod non intendũt ipsi petere: vt tyrãnus vtatur tyrannide, vt vsurpet actum iudicii: quoniã malent vt cederet tyrannidi & iudicio: sed ex quo vsurpat sibi dominum ac iudicium, intendunt vt iustè, vt piè vtatur vsurpato dominio & vsurpato iudicio. Et quod intendunt, hoc petunt: ita quòd nec intendunt nec petunt actum vsurpatum, sed qualitatem sanctam in actu vsurpato exercendo.

Vectigal diuersis respectibus dici potest iniquum.

VEctigalia iniqua non solùm sunt quæ imponuntur à non habentibus potestatem, vtpote tyrannis,

rannis, sed quæ ex forma vel ex fine, aut ex abusu, aut ex materia constat esse iniqua. Et ex forma iniusta vectigalia sunt quæ æqualitatem proportionalem non continent, sed plus grauant minus grauandos, sicut enim communes honores æqualitate proportionali distribuendi sunt: vt digniores plus honorentur &c. ita onera communia sic distribuenda sunt vt secundum ratam à quolibet tolerentur: & propterea iniusta ex forma sunt vectigalia quæ onerant improportionaliter: hoc est plus grauant minus grauandos. Et hæc manifestè videntur, quæ pro iis quæ vehuntur, ad vsum proprium exiguntur: quoniam radix vsus est indigentia: ita quod quanto homo magis indiget, magis vtitur, qui enim plures habet filios plus indiget, ac per hoc plus vtitur: & sic consequenter plus soluit vectigalis: ac per hoc de primo ad vltimum qui plus indiget, plus grauatur vectigalia, quod est iniquum. Gabellæ igitur pro iis quæ differuntur pro vsu proprio, iniquæ sunt: & secundū leges ciuiles (C. de vectig. l. vniuersi.) pœna capitis plectendi sunt exigentes tam pro iis, quæ deferuntur pro vsu, quàm iis quæ deferuntur pro seminandò, quàm iis quæ deferuntur ad fiscum. Vnde huiusmodi vectigalia non tenentur homines soluere. Sunt quoque iniqua ex fine vectigalia, quæ non pro publica vtilitate, sed pro bono proprio principis imponuntur. Nec obligantur subditi ad soluendum huiusmodi vectigalia: quoniam tyrannica non politica sunt huiusmodi vectigalia ex proprio fine. Sunt etiā violenta ac iniqua ex abusu vectigalia imposita ritè pro temporali necessitate, puta pro muris ciuitatis construendis, si post completa mœnia perseuerat illorum vectigalium exactio, quia princeps sic vult. Violentæ namque rapinæ sunt manifestæ: & propterea non obligant in foro conscientiæ. Simi-

liter

liter non obligant, si imposita sunt pro construendis muris, & tamen non applicantur ad muros construendos nisi pro forma, sed imbursantur à principe aut rectoribus. Et breuiter si non fit id pro quo imposita sunt vectig. iniqua sunt ex abusu, & si fraudes aut rapinæ sunt: nec tenentur subditi soluere in foro conscientiæ.

Reputantur quoque ex ciuili iure iniqua vectig. ex materia, quæcunque imponuntur super aliis quam super iis quæ causa negotiationis vehuntur. C. de vectig. l. omnium. Et extenditur negotiationis nomen in proposito ad vænalitatem: ita quod quæ deferuntur ad vendendum, sunt materia vectig. reliqua quæ pro vsu suo & familiæ suæ deferuntur, exempta sunt à vectig. licitis. Vnde non ligant in foro conscientiæ huiusmodi illicita vectig. ex materia. Iustorum autem vndique (.s. ex agente, forma, fine, vsu ex materia) vectig. fraus peccatum est mortale ex suo genere: vtpote nocumentum inferens reipu. & ad furti vitium spectat: ita quòd peccatum mortale interuenit in hac substractione, non ex obedientia præcepti obligantis ad mortale, nec ex vinculo pœnæ appositæ contra transgressores, sed ex natura debiti reipub. non soluti, quomodocunque sonet statutum: quia eo ipso quod vectigal iustum est, tollit homo fraudulenter reipu. quod suum est. Nec refert an respublica per suos ministros sibi exigat, an per eos quibus ipsa vendidit: quia vectigal reipub. soluitur, cuicunque soluatur: & à repub. tollitur quandocunque non soluitur & nihilominus iniuria fit illi qui emit, tanquàm subrogato. Nec excusat fraudem à peccato mortali, quia institutores vectigalium & emptores præcognoscunt quòd fiant multæ fraudes absque restitutione, nisi comperiantur in facto fraudes; sicut non excusantur dispensa-

tores rerum communitatis, aut dominii aut ciuis à crimine furti, ex hoc quod communitas aut dominus aut ciuis præscit hniusmodi suos dispensatores fraudulentos esse: sicut nec Iudas excusatur à furto ex loculis, ex eo quod Dominus prægnoscebat quòd fur erat. Institutio enim & venditio & emptio vectig. intelligitur secundum id quod debitum est. Et licet necesse sit vt fraudes eueniant, væ autem homini illi per quem fraus venit.

Notanda sunt plura in materia vectigalium.

OCcurrunt circa vectigalia adhuc quinque notanda. Primùm circa authores. Nam secnndum canonica iura, extra de verb. sig. super quibusdam. declaratur illa esse pedagia, salinaria, ac guidagia interdicta, quę non apparent, Imperatorum, vel Regũ, vel Lateran. Concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tẽpore cuius non extat memoria introducta: ita quòd quantum est ex parte authoris, quatuor numerantur legitimi authores. s. Imperatores, Reges, vniuersale concilium, & antiqua consuetudo sine memoria initii.

Et scito quòd sub appellatione concilii claditur Papa etiam solus, quia ab ipso concilio authoritatem habet. Et similiter sub appellatione Regum comprehendi videntur ciuitates habentes merum & mixtum imperium, non recognoscentes superiorem aliquem in temporalibus sub quo sint: quia eadem ratio videtur de istis & regibus. Imponentes autem noua pedagia vel augentes antiqua sine legitima authoritate peccant mortaliter rapinæ crimine. Secundum circa exactores, quod exactores iniustorum vectigal. si sunt iniusta manifestè vel ex parte authoris, vel formæ, vel finis, vel materiæ, vel

abusus

abusus & breuiter quomodolibet sint iniusta manifestè, non excusantur ab iniquitate mortali. Si autem non sunt manifestè, iniusta sed in dubium ab aliquibus vertuntur, aliis affirmantibus iusta, excusare videntur subditi exactores: quia in dubiis obedientia excusat. Qui verò non sunt subditi, aut non ex obedientia faciunt non debent se periculo iniustæ exactionis exponere. Et nihilominus memento excommunicationis contra exactores pedagiorum prohibitorum. Tertium circa exemptos à vectig. Nam à clericis & personis Ecclesiastic. pro se aut rebus suis quas non negotiandi causa deferunt, exigi nequeũt vectig. cap. quanquam. de censib. libro sexto. Vbi habes censuras Ecclesiasticas, scilicet excommunicationis cõtra singulares personas, & interdicti contra communitates, donec extorta restituerint. Quartum circa præsumptionem iuris de vectig. quia in capitulo, quanquàm de censibus. in vi. dicitur quanquam pedagiorum exactiones tam iure canonico quàm ciuili regulariter meritò sint damnatæ: Ex hoc nanque textu apparet, quòd communiter vectig. quæ & pedagia vocantur, sunt damnata. Et intelligo hoc verificari propter materiam, quia limites negotiationis excedunt: & propter formam quãtum ad immoderatum valde grauamen: & propter nouitatem: & propter iniustam causam aut in principio, aut in prosecutione. tot nanque conditiones exiguntur ad iusta vectig. vt difficile fortè sit inuenire vectigalia iusta: & propterea meritò damnata regulariter dicuntur vtroque iure humano. Exigitur siquidem ad iustitiam vectigalium. Primò, legitima auctoritatis imponentis, de quo dictum est. Secundò, iusta causa finalis, quæ est solum bonum publicum. Tertiò, iusta forma, & vt non violetur iustitia distributiua, & vt non sit immoderatum grauamen. Quartò, iusta materia: quæ

solùm comprehendit res negotiatorias. Quintò, iustus vsus: vt scilicet fiat illud publicum bonum pro quo imposita sunt: & demum quòd temporalia non prorogentur vltra suum tempus. Vbi nota quòd quia defectu auctoris censentur illicita, si non apparet aliquis quatuor supradictorum auctorum (ita quòd non presumitur pro iustitia vectigalium ex parte auctoris, sed contra illam si non apparet: vt in dicto c. super quibusdam clarè patet) similiter presumendum videtur contra iustitiam vectig. secundum alias conditiones si non apparent, tantò magis quanto regulariter dicuntur damnata. Et hæc dicta sint vt prudens confessor in iis quæ non apparent iusta, non cogat pœnitentes ad restituendum exactoribus vectigal. Quintum est circa collectas. Prouerbium est, Facta lege, inuenta est malitia. Quia vectig. quæ pedagia dicuntur, & vulgò appellantur gabellæ vel doanæ, &c. tot laqueis ac damnationibus subsunt, & de facto exiguntur gabellæ non solùm pro mercaturæ rebus, sed rebus ad vsum, miserti doctores multarum animarum, adinuenerunt, quod licet non possint per modum vectig. imponi gabellæ pro vsu, possint tamen per modũ collectæ imponi à communitatibus, hoc adiecto moderamine, quòd imponant suis subditis tantùm, ita quòd forenses non teneantur. Sed distinctione hic opus est.

Nam hac in re aliquid est iuris, & aliquid est facti. Spectat siquidem ad ius, an collectæ huiusmodi sint licitæ. Et si quidem verum est quod dictum est (scilicet quòd distributio onerum communium commensurata iis quæ vehuntur ad vsum, est iniqua ex forma, quia plus indigens plus vtitur: ac plus grauatur) collectæ istæ iniquæ sunt: apparet quoque alia iniquitas in istis: quia pro iisdem rebus non negotiatoriis æquè grauatur pauper sicut diues. Collectæ nam-

que

que pro communi bono grauantes singulos, deberent commensurari personis iuxta earum facultates, & non quòd tantùm soluat pauper quantum diues. Si tamen communitates sibiipsis imponentes collectas, non ad commensurandum solutionis rebus pro vsu vel non vsu, sed pro expedienti ad quietem & pacem ciuium modo colligendi pecunias opportunas, approbarent talem modum collectarum, vt quilibet ipsorum soluat in porta secundum ea quæ defert per portam, non video damnationem aliquam: quoniam si pro communi bono quietis, & pacis seipsos tali modo grauare eligunt, nulli iniuriam faciunt. Et ad hoc, vt arbitror, tendunt doctores excusantes huiusmodi collectas etiam pro iis quæ deferũtur ad vsum. Essent quoque in collectarum impositione & duratione causæ supradictæ considerandæ ex parte finis & vsus: quia sine illis non sunt iustæ nec obligant in foro conscientiæ ad soluendum illas. Ad factum autem spectat an secundum veritatem istæ exactiones sint collectarum, an solo nomine ab excusantibus dicantur per modum collectæ. Differentia siquidem inter collectas & vectig. est, quòd vectig. imponuntur omnibus per portam aut passum, &c. vehentibus, siue sint subditi siue peregrini: collectæ autem cantant quòd soli ciues aut subditi, &c. Et propterea quum constet, quòd omnes transeuntes oportet soluere constat quòd non collectam, sed gabellam per modum gabellæ imposuerunt & exigunt. Et quid adhuc egemus testibus, si etiam ab omnibus gabellæ vocentur? ita quod & nomen & rem gabellæ habẽt, ac per hoc iniquitatem. Non est igitur ingerendus conscientiæ scrupulus non soluentib. huiusmodi vectig. tam malè excusata ex colore collectarum.

Venationis vsus an & quando peccatum inducat.

VEnatio secundum se nullum est peccatum: quia est vsus naturalis dominii homini præstiti super animalia. Per accidens autem est peccatum multipliciter. Primò ex incircunspectione in actu venandi vt si fiat cum periculo aut damno proximi, non considerando si homo percuti possit, aut si damnum inferatur agris seu vineis, &c. Et tunc iudicandum est peccatum secundum temeritatem, periculum & damnum, si emersit.

Secundò, ex conditione personæ cui prohibitum est venari: vt si sit clericus, nam cuilibet clerico interdicitur venatio, & syluatica fatigatio cum canibus, & accipitres aut falcones habere. c. omnibus. extrà de cle. vena. Et constitutis in sacris pœna suspensionis imponenda statuitur, si quis talium personarum in hac voluptate venationis sæpius detentus fuerit. ibidem. c. Episcopum. Tertiò ex conditione temporis, quia scilicet venatio, impedit à debito cultu Deo tunc exhibendo: vt si quis propterea omittat Missam, aut seruitores suos ad hoc occupando impediat audire Missam. Et simile est iudicium de aliis diuinis, quibus interesse debet iuxta doctrinam Ambr. quæ habetur 96. dist. c. an putatis. Quartò, ex immoderato affectu, ex quo c. facilè omnia humana opera fiunt peccata. exosa autem inuenitur venatio S. Hieron. & Ambro. quia ad peccatum implicat: & fortè specialiter quia abducit dominos à necessariis expeditionibus, dum propter venationes minorem gerunt curam subditorum, subtrahuntque seipsos reip. aut quia animum quasi ferocem facit, aut in prosecutione & persecutione animalium cum delectatione. Ex quocunque autem accidente fiat mala venatio, certum est

non

non esse malam ex suo genere. ac per hoc constat esse licitam debitis adhibitis circunstantiis. Efficitur quoque quintò illicita venatio, si propterea dominus priuat populum libertate capiendi animalia syluestria quæ in nullius sunt bonis, in eo vbi consueuerunt esse capientium: ita quod nec ex parte animalium possessor aliquis damnificetur, nec ex parte loci alicui fiat iniuria. Huiusmodi enim priuatio tyrannica est: vtpote contra bonum communis libertatis & vtilitatis propter bonum propriæ dilectionis: & pernicioſa est si pœnam notabilem adiiciat. Secus autem est, si ab antiquo cuius initii non extat memoria, venationes reseruatæ sunt domino. & tunc etiam debet pœna moderata esse.

Venditio potest multis respectibus esse vitiosa.

VEnditio, licet nullum sonet peccatum, multis tamen modis peccatum fit. Primò, ex quantitate pretii: vt si vendatur res pluris quàm valeat, vel in se secundum communem æstimationem seu vsum, vel vendentis. Nam licitum est vendenti pluris vendere, si plus valet sibi, non quia pluris emit, sed quia cõmoda sibi tantùm est, vt licet valeat decem, sibi tamen valet viginti. Secundò ex fraude in substantia rei: vt si quis vnam rem vendit pro alia: vt aquam pro vino, vt faciunt miscentes vinum in vegete, aut mel pro zucharo, vel fumum terræ pro reubarbaro, &c. vt faciunt mali aromatarii in cõfectionibus & medicinis, &c. Et hinc in multis artibus fraudulenta ac iniqua redditur venditio vendendo vnam rem in toto vel in parte pro alia. Et est ex suo genere fraus hæc mortalis. Tertiò, ex fraude in qualitate rei: vt si vitiosam rem vendit pro non vitiosa. Est enim hic fraus & iniquitas manifesta. Secus autem si vendit rem (puta caballum)

ballum) vt est explicans se nolle pro defectu tenere: tunc enim si non pluris vendit quàm in veritate valeat, omnib. defectibus consideratis, nō peccat: quamuis emptor fallatur à seipso, sic quod si sciret tot defectus, non emeret. Sed si vendit pluris quàm valeat in veritate, peccatum est iniustitiæ in foro conscientiæ. Et est mortale ex suo genere: quia nocumentum infert proximo iniustè. Quartò ex fraude in quantitate mensuræ, ponderis, aut numeri: quod constat esse mortale. Quintò, ex monopolio augmentatiuo pretii. Nam & monopoliū est prohibitum: & quantum de pretio augetur ex monopolio, tantum iniquitatis apponitur pretio. Nec excusantur huiusmodi mercatores ex concessione dominorum: quia nec ipsi domini excusantur à rapina dum emptores coguntur emere tanto pluris, quia non possunt aliunde emere. Est enim monopolium huiusmodi non solùm in priuatorum hoc damnum, sed communis libertatis offensiuum: & ideo non est tolerandum. Sextò, ex temporis expectatione: vt si pluris vendat quàm valeat, quia non nunc sed post annum pretium expectat. Est tamen hic grano salis opus, primò ratione latitudinis pretii. Non enim consistit iustum pretium in puncto, sed distinguitur trifariam: aliud siquidem est pium, aliud moderatum, aliud rigorosum: Hinc enim fit, vt res eadem in eodem loco ac tempore vendatur decem, vndecim, & duodecim: ita quòd intra huiusmodi latitudinē reputatur pretium iustum. Et propterea si venditor soluenti nunc dat pro decem, & soluturo ad annum non vult dare nisi pro duodecim, iniustus non est: quia non exit terminos iusti pretii. Sed si vellet quatuordecim, iniustè venderet & ad vsuram reducitur: vt infra de vsura, patebit. Ex dicta autem pretii latitudine contingit vt in eadem die prudens negotiator multum lucretur, emendo in

do in pretio miti,& vendendo in rigoroſo. Secundò ratione dubii. Nam ſi quis merces ſuas non eſſet in veritate nunc venditurus, ſed ſeruaturus in tempus aliud, in quo creduntur veriſimiliter plus valituræ quàm nunc,non intelligitur vendere pluris iuſto pretio,ſi pluris vendat quam nunc valeant. Quod poteſt dupliciter fieri. Primò, vt vendat nunc pro illo pretio quod tunc valebunt communiter ſiue plus ſiue minus. Et hoc caret omni ſcrupulo. Secundò,vt ex nunc determinetur pretiſi. Et ſic oportet pretium eſſe moderatum,ita quod ſtet intra limites dubii futuro illo tempore pretii.verbi gratia: ſeruandum frumentum ad menſem Maii,veriſimiliter creditur quòd valebit decem, & quòd poterit plus aut minus valere,nunc verò valet octo, licitum eſt mihi qui ſeruaturus ad illud tempus eram, vendere nunc decem ex quo veriſimiliter dubitatur quod plus aut minus tũc valebit: vt patet in cap.nauigant.extra de vſur. Septimò, ex pacto de retrouendendo: ſi minoris vendit quam valeat: quia palliatur ſub venditionis nomine mutui acceptio. Et tunc in venditore peccatum eſt, pro quanto participiat in crimine cum vſurario,ſi inducit eum ad hoc. Verùm ſi iuſto pretio venditur, adiungitur pactum de retrouendendo & interim locando eidem qui vendit ſub annuo cenſu honeſto, cenſetur venditio licita cum omnibus adiectis pactis. Et fit frequenter huiuſmodi venditio à conſtitutis in aliqua neceſſitate, nolentibus tamen abdicare à ſe vſum illius agri ſeu domus quam vendunt. Et ſi rationem quæris,vide commentaria noſtra in ſecunda ſecundæ. Octauò,ex loco vel tẽpore prohibitis: vt ſunt tempus ſacrum,& locus ſacer. Diebus nanque feſtis Deo dicatis non licet videre niſi ad minutum quæ ad cibum & potum ac medicinã vel articulum aliquem occurrentis neceſſitatis neceſſaria ſunt. Tolerantur

quoque illa quæ ex consuetudine nundinarum aut aliter currunt vt diffusè in verbo festi dies, habes. In locis quoque sacris (vt in verbo imminutas, habes) prohibitum est vendere, eiiciente Domino vendentes de templo.

Actus vindicationis quandoque virtuosus quandoque vitiosus esse potest.

VIndicatio duplex inuenitur. Prima, quæ exercetur per principem seu iudicem contra malos. Et hæc est opus iustitiæ sanctum. Altera est quæ fit seu appetitur ab homine priuato: & hæc licet possit esse iusta, frequentissimè tamen est mala, & quantum ad effectum & quantum ad exercitium. Nam quantum ad opus, vindicare se vel alios est illicitum cuilibet priuato, nisi quò ad actionem defensiuam, qua vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ: quia punire est actio habentis potestatem super eum qui punitur: ac per hoc est illicitum imò vsurpatum, si à non habente super illum potestatem vindicta fiat.

Quantum verò ad appetitum, nullum est peccatum appetere vindictam, hoc est iustam punitionem: quia hoc est appetere iustitiam. & scriptum est: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam. Sed causa appetendi peccatum ingerere potest: vt si ex odio, exsatiandi animi mei gratia vindictam affectem. Est igitur in appetitu vindictæ peccatum, tum si quis vult per seipsum facere vindictam, tum si ex malo animo contra hominem vult per iudicem vindictam fieri. Oportet enim hoc fieri & appeti cum dilectione hominum, & odio vitiorum, pro bono iustitiæ, pro bono pacis: vt alii non audeant contra bonos insurgere, & ne impunitas delictorum pariat incentiua vitiorum,

rum. Sic enim licet non solùm appetere, sed quærere per officium iudicis vindictam illorum qui se vel alios offenderunt.

Consecratio virginum quando sit illicita.

VIrginum consecratio illicita redditur, si in veritate virgo non est quæ consecratur. Nec excusatur ex hoc quòd occulta est virginitatis amissio, & scandalum esset, si non consecraretur: quia in sacramentalibus Ecclesiæ actionibus non debet interuenire fictio, sicut nec in sacramentis. Et quia fictio ista qua vt virgo se ingerit consecrationi, quæ virgo non est, iniuriosa est sacramentalibus Ecclesiæ, peccatum est mortale ex suo genere. De remedio autem multis dato occultè violatis virginibus consecrandis ad euitandum scandalum scilicet vt nomen virginitatis in nomen castitatis aut continentiæ muretur dicendum videtur quòd vanum est, quia si officium consecrationis virginũ perspiciatur, apparebit quod aut oportet virginem consecrare per illud officium, aut illud omittere sicut per officium quo consecratur Episcop. oportet Episcopum consecrari: & similia. Nec puto doctorem aliquem qui officium huiusmodi viderit, hoc consuluisse: sed solummodo quod aliquæ ceremoniæ illius officii & aliquæ illius orationes, mutato virginitatis nomine in nomen castitatis, fieri vel dici possunt: vt vel sic appareat illam benedici ad vitandum scandalum quod à ratione alienum non est. sed aduerte quod virginitas sumitur in proposito, vt est nomen status, ita quòd sufficit ad consecrationem quod sit virgo secundum carnis integritatem. Tum quia Ecclesia vtitur nominibus vt plures vtuntur. Virginitas autem communi vsu est nomen status: vt patet ex vsu. Et in Euangelio virgines distinguuntur in fatuas & prudentes. & Paulus virgines distinguens

in castas & non castas denotat dum dicit, Despondi vos vni viro virginem castam exhibere. Et confirmatur: quia aliter Ecclesia daret occasionem fallendi, nam & mulieres & puellæ cum toto mundo vocant virgines quæ carnis retinent integritatem. Et propterea si aliud quàm hoc Ecclesia exigeret, quum ponit à puellis consecrandis si virgines sunt falli oportet Ecclesiam: & tamen puellæ non decipiunt Ecclesiam dicentes se esse virgines quandiu carnis retinent integritatem quia hoc intelligunt per esse virginem. Et confirmatur adhuc quia in Pōtificali Romano postquàm dictum est quod Pontifex diligenter inquirat ante consecrationem de ætate xxv. annorum, & proposito seruandi virginitatem, subiungitur: Et insuper seorsum cum qualibet consecranda, de vita & conscientia & carnis integritate. Vbi clarè patet explicari quod per virginitatem intelligat Pontifex inquirens scilicet carnis integritatem. Et hæc sunt dicta, ne putet quis puellas integras carne, mente autem & negligentia seu complacentia pollutionum delectabilium corrūptas à consecratione repellendas esse, quia irreparabiliter perdiderunt virginitatis virtutem. Possunt enim consecrari: quia sunt verè virginis secundum statum, licet non secundum virtutem.

Prælati possunt peccare suum gregem visitando.

VIsitatio (qua Episcopi seu Prælati visitant gregem suum) illicita redditur si non conformetur sacris Canonibus, & specialiter formæ præceptæ in lib. vi. de censi. cap. Romana.

Contēptus extremæ vnctionis peccatum est.

VNctionem extremam quamuis non teneatur homo accipere vt necessariam ad salutem, contemptus tamen illius peccatum est mortale, non mi-

nus

ſius quàm quilibet alius contemptus aliorum mandatorum Eccleſiæ.

Violatio votorum ſemper damnabilis eſt.

VOti violatio peccatum eſt mortale: quia eſt perfidia contraria fidei Deo debitæ ex promiſſione ipſi Deo facta. Eſt nanque votum promiſſio Deo facta de bono. Eſt autem promittere conſtituere ſe debitorem eius quod promittitur.

Et propterea ſicut ad virtutem fidei ſeu veracitatis pertinet vt ſeruetur promiſſio facta homini ita ad virtutem fidei religioſæ ſpectat vt ſeruetur promiſſio facta Deo de re illi grata. Et conſequenter irreligioſæ perfidiæ eſt violare promiſſionem factam Deo de re Deo grata, quam promiſſionem vocamus votum. Et ſcito quòd quando factum eſt votum de illo bono ad quod quis non tenebatur: perfidia voti eſt ſpeciale peccatum mortale. Quando verò factum eſt votum de illo bono ad quod omnino tenebatur, perfidia voti eſt circunſtantia mutans ſpeciem, & neceſſaria ad confitendum: vt ſi quis vouit non fornicari, ſi poſtea fornicatur, crimen illud eſt & in ſpecie fornicationis, & in ſpecie perfidiæ irreligioſæ.

Materia voti diuerſis reſpectibus eſt conſideranda.

ET quoniam frequenter contingit confeſſores de votis iudicare, ideo diffuſiorem oportet ſermonem facere. Primò, ex parte materiæ. Secundò, ex parte vouentis. Tertiò, ex parte impedimentorum occurrentiũ. Quartò, ex parte diſpenſationis ſeu cõmutationis. Quũ enim materia voti ſit ſolũmodo bonum aut ſub præcepto aut ſub conſilio diuino contentũ, alienũ à voti materia ſcito omne illicitũ, omne quod eſt contra conſiliũ diuinũ, & omne indifferens: ita

ita quod si quis voueat aliquid illicitum (puta occidere hominem, aut dicere verbum otiosum) vel aliquid contra diuina consilia, puta non ingredi religionem, non mutuare, non fidei iubere, non facere eleëmosynam, vel aliquid indifferens ad morale bonum vel malum, vt non ire ad talem domum, vestiri veste alba, non est validum votum: quia non est votū: quia promittitur Deo quod Deo non placet. Sed occurrūt hic multa declaranda. Et in primis quòd qui de facto vouet aliquid illicitum, aut contra consilium, aut indifferens, peccat vouendo, quia abutitur voto, & quandoque quidem mortaliter, quandoque autem venialiter. In tribus siquidem casibus peccat mortaliter vouendo. Primus est si vouet committere aliquod opus quod est mortale: vt occidere, mutilare, &c. Secundus est, si vouendo non faceret ea quæ sunt consilii, habet animum ita pertinacem, vt intendat obligare se voto etiam in casu in quo concilio habet vim præcepti: puta non mutuare patienti extremam necessitatem: & sic de aliis. Tertius est, si vouendo huiusmodi vota stulta & displicentia Deo, cognoscit quid facit, hoc est quod attribuit Deo id quod Deo non conuenit: scilicet acceptare huiusmodi vincula vororum, & tamen vult hæc vouere. Nam esset peccatum blasphemiæ huiusmodi votum: vtpote quod sciens & prudens attribuit Deo quod Deo non conuenit. Secus autem esset si crederet Deo displicere hęc vota, sicut peccata venialia displicent Deo, & nihilominus credens votum valere, aut saltem quòd valeat quantum valere potest, faciat huiusmodi vota: nam tunc venialiter tantùm peccat excusante illum ignorantia communi, & existente intentione non mala, sed promissione stulta. Venialiter autem semper peccat vouens quodcunque horum: quia displicet Deo stulta promissio: qualis est tam indifferentium quàm

oppo-

oppositorum consiliis, quàm venialium promissio Deo exhibita. Circa illicitorum deinde vota, nota contingere hæc sex modis.

Primò, promittendo opus in se illicitum, vt si quis voueat occidere aliquem. Secundò, promittendo opus bonum vestitum malo fine: vt siquis voueat dare eleëmosynam ob inanem gloriam. Et neutrum horum est votum: sed peccatur vouendo ad implendum. Tertiò, promittendo licitum ob illicitam petitionem obtinendam: vt si quis vouerit offerre Deo mille aureos ad occupandum ciuitatem non suam. Et hoc votum blasphemia est non votum: quia est facere Deum actorem seu patronum criminis. Quartò, promittendo Deo licitum pro obtento illicito quasi recompensationem seu gratiarum actiones: vt si quis vouerit se sacrificium Deo oblaturum pro obtenta aliena vxore. Et hoc quoque blasphemia, non votum est. Quintò, promittendo licitum pro petitione licita, ex turpi tamen causa pendente: vt si quis habens concubinam voueat Deo centum aureos, si concesserit sibi ex illa filium. Et hoc votum est verè votum, & obligat si conditio extat: quoniam votum non cadit super illicito coitu, sed super dono filii, præsuppositio illicito concubitu. Non tenetur tamen retinere concubinam, vt faciat quòd in se est ad implendum votum: quia præsuppositum est malum & illicitum. Sextò, promittendo licitum non pro aliqua petitione obtinenda, sed purè conditionaliter apponendo euentum illicitum: vt si quis voueat se ingressurum religionem si committet adulterium, ad hoc vt caueat ab adulterio, vel vt pœnitentiam faciat de adulterio, vel absolutè intendit in tali euentu obligare se ad tale votum. Et huiusmodi vota sunt verè vota conditionalia: & obligant euenientе conditione, & non aliàs. Circa indifferentium vota aduerte, quòd

promittere Deo indifferētia, (vt sunt ea quæ nec bona nec mala sunt) est stultū. Prouenit enim ex stulta de Deo imaginatione, quasi Deo placeant humana, hoc est voluntaria opera quæ non sunt moraliter bona: vt nō filare in sabbato, non pectere caput, &c.

Verum hoc intelligendum est de operibus indifferentibus manentibus in sua indifferentia. Nam si opera indifferentia ex aliquo respectu fierent bona vel mala moraliter, tunc cadere possent sub voto. Verbi gratia, tam ire quàm non ire ad domum Ioannis, est opus secundum se indifferens: sed si in Ioannis domo sit vere fiat aliquid attractiuum mei ad malum (puta ludus, vel mulier attrahens, &c.) tunc ire ad domum Ioannis non est indifferens, sed declinat ad malum, & non ire declinat ad bonum. Et propterea si in huiusmodi casibus vouerit quis non ire ad Ioannis domum vt caueat sibi votum est validum. Si tamen ex Ioannis domo cessaret ludus aut mulier, & breuiter ratio mali, cessat obligatio voti: quia cessat voti materia. Ex hoc ipso enim quòd non ire ad domū Ioannis non habet amplius rationem cautelæ seu præseruatiui à periculo reddit in naturā indifferentis: & sic non est amplius materia voti. Hæc de materia voti.

Conditiones quatuor ex parte vouentis examinandæ.

EX parte autem vouentis quatuor conditiones occurrunt: scilicet fallacia, imperfectio actus, imperfectio ætatis, & subiectio. Inuenitur igitur fallacia quandoque in voto, vel quia non intendit vouere, sed simulat se vouere. Et quoniam hoc est decipere Ecclesiam cui fit votum solenne, aut homines testes, coram quibus aliquis emitteret publicū votum, & dolus ac fraus nulli debet patrocinari, licet voti in veritate nullum sit, compelli tamē debet ad implendum

quod

quod ore proprio Deo promittere se dixit: sicut compelli debet quilibet ad seruandum contractum cum homine, licet nō intenderit promittere. Et nihilominus peccauit mortaliter pernicioſum incurrēdo mendacium, qui ſolenne aut publicum votum cum animo non vouendi fecit & ratione irreuerentiæ diuinæ coram hominibus, & ratione ſcandali ſequentis, cui dat operam efficacem, dum vouere ſe promulgans intendit monſtrare ſe facto contemptorem voti. Vel eſt fallax votum: quia licet intendat homo verè vouere, non intendit tamen ſeruare promiſſum. Et huiuſmodi vota vera quidem ſunt (quia ibi interuenit intentio vouendi cum promiſſione facta Deo de bono illi grato) peccat tamen mortaliter ſic vouens. Nec minus tenetur coram Deo adimplere votum quàm ſi vouiſſet cū intentione ſeruandi promiſſum: quia ex ſuo iniquo propoſito nihil reportat exemptionis à vinculo voti, cui ſe ſubiecit.

Imperfectio actus in voto dupliciter inuenitur. Vel per modum primi motus, quando ſcilicet votum (hoc eſt promiſſio Deo facta) non eſt actus deliberatus, ſed eſt promiſſio imperfecta: ſicut in tentationibus fidei vacillatio abſque conſenſu, non eſt deliberata infidelitas: & affectus ad occidendum inimicum abſque conſenſu rationis non eſt mentale homicidium completè: & ſic de ſimilibus. Et huiuſmodi promiſſiones votiuæ non ſunt vota verè, ſed inchoationes votorum ac per hoc non obligant.

Alio modo inuenitur imperfectio actus votiui ex defectu plenæ ac diſcuſſæ deliberationis vt contingit in votis quæ fiunt ex timore repentinorum malorum, aut ex magno dolore, aut ex leuitate animi, aut pronitate ad vouendum, & ſimilibus. Et alia vota ſunt quidem vera vota, ſed minus plena. Quod vt clarè intelligas, diſtingue deliberationem dupliciter intelligi,

intelligi. Primò, vt sufficit ad constituendum actum deliberatum absolutè: sicut quodlibet peccatum mortale est deliberatum: ita quod nisi esset deliberatę voluntatis, non esset peccatum mortale. Alio modo vt constituit actum deliberatum ex modo deliberandi: sicut actus cum meditatione & discursu discussi concluduntur, acceptantur & eliguntur. Et sic non omne mortale peccatum fit ex deliberatione: sed multa homicidia, sacrilegia, luxuriæ, &c. committuntur ex passione absq; huiusmodi deliberandi modo. Vota ergo quæ ex deliberatione primo modo (hoc est absolutè) fiunt, vera sunt: quia deliberatio quæ sufficit ad constituendum seipsum seruum diaboli, multo magis sufficere debet ad seipsum debitorem Deo constituendum. Sed quia quantum ad modum vouendi non interuenit deliberationis modus, dicuntur quod sunt vota hæc minus plena: vtpote quibus plenitudo modi viuendi, scilicet per exactam deliberationem defuit: & propterea absque difficultate huiusmodi vota commutantur vel dispensantur.

Imperfectio autem ætatis (hoc est ætas ante pubertatem) tollit voto religionis solenni suam vim: ita quod professus ante completũ annum quartum decimum, potest liberè redire ad seculum: vt habetur extrà de reg. cap. is qui. in sexto. Et ratio huius est auctoritas Ecclesiæ irritantis votum religionis solenne intra talem ætatem. Et hoc siue persona sit doli capax, siue non: quia sic statuit Ecclesia. De aliis autem votis secus est, quia non tam ad ætatem, quàm ad rationis plenum vsum spectatur. Nam in quacunque ætate habeatur rationis vsus liber ita quòd persona est doli capax (hoc est ad propositum vt discernat quid importat facere Deo votum) potest homo voto alio quocunque se obligare, ita quòd votum est validum quantum est ex parte sui: quoniam tũc ætas

non

non tollit aliquid eorum quæ necessaria sunt ad votum, vt patet. Subiectio demum vouentis reddit vota conditionalia: hoc est, si pater, maritus, dominus, Prælatus, &c. permiserit: ita quòd subditorum vota non sunt ipso facto inualida, nec sunt absolutè obligatoria sed medio modo se habent: quoniam obligant stante conditione subintellecta, scilicet si superiori placet, aut non displicet. Dico autem placet aut non displicet, propter diuersam materiam voti quoniam si votum sit de prohibitis subdito, subintelligitur, si superiori placet. Et tunc tenetur requirere bona fide superioris beneplacitum, explicando ei suum votum, ad hoc, vt integra fide agat cum Deo cui promisit, fortè enim concedet superior intellecto voto, quod negat nesciens subditi votum. Et si illi placet, tenetur exequi suum votum: si non placet, irritum est votum, vt patet si Episcopus vouerit ingredi religionem, subintelligitur enim si Papæ placet. Vnde tenetur requirere si Papæ placet, vt impleat votum: an non, si placet, implere: si non, irritum est votum, quia Episcopo prohibitum est ingredi religionem. Et sic de similibus. Si quis tamen subditus in communibus votis petat licentiam in opere quod promisit, vt liceat sibi illud facere pro Deo, & non indicet quòd hoc vouerit, putans sibi hoc sufficere: excusatur pro tunc ab executione voti superiore negante licentiam. Non tamen propterea votum est irritum: quoniam ad irritationem voti requiritur voluntas superioris ad irritandum: quæ in proposito non interuenit. Vnde remanet obligatus ad petendum iterum quando prudentia sua debit petere licentiam operis promissi, donec irritetur votum. Si verò votum sit de non prohibitis subdito, subintelligitur eo dito, si superiori non displicet: ita quòd tenetur exequi votum, quousque superiori notificatum sibi votum displiceat:

vt si patet si religiosus voueat dicere quotidie psalmos pœnitentiales. Tenetur enim illos dicere quousque superior sciat & reprobet obligationem votiuam, quam debet reprobare, vtpote Prælato præiudicialem.

Et scito quòd hæc quæ de votis subditorum dicuntur, intelligenda sunt quantum ad illa in quibus sunt subditi: ita quòd si aliqua sunt in quibus nō sunt subditi de illis possunt vota facere absolutè valida: vt si Episcopus voueat dicere septem psalmos, aut dare eleëmosynam: quoniam in his non habet manus ligatas. Et similiter si vxor voueat non petere debitum coniugale: quoniam in hoc non est subdita, sed pat marito. Et sic de aliis similibus. Habes igitur hinc vnde discernas peccata transgressionis votorum in iis qui sub alterius sunt potestate constituti: vt sunt pueri, puellæ, vxores, serui, ac religiosi: & vniuersaliter illi qui vouent de alieno, hoc est de eo quod sine alterius licentia licitè dari aut fieri nequit: vt si filius familiâs voueat dare eleëmosynam, quum nihil habeat ni patris. Et sic de similibus. De religiosorum votis speculatiuè vide commentaria in secunda Secundæ.

Votorum omissio quandoque vitiosa est, quandoque non.

EX parte deinde impedimentorum occurrentium, discernere oportet quandoq; votorum omissionem quando est peccatum, & quando non. Sunt autem occurrentia impedimenta votorum duplicia. Nam quædam se tenent ex parte materiæ votiuæ, quædam ex parte intentionis personæ vouentis. Et ex materiæ quidem parte, impedimentum exequutioni voti præstat quicquid impediret votum quando fit: scilicet si materia voti facta est impossibilis, aut illicita, aut

ta, aut impeditiua melioris boni, aut indifferens, nam quodlibet horum impediſſet votum ne fieret: nullus enim poteſt vouere aliquid impoſſibile, aut illicitum, aut impeditiuum melioris boni, aut indifferens, vt patet ex antè dictis.

Et vt rudiores intelligant, ponamus exempla. Vouit rex ædificare, dotare, ornareque monaſteriũ: eiicitur poſtea à regno, & fit ei impoſſibilis huiuſmodi eleëmoſyna. Vouit alter ieiunare ſingulis ſextis feriis, perdit ſanitatem, ita quod abſtinere eſt ei illicitum. Si quis etiam poſt votum Hieroſolymitanũ vult ingredi religionem, adimplere votum eſſet impedimentum melioris boni: & propterea poteſt ingredi religionem non curando de priori voto. Si quis demum vouiſſet, non tranſire per aliquem vicum, quia ibi manet mulier attractiua, &c. mortua muliere illa trãſire per illum vicum, factum eſt indifferens: & ideò non amplius ligat. Aduerte tamen hic circa caſum ſuperuenientis impoſſibilitatis ſeu iniquitatis, ſi impoſsibilitas ſuperuenit toti materiæ promiſſæ, aut parti: quoniam ſi impoſsibilitas venit ſuper totũ, nõ tenetur ad votum durante impoſsibilitate, ſed ſi venit ſuper partem, tenetur etiã tunc ad reliquã partem tunc ſibi poſſibilem, ſeu licitam. Et propterea perſona habens votum caſtitatis, & poſtea coniugata, eõſummato matrimonio non tenetur viuente coniuge ad caſtitatem totam: quia tenetur reddere debitũ cõiugi: ſed tenetur ſeruare partem ſibi poſsibilẽ & licitam, ſcilicet nõ petere debitũ. Et tenetur habere voluntatem implendi totaliter votum, quãdo erit ſibi poſsibile, ſeu licitum, ſcilicet mortuo coniuge. Ex parte autem intentionis vouentis quando certa eſt, vota poſſunt quæcunque impedimenta recipere: quoniã intentio vouẽtis ſufficit ad quãcunque conditionem apponendam voto. Et propterea nullum votum obligat vltra, ſeu extra

limites intentionis personæ vouentis, hoc est quia præcisè ad illud tantùm obligat, ad quod vouens intendit se obligare, & non ad illud. Sed quãdo vouentis intentio nihil apposuit limitationis, sed votum fecit simpliciter oportet casus occurrentes secundum sacros canones & veritatis doctrinam piè interpretari. Vnde qui vouit triduo ieiunare, aut aliquam eleëmosynam dare absque præfixo tempore, tenetur adimplere illo tempore quo ipsum nõ remordeat conscientia quòd fuerit in mora: quoniam quam diu ei videtur quòd nõ sit in mora, interpretandũ est quòd non sit elapsum tempus intentum ab ipso vouente. Hinc enim intentio vouentis discerni potest.

Caue autem ne fallaris, putans in variis casibus & euentibus occurrentibus votum non ligare: quia persona quando vouit, si hæc præuidisset, non fecisset votum. Falsa est hæc imaginatio & destructiua omnium humanorum cõtractuum. Multi nanque coniugati non obligarentur ad coniugium: quia si præuidissent quæ euenerunt, non contraxissent tale matrimonium. Et similiter multi professi non tenerentur ad religionem: quia si tunc quæ pòst occurrent, cogitassent, non fecissent professionis votum. Et sic de aliis. Caue ergo ne fallaris: sed de efficacia intentionis vouentis sentit, vt antè dictum est.

Voti dispensatio seu irritatio cui competat.

EX parte demum dispensationis, commutationis, irritationisque, vota quandoque oportet confessorem iudicare.

Vbi scito quòd quia irritare votum, pertinet non ad Ecclesiasticam auctoritatem vniuersaliter, sed directè spectat ad potestatem dominatiuam seu quasi dominatiuam rei votiuæ, ideo ad irritandum votum subditi, sola potestas dominatiua cum voluntate irritandi

ritandi sufficit: ita quod persona subdita non est rea fracti voti, si is qui habet dominium super re voto promissa non vult votum valere. Et ratio est: quia quilibet dominus potest vti sua libertate. Et hinc fit, vt vxorum, puellarum, seruorum, puerorum, & religiosorum vota, si irritentur à maritis, parentibus, dominis, Prælatis, non obligent. Et quod plus est, si semel maritus aut Dominus audito subditi voto consenserit, & postea reuocauerit licentiam, non peccat subditus, non adimplendo votum: sed peccat qui semel concessit, & postea pro libito reuocat, vt habes ex 30. cap. Numeri, adiuncta glossa August. & diffusè in comment. nostris prædictis. Ad dispensandum verò votum, exiguntur duo, auctoritas Ecclesiæ, & causa rationabilis. Et de auctoritate quidem Ecclesiæ satis patet. De causa verò rationabili quod requiratur, supponimus hic: vtpote discussam in dictis commen. ita quòd si prælatus etiam Papa pro libito dispensaret, non esset audiendus: quia non habet potestatem nisi in ædificationem Ecclesiæ, nec est Dominus, sed dispensator: quod non potest absque ratione intelligi.

Rationabilis autem dispensandi causa est honor Christi, & vtilitas Ecclesiæ: & vt vno verbo dicatur, maius bonum quam sit votiua exequutio: quoniam si ob maius bonum fit dispensatio, saluatur & maior Christi honos, & maior Ecclesiæ vtilitas spiritalis. Consueuit autem oriri huiusmodi maioritas boni ex aliquo horum trium, hoc est, si exequutio voti reddita esset illicita, vel inutilis, vel maioris boni impeditiua. Et propterea oportet magna vti ratione in dispensando vota: quia dispensatio tollit votum & quantum ad materiam, & quãtum ad vinculum. Ad commutandum verò vota licet regulariter exigatur auctoritas Ecclesiæ: quando tamen euidenter constat

in melius & gratius Deo commutari, non est reus fracti voti, qui sic cõmutat proprium votum absq; alia auctoritate: vt si habens votum terrę sanctæ, cõmutet in votum religionis: & sic de similibus. Et ratio est, quia Deo cui promissio facta est, satisfit plenius dando maius & acceptius ei bonũ. Et quia commutatio non tollit vinculum voti, sed mutat voti materiam, & commutatio de rigore iuris sufficiens videtur si fiat, in aliquid æquale, ideo ad commutationem voti vltra auctoritatem Ecclesiæ exigitur ad melius æqualitas materia: vt scilicet illud in quod commutatur, æquiualeat exequutioni debitæ ex voto: & propterea si est votum peregrinationis, habenda est ratio non solùm temporis, sed expensarum, quas fecisset peregrinando: quoniam hęc omnia cadunt sub voto concomitanter: & sic de similibus. Ex parte autem causæ commutandi, vt rationabiliter fiat, quamuis debeat aliqua impotentia aut difficultas aut maioritas materiæ, aut vtilitas, aut aliquid eiusmodi mouere: si tamen gratiosè condescenditur in persona Dei à commutante omnis occasio sufficere videtur, ex quo à gerente vices Christi commutatiuam habente potestatem acceptatur: cùm sola materia cõmutetur, & semper concurrat petentis commutationem promptior voluntas ad exequendum commutatã, quàm promissam. Vt tamen commutãs tutior sit, cõmutet semper in aliquid melius quantumcunque parum melius.

Memento quoque confessor quod omissio votorum non purgatur sola pœnitentia, sed vltra pœnitentiam de voti fractione, exigitur executio voto promissa: quia promissio Deo facta remanet semper viua, donec exoluatur, nisi reddita sit impossibilis aut illicita, &c. vt antè dictum est. Et propterea qui vouit aliquid efficere aliquo tempore, & non seruauit promissum intra tempus, & tenetur ad pœnitentiam

de

de facto voto,& tenetur adimplere promissum quã primum potest. Et hæc intellige, nisi votũ fuerit onus temporis: quia tunc sufficit sola pœnitentia. Appellatur autem onus temporis, quando votum est factum propter illud tempus præcisè: vt si quis vouisset ieiunare in vigilia sanctæ Mariæ Magdalenæ propter honorem Magdalenæ, si non ieiunat in vigilia illa, sufficit sola pœnitentia, quia ieiunium illud votiuum erat onus temporis scilicet vigiliæ illius, sicut ieiunia Ecclesiæ in vigiliis, sunt onera illorum dierum præcisè. Si verò vouisset ieiunare triduo intra mensem præsentem si non ieiunauit, tenetur & ad pœnitentiam, & ad ieiunandum triduo quamprimum potest: quia tale ieiunium votiuum non est onus illius temporis, sed tempus est appositum vt mẽsura intra quam debet impleri. Et sic de similibus iudica.

Lucrum ex mutuo an semper sit iniquum.

VSura (hoc est lucrum ex mutuo) iniqua est, quia aut bis venditur idem, aut venditur quod non est: hoc est, quia aut pecunia bis venditur semel pro sorte, & iterum pro lucro: aut vsus pecuniæ qui non est præter pecuniam venditur. Et propterea est peccatum mortale: vtpote contra iustitiæ charitatem. Et quia vsura distinguitur in vsuram mẽtalem tantùm, & in vsuram extrinsecam, & vsuræ peccatum ex proprio genere est peccatum in exteriori opere consistens, quia est ad alterum iniustitia, ideo tractandum est de vtraque, sed peius de vsura exteriore, quæ consistit in hoc quod est lucrari ex mutuo, interueniente pacto explicitè vel implicitè.

Lucrum vsurarium præsupponit duo ad hoc vt licitum reddatur.

VBi nota primò quòd ad lucrũ vsurarium requiruntur & sufficiunt quantum est ex parte ipsius

lucri duæ conditiones. Prima est, quòd sit aliquid pecunia æstimabile. Secunda est quòd non sit suum. Vnde ex his conditionibus redditur ratio & declaratio multorum casuum. Primus est. Si quis mutuat ad hoc vt ille sit sibi amicus, non est vsura: quia amicitia non est pecunia æstimabilis. Nulla tamen potest hic conuentio ciuilis interuenire: quia amicitia est res cui repugnat obligatio ciuilis: quia amicitia est interior amor spontaneus, obligatum autem ciuiliter est necessitati subiectum, ita quod velit nolit tenetur exhibere illud. Vnde ridicula esset obligatio ciuilis ad amicitiam, quæ pecunia æstimari non potest. Secundus est. Si quis mutuat vt redhibeat suum apud petentem mutuum quomodolibet occupatum aut detentum, non est vsura, quia nihil lucratur, sed suum recuperat. Tertius est. Si quis mutuat vt redimat vexationem suam, non est vsura: quia nihil lucratur non suum, sed quod suum est seruat: vt si quis mutuat alicui comminanti sibi aut suis, & hinc exuit se à multis sumptibus quos oportet ad sui tutelam facere. & sic de qualibet alia redemptione vexationis suę. Quartus casus est. Si quis ex hoc quod mutuat incurrens damnum, deducit in pactum vt soluatur sibi vltra sortem suum interesse quod incurrit ex mutuo. Verbi gratia, quia accepit sub vsuris vt mutuet illi: vel quia minoris vendit rem suam, vt habeat pecuniam quam illi mutuet: & sic de similibus. Nulla siquidem hic interuenit vsura: quia nullum ex mutuo lucrum est, sed sola vitatio proprii damni: decet enim mutuantem seruare se indemnem. Et hoc quò ad damnum emergens. Quintus casus est quo ad damnum lucri cessantis. Si quis pecuniam pro parata in promptu negotiatione expositurus in veritate, vt occurrenti casui necessitatis proximi ex charitate subueniat, mutuat, ac damnum cessantis lucri sibi per-

solui vltra sortem deducit in pactum, vsura non est, si duæ adsint conditiones. Prima est, quòd mutuans ex hoc mutuo impediatur verè à lucro: quod tunc non est quando mutuans habet aliam pecuniam quam potest mutuare: quia si aliam habet, non impeditur ex mutuo à lucro. Secunda est, quòd non totum lucrum separatum ex illa negotiatione, deducatur in pactum: quia lucrum in potentia non est adhuc, & potest multipliciter impediri ac per hoc non valet tantum quantum si esset in actu. Et propterea si exolueretur totum, solueretur plus quam debet solui. Vnde potest aliqua pars lucri cessantis ad arbitrium boni viri taxari vt sit contractus licitus. De quo diffusè vide in commentariis nostris super secunda secundæ. q. lxxviii. art. ii. ad primum. Sextus est, Si quis mutuat alicui eo pacto vt remutuet sibi quando ipse indigebit, vsura est: quia obligatio ista pro quanto est ciuilis, est pecunia æstimabilis. Quamuis enim accipiens mutuum teneatur ex debito morali ad remutuandum quando opus erit & poterit, non tenetur tamen ex debito ciuili: quale debitum oritur ex pacto. Vnde quum obligatio ista sit pecunia æstimabilis, non potest ex mutuo in lucrum duci absque vsura. Septimus est, Si quis mutuat alicui eo pacto vt veniat ad molendum in mola sua, aut ad emendum ad officinam suam, aut aliquid huiusmodi vsura est: quia obligatio ista ad molẽdum in hac mola, ad emendum ab isto & huiusmodi vẽdibilis est: & ideo non licet ex mutuo hoc lucrum alienæ obligationis reportare. Octauus similis est isti. Si quis mutuat alicui Domino temporali eo pacto vt concedat sibi officium prætoris, vel aliquod aliud officiũ, vsura est: quia concessio ista vendibilis est. Et propterea non licet ex mutuo lucrum talis concessionis exigere. Discerne tamen in his casibus duo lucra, Alterum,

vsurarium: & alterum, licitum. Nam vsurarium lucrum est obligatio ad remutuandū, obligatio ad molendum in hac mola, obligatio ad emendum ab hac officina, obligatio ad concedendum tale officium: & sic de similibus. Licitum verò lucrum est merces debita pro mola, pretium rerum venditarum, stipendia & prouentus officii, & sic de similibus quia ista lucra non sunt ex mutuo, sed ex aliis contractibus, seruitiis, industriis operis, & officiis &c. Et propterea in istiusmodi vsuris non tenetur qui sic mutuauit ad restituendum mercedem molæ, pretium venditarum rerum, stipendia prouentusque officii, & similia: sed vltra pœnitentiam de peccato vsuræ tenetur primò ad relaxandum vinculum obligationis de continuanda mola aut officina, de continuanda manutentione in officio: quia huiusmodi obligatio est lucrum vsurarium: & tenetur secundò ad recompensandum illi pro ista obligatione: quæ vendibilis erat, quamuis ille noluisset vendere ipsam. Ad arbitrium autem boni viri spectat determinare quantū pro huiusmodi obligatione restituendum sit, vt satisfiat secundū æqualitatem iustitiæ. Nonus est. Si quis mutuat domino vel communitati eo pacto, vt donec restituatur sibi mutuatum non soluat gabellas, vsura est: quia ex mutuo lucrum reportat exemptionis à debita solutione gabellarum. Constat enim quòd hæc exemptio pecunia æstimabilis est: & tenetur iste ad restitutionem communitati seu domino gabellæ de toto retento quod soluere debuisset: quia lucrum vsurarium est. Decimus casus est. Si quis mutuat alicui centum ea ratione vt emat à mutuante quædam sua iura desperata aut inutilia, aut agrum sterilem aut aliquid huiusmodi, vsura est pessima: Tum quia mutuum, damnum infert proximò annexæ malæ emptionis: Tum quia etiam si res quę vęnales proponūtur essent

vtiles

vtiles valde, contra naturam contractus mutui est quòd is cui mutuantur, obligetur similiter ad emendum, seu quodlibet aliud vt dictum est.

Vndecimus est. Si quis mutuat super pignora ea ratione vt habeat tres pro centenario: non quasi lucrum ex mutuo, sed quasi subsidium ac stipendium necessarium ad custodiam pignorũ & excussionem, & alia huiusmodi, vsura est: quoniam in veritate iste non mutuaret, nisi lucra hæc ex hoc quod mutuat, expectaret. Ex hoc autem non sequitur errare illos qui pignora onerosa bona fide accipientes, volunt indemnes se seruare: sicut enim non debent ex pignore fieri locupletiores, ita nec pauperiores: & sicut fructus pignoris sunt computandi in sortem ita expensæ qualitati pignoris annexæ imputandæ sunt domino pignoris. Duodecimus est. Si quis mutuat alicui nauiganti mille ea ratione, vt cum ipso eodem mutuante fiat contractus assecutionis dictorum mille soluendo eidem mutuanti tot pro centenario, vsura est vera: quia quidem mutuans vltra sortẽ vult obligationem ad subeundum contractum assecutionis: præsumpta autem: quia mutuum ad hoc lucrum tendere videtur. Et ideo damnatur in cap. nauiganti. de vsuris. Nota secundò, quod quia lucrum vsurarium est mutuo, ideo si quis non mutuat sed accommodat, seu locat aut vendit pecuniam cum pacto recipiendi aliquid plus, non est vsura: sed liciti sunt huiusmodi contractus, dummodo pacta sint moderata iuxta qualitatem temporum &c. Et similiter si aliunde quàm ex mutuo lucrum superueniet.

Et hinc habes claritatem plurium casuum. Primus est. Si quis accommodat pecuniam alicui ad ostentationem faciendam (vt numularii soliti sunt monstrare publicè quasi aceruos nummorum aureorum) & exinde vult sibi lucrum aliquod, nõ est vsura: quia nõ

ex

ex mutuo, sed ex accommodata & quasi locata pecunia lucrum habet.

Secundus est similis. Si quis locat pecunias aureas ad ponendum in balneo, vel brodio & huiusmodi si inde vult moderatum lucrum, nulla est vsura.

Tertius. Si quis nummos aureos vendit pro argenteis, & inde moderatum lucrum exigit, nulla est vsura. Et ratio horum & similium casuum est: quia pecunia in istis contractibus non mutua, sed quasi res quædam accommodatur, locatur, venditur, sicut licitè in similibus casibus aurum non monetatum, gemmæ, iocalia, & alia huiusmodi possent accommodari, locari aut vendi cum honesto lucro. Quartus casus est cum lucrum venit ex mora debitoris: ita quòd postquàm debitor non soluit tempore debito, potest creditor duo lucrari scilicet pœnam conuentionalem & aliquid pro interesse tam damni emergentis quàm lucri cessantis. Nullum siquidem excrementum huiusmo est vsurarium: quia non ex mutuo prouenit, sed ex mora debitoris. Et hæc intellige si & quandiu contra voluntatem creditoris contracta est & durat mora. Nam si creditor prorogasset terminum, aut esset contentus de mora continuanda, vsura esset: quia ex mutui continuatione seu conseruatione lucrum proueniret & non ex mora. non enim est in mora qui consentiente creditore moratur, sed solus qui inuito creditore differt solutionem. Et hæc dicta sint de vsura ex mutuo explicitè.

Vsura implicitè commissa diuersimodè consideranda.

DE vsura autem consurgente ex mutuo implicitè (hoc est ex incluso seu interpretato mutuo in aliis contractibus, puta emptionis & vēditionis, &c.) dicendum nunc est. Primus ergo casus est, Si quis ven-

vendendo, pluris non pio & moderato, sed rigoroso pretio vendit, quin expectat tempus quo sibi soluendum est, vsuram committit: quia quasi mutuum est expectatio temporis. Quando tamen venditor seruaturus esset res in aliud tempus vendendas: potest, vt suprà dictum est, vendere pluris quàm nunc valeat iuxta ambiguum verisimile pretium futuri temporis.

Et similiter si quis expectans tempus futuræ solutionis, vendit pluris iuxta verisimile medium seu dubium pretium tẽpore solutionis futurum excusatur: vt si piper nunc valet sex, & in Iulio creditur valiturum octo, aut plus vel minus, si vendo pro nunc solutione ad Iulium pro octo, excusor à decretali cap. in ciuitate. tanquam emptio non consummata intelligatur vsq; ad Iulium, quo emptio erit in opere, quæ nunc est in solo contractu: quasi venditio cum correspondente sibi emptione nunc inchoetur, & in Iulio consummetur. Secundus casus est, Si quis emit minoris piissimo pretio pro eo quòd nunc soluit, vsura est: quia ex tempore pecuniæ solutæ plus habet quàm pecunia valeat. Tertius casus est, Si quis debitor alicuius ad annum, minus soluit nũc, quia anticipat solutionem (vt si debet cẽtum, det nũc octoginta pro tota summa) sine dubio vsura est: quia ex tempore solutionis anticipato lucrum reportat.

Quartus casus est. Si quis emendo frumentum assignandum sibi tempore collectionis frugum, quia prius dat pecunias, minoris emit, quam æstimetur honestum pretium tempore assignationis frugum, vsura est manifesta ex supradicta radice.

Quintus casus est. Si quis emit minoris iusto pretio cum pacto de retrouendendo, interim quasi locãs venditori, & recipiens ad rationem quinque pro centum pretii dati, vsura est: quia non est ibi vera emptio: sed mutuum palliatum sub dictis contractibus: quod

quod patet ex eo quod emitur longè minoris, quam sit iustum pretium. Secus autem esset si super domo vel agro constitueretur perpetuus cēsus ad rationem tot pro centenario iuxta patriæ morem, cum pacto quod possit debitor census se liberare: quoniam contractus iste determinatus est licitus per sedem apostolicam pluries. Sextus casus est. Si quis pecunias suas dat artifici seu numulario, volens capitale saluū, & tantum lucri absolutè: aut si lucratur, etiam si verisimile, aut quasi pro certo habeatur, quod numularius seu artifex multò plus inde lucrabitur, vsura est, non societas, nec innominatus contractus: quia & capitali saluo statur lucro, & non damno, & quasi ex mutuo lucrum expectatur. Septimus. Si quis rem non extantem tanquam extantem (puta agrum, domum aut armentum) & locat venditori, vt det duplum, & consentio meæ passioni qua patior vsuras.

De mediatoribus quoque idem est iudicium: scilicet quod non licet illis inducere aliquem ad faciendum vsuram, nec etiam esse quasi negotii vsuriorum gestores: puta inquirendo egentes pecuniis sub vsuris: aut prouocando vt accipiant à suo fœneratore: quoniam tunc quis esset velut minister vsurarii, & participaret in crimine & vinculo restitutionis. Circa participantes autem cum vsurariis in vsu rerum vsurarii, distinctione opus est. Primò, an res illa in seipsa sit aliena: quia tunc idem esset iudicium sicut de participantibus in re rapta, aut furto ablata, quam constat nullo titulo posse contrectari licitè ab alio: quia res aliena est. Si autem res ipsa aliena non est, distinguendum est an ex illo vsu efficiatur vsurarius impotens ad restituendas vsuras. Nam si non efficitur inde impotens ad restituendum, sed æquè potens remanet ad restituendum vsuras quas lucratus est: potest licitè homo cum vsurario negotiari, & dona

ab eo accipere & dotem, & breuiter quomodolibet contrahere. Si verò efficeretur minor ad restituendum vsuras, non liceret contractus huiusmodi cum vsurario inire. Et in promptu ratio est: quia cum periculo iacturæ proximi negotiaretur, dum fieret quis vsurarius, quamuis nunc pertinax si erat rediret ad cor, non posset satisfacere quibus teneretur. Vnde ab huiusmodi vsurario non licet accipere dona nec dotem, aut aliquid simile: quia per hæc efficeretur impotens ad restituendum: quamuis licitum esset illi vendere, & ab eodem emere: quia per hæc non redderetur impotentior restituendum: quoniam tantundem recipit ab alio quantum dat de suo. Et iuxta hanc distinctionem regulandi sunt casus qui occurrunt de victu vxoris & filiorum, ac familiæ vsurarii. Si enim hinc fit non soluendo (puta quia nihil habet nisi vsuras, nihilque lucratur, nisi vsurariè) consequēs est vt non liceat illis inde victum sumere. Et hoc regulariter loquendo intellige. Nam per accidens posset esse licitum puta si essent in necessitate extrema, aut si vtiliter agerent negotium creditorum, vel spiritaliter (puta suadendo restitutionem) aut corporaliter, puta bonificando eorum bona pignorata. Vide de hac materia difficilius scripta superius in verbo, restitutio. De dominis quoque temporalibus accipientibus ab vsurariis componentibus cum eisdem, vt vsuras impunè facere possint, non solùm idem est iudicium quantum ad res quas ab his accipiunt, seò potius si illicita concedunt.

Pagas certas montis Genuensis emere an sit vsura.

COgor hoc in loco respondere quærentibus an sit vsura emere pagas certas montis Genuensis hinc ad triennium recipiendas, ita quod casus est iste

Ioan-

Ioannes habet in monte Genuensi loca decẽ, ex quibus iam computatum est quod debentur ei centum libræ: sed quia non sunt ipsi exoluendæ ante triennium, ideo vocantur acerbæ pagæ, & tertio anno vocabuntur maturæ, & Ioannes eget nunc pecunia, venditque istas decem pagas acerbas pro septuaginta libris nunc habendis: nunquid si ego sic emo, committo vsuram? Respondeo omissis disputationibus, quòd hic nulla interuenit vsura: quia est contractus non palliati aut impliciti mutui, sed emptionis & venditionis: quoniam Ioannes vendit ius suum quod habet super illas decem pagas, & non vendit ipsas pagas, nec aliquod mutuum accipit. Declaro singula. Quòd non vendantur pagæ, sed ius pagarum ex eo patet, quòd Ioannes non tenetur mihi assignare pagas, sed ius suum quod habet super pagas illas. Quòd nullum accipiat Ioannes mutuum ex eo patet, quia ad nihil restituendum obligatus est, sed solùm ad assignandum mihi ius pagarum. Et rursus, quia quicquid periculi hic est, apud me ementem restat: quod est contra naturam mutui. Est igitur hic vera emptio & venditio iuris pagarum illarum. Et propterea si iusto pretio emitur, iustus erit contractus. Iustum autem pretium constat esse quod communiter inuenitur absque fraude, &c. & propterea si pagæ huiusmodi venduntur pretio communiter tunc currente, nullum peccatũ committitur. Est autem rationabilis causa minoris pretii, ex eo quòd res vænalis inutilis per triennium, minor est seipsa vtili ab hodierna die. Vnde cùm ius pagarum acerbarum inutile sit vsque ad tempus maturitatis, rationabiliter minus valet, ac minoris venditur quam ius pagarum vtile nunc: sicut terra sterilis vsque ad biennium, minus valet quam ipsamet si esset vtilis hodie. Nec hoc quod diximus de venditione & emptione

emptione iuris pagarum ex monte Genuensi, est singulare in eo monte, quoniam hoc est commune omni alteri iuri quorumcunque creditorũ. Possum enim licitè emere ius tuũ, quo tibi debentur ab altero mille aurei hinc ad annũ, & licitè emendo dabo tibi minus mille aureis, præsuppositio debito liquidissimo, & absque difficultate ac labore exigibili, quoniam ius recipiendi ad annum mille aureos minus est secundũ rem, & secundum humanum vsum, ac humanã æstimationẽ quàm mille aurei: quia potentia etiam proxima minor est actu: & inter os & offam multa intercedere possẽ, prouerbium vetus est. Non enim qui hoc ius emit, facit mutuum palliatum, nec emit mille ducatos post annũ, vt ratio tẽporis expectati constituat vsuram: sed emit ius alterius ad habendum post annum ducatos mille, & ipsius ementis periculo ius illud derelinquitur quod est contra naturam mutui, vt dictum est de iure pagarum.

Quanto autem minoris mille ducatis emere debeo, relinquitur arbitrio boni viri, consideratis conditionibus temporum, copiæ pecuniarum, vel penuriæ, &c. De monte autem ipso Genuensi, & similib. quia consistunt in facto, loqui nescio, nisi factum certum mihi proponeretur. Sed in communi loquẽdo, certum est quod si sunt annui census cõstituti super prouẽtus ciuitatis, liciti sunt. Nec aliquid obstat, quin cõmunitas possit se redimere. Et quoniã quomodolibet inceperint montes isti, hodie & annui census communiter haberi videntur: ideo si sic est, scilicet quòd naturam transiere census disputationes superfluæ videntur. Et sic sit omnipotenti Deo laus & gloria, pro perfecta vtcunque hac Summula, inter Hungaricæ legationis discrimina. Posonii in die sanctæ Cæciliæ. Anno salutis M. D. XXIII. ætatis autem meæ quinquagesimo quinto. Amen.

LAVS VNI ET TRINO.

LECTORI S.

Ne aliquot pagellæ vacarent, Lector benevole, hoc tibi sequens opusculum ab eodem authore (nempe Reuerendiss. DOMINO CAIETANO) contextum exhibere voluimus, tum quòd eiusdem argumenti cum præcedentibus planè videretur, tum quòd lectu non iniucundum, ac summoperè profuturum fore prospeximus.

De integritate confessionis quò ad peccata omnia.

COnfiteri peccata mortalia omnia quæ quis admisit, Lutherani non solùm negant esse necessarium, sed affirmant repugnare sacræ scripturæ, & esse impossibile : quia scriptum est, Delicta quis intelligit? Nos autem dicimus habere ex Euãgelio confessionem peccatorum mortalium omnium, & non obstare prophetæ sententiam allatam. Quòd enim peccata omnia confitenda sint in sacramentali confessione, ex ipsa forma ministrandi sacramentum pœnitentiæ tradita à Christo quando instituit hoc sacramentũ, ministratur. Ait enim Christus Apostolis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. In quibus verbis datur à Christo ministro sacramenti facultas duarũ actionum: videlicet remittendi vel retinendi peccata quorumcunque. Et ex hoc ipso quod ministro committitur facultas discernendi an remittenda, an retinenda sint peccata cuiusq; pœnitentis, manifestè sequitur quòd oportet ministrũ (nisi cæcus ministrare velit) posse si in pœnitente est aliquod peccatũ retinendum

nendum: quod eſt noſſe ſi in pœnitente eſt aliquid impediens remiſſionem. Nam omne peccatũ retinendum impedit remiſſionẽ cuiuſcunq; peccati hominis confitentis: quia nõ poteſt ſimul vnũ peccatũ remitti, & aliud retineri. Nam mortalia peccata quæcunq; vnius hominis connexa eſſe tam quod remiſſionem, quàm quoad retentionẽ, & relatiuè ad Deum, & relatiuè ad Chriſti miniſtrum, perſpicuum eſt. Et relatiue quidem ad Deum, patet ex eo quod ille cui remittitur à Deo peccatũ, amicus Dei conſtituitur: iuxta illud: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Ille autem cuius retinet Deus peccatũ, & manet in peccato vnico, inimicus Dei eſt: vtpote omniũ reus: iuxta illud: Qui in vno offendit, reus omnium ſactus eſt. Ex hoc autem quòd tam remiſſio quàm retentio diuina eſt peccatorum mortalium omnium quæ quis habet, manifeſtè ſequitur quòd etiam tam remiſſio quàm retentio quæ fit à Chriſto miniſtro debet eſſe non aliquorum peccatorum mortalium confitentis, ſed omnium: quia tam remiſſio quàm retentio miniſtri debet eſſe talis, vt remiſſioni aſſiſtat diuina remiſſio, & retentioni aſſiſtat diuina retentio: alioquin non verificarentur Chriſti verba, Quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Non vendicare autẽ ſibi remiſſio miniſtri aſſiſtentiam remiſſionis diuinæ, ſi diſcordaret à remiſſione diuina. Diſcordaret autem, ſi Deo remittente omnia, vel retinente omnia, miniſter quoque non remitteret omnia, vel non retineret omnia. Ad hoc autem vt miniſter vel remittat omnia, vel retineat omnia, oportet miniſtro innoteſcere omnia, niſi ſecus aut temerarius remiſſor vel retentor ſit: & qui miniſtro Chriſti peccata pœnitẽtis per ipſius confeſſionẽ propriã innoteſcũt, cõſequẽs eſt, vt oporteat cõfitẽtẽ cõfi

fiteri omnia sua mortalia peccata. Vide, examina & libra prudens lector quæ diximus, & perpendes & ipsa institutionis forma in Euangelio scripta, haberi confessionem omnium peccatorum.

Supereſt diluere obiecta à Lutheranis: distinguendo de confessione, vel absolutè, vel vt est actus humanus. Est autem confiteri omnia absolutè, nullum peccatum inconfessum relinquere: confiteri verò omnia, vt confessio est actus humanus, est confiteri omnia quorum confessio subest humanæ facultati. Vnde ex hoc quòd delicta nullus ad plenum intelligit, esto quòd impossibile sit hominem confiteri absolutè omnia peccata sua (quoniam ignota relinquit inconfessa) non tamen hinc sequitur, quin confessione humana possit quis confiteri omnia peccata sua: quoniam sub integritate confessionis humanæ non comprehenduntur omnia peccata absolutè, sed duntaxat nota, & quorum quis memoriam habet: nam oblita est & incognita confiteri non subest facultati humanæ. Et quia perspicuum est sub lege tam diuina quàm humana actionem nullam exigi ab homine, quæ non sit in hominis potestate: ideò cùm ex Euangelio habetur confessionem omnium peccatorum requiri ad sacramentum pœnitentiæ, non est sermo de confessione omnium peccatorum, absolutè, sed de confessione omnium peccatorum, vt subest facultati humanæ: quod est dicere, vt pœnitens confiteatur omnia peccata sua non ignota, nec oblita. Hæc de confessione omniũ peccatorum

FINIS.